









6–21621





# PETRI ANGELII BARGAEI

## POEMATA OMNIA, DILIGENTER AB IPSO RECOGNITA.

*Quorum Catalogum versa pagina indicabit.*





SVPERIORVM PERMISSV.


ROMÆ, Ex Typographia Francisci Zannetti.
M. D. LXXXV.

## POEMATVM CATALOGVS.










# FERDINANDO MEDICI S. R. E. Cardinali S.D.



*Petrus Angelius Bargaeus.*



CVM abhinc quadraginta annos, Ferdinande Medices Cardinalis amplissime, è Gallia in Italiam redijssem; & à Cosmo Medice patre tuo perbenignè susceptus essem, atque inter eos cooptatus, qui in Pisana Academia liberalium artium magistros, ac doctores esse se profitebantur; cogitare cœpi, possemne ego aliquid exquisitius moliri, ac facere; quo peregrinationis, qua diu abfueram, consilium, & rationem hominibus probarem, & meã erga optimum Principem optimè de me meritum obseruantiam, debitam illam quidem, & quodam quasi iure naturæ, atque officij religione obstrictam, sed noua tamen beneficentia vehementer auctã, apud



omnes prædicarem. Qua in cogitatione nihil sanè in mentem veniebat vel maius, vel opportunius, quàm illud ipsum, quod me etiam tum adolescentem impulerat, vt relicta Italia ad exteras gentes me conferrem. Cum enim & bonarum literarum amore, & poeticæ laudis cupiditate propemodum flagrarem; neque mihi tamen ad canoras quasdam nugas (vt ille inquit) sed ad aliquod graue argumentum animum appellere liberet; ex quo lectorem & delectatio consequeretur, & vtilitas: de Venatione, hoc est, de ferarum animantium natura, & moribus ea carmine complecti, & persequi cupiebam, quæ ab alijs tractata numquã antea fuissent. Itaque, cum hac in re, quos consulerem, scriptores haberem nullos, eas à me regiones adiri oportere iudicaui, in quibus fermè omnium ferarum venationes exerceri solerent: Inter quas cum Gallia, & Thracia in primis numerarẽtur, quòd reges in ijs essent venationibus deditissimi; apud quos homines eius rei valde periti alerentur innumerabiles; facile vsuuenturum mihi existimaui, si ad eos pergerem, vt permulta discerem, quorum neque ab Aristotele, neque ab Oppiano, neque item ab alijs vel Græcis, vel Latinis auctoribus, qui in eodem argumento versati sunt, mentio vlla fieret. Atque hoc mihi cum peragrata Thracia, Græcia, atque Asia planè ex sententia successisset, magnumq; præterea Græcorũ codicum, & clarissimorum scriptorum numerum cõparassem (nam & huius quoque rei caussa ad eas regiones me contuleram) possemque inchoatum



iam

iam inde à primis annis opus neque, vt arbitror, iniucunda, neque inutili rerum cognitione quasi condire, atque illustrare; placuit, vt, quod diu animo agitaueram, & audacter potius, quàm prudenter tentaueram, corroboratis viribus, & iam maiori apparatu instructus rursus aggrederer. Quamobrem in Hetruriam reuersus cum sexdecim ipsos annos in huiusmodi opere conscribendo posuissem; idque à multis me insciente descriptum esset; &, si non rude, atque informatum, certè non omnino à mendis perpurgatũ,& perpolitum ad hominum manus peruenisset: haud sanè me inuito, qualecumque tum erat, Lugduni primùm à Sebastiano Gryphio, deinde etiam Florentiæ à Iuntis fratribus peruulgatum est: sed cum Dei optimi maximi beneficio postea factum sit, vt huiusmodi lucubrationes meas diu in manibus habere, & per summum otium, quod ab incredibili liberalitate erga me tua mihi suppeditatur, tum corrigere diligenter, tum politius limare potuerim; committere nolui, vt laudis, atque existimationis meæ studiosis, si qui huiusmodi sunt, diutius deberentur. præsertim quòd non ignorarem tibi me, fratrique tuo Francisco Medici Magno Duci Hetruriæ, gratissimum facturum, si Cosmi Medicis vtriusque vestrum parentis memoriam non renouarem ego quidem (neque enim ea est, quæ intercidere, atque intermori vmquam possit) sed, quantum in me esset, & nostris,& exteris nationibus ad quamdam quasi heroicæ virtutis imaginem repræsentandam proponerem. Qua

quidem in re quamquam ipſe mihi haud planè ſatisfacere poſſe intelligo: illud tamen conſecutu-rum me eſſe minime deſpero; vt non omnino ſcilicet ingratus fuiſſe videar; cum, quæ vos in me beneficia contuliſtis & plurima,& maxima, ea hac huiuſmodi poematum meorum editione in hominum mentibus penitus defixa eſſe voluerim. boni certè, quicquid id eſt, tu pro animi tui magnitudine conſules. nam ego quidem, quem annus ſeptuageſimus admonet, vt ſarcinas colligam; &, ſi quid agendum eſt, agere properem antè quàm è vita proficiſcar, hæc ipſa multis vigilijs à me conſcripta, & elaborata, nunc quidem quaſi cycneam quamdam vocem extare volui, quæ cultum,& pietatem in te, tuosque omnes meam perpetuò teſtatam relinqueret. Vale. VIII. Kal. Octobris. CIƆ IƆ. LXXXV.

CAPI-

# CAPITA RERVM quas P. Angelius tractat in sex libris Cyneget.



Ingen-

*Capita secundi libri Cynegeticorum.*



Ceruum

*Capita tertij libri Cynegeticorum.*

*Capita libri quarti Cynegeticorum.*



Ele-

*Capita libri quinti Cynegeticorum.*



De

*Capita sexti libri Cynegeticorum.*



Quo

*Capita rerum, quæ tractantur in libro Ixeuticorum, seu de Aucupio.*



FINIS.




Aliprandus Capriolus f.



# PETRI ANGELII BARGAEI CYNEGETICON

## *Liber primus.*




### Ad Cosmum Medicem Magnum Ducem HETRVRIÆ.



*VAS bonus assuescat primis venator ab annis*
*Exercere artes: quadrupes quæ cornibus audax*
*Incedat: curuoq; agilis quibus horreat vngue*
*Dextra feris: & quarum ineat certamen acuto*
*Dente genus: quantosque canes nascantur ad vsus,*
*Expediam: & syluas omnes, atque antra recludam.*
*Cynthia, quam nemorum cultricem in opaca ferarum*
*Lustra vehunt bijuges cerui, qui dura coacti*
*Fræna pati, rapidas præuertunt cursibus auras:*

*Seu te culta tenet Delos, seu frigida Tempe,*
*Taygetiue iugum, seu flumina propter Araxis,*
*Eurotæue, choros centum comitata Napæis*
*Exerces, arcúque leues, pedibusque fatigas*
*Dorcadas, & iaculis magnum fodis ausa leonem,*
*Affer opem, nostroq́; ades haud inuita labori.*
*Et vos o Nymphæ venantum numina, Nymphæ,*
*Ducite ruricolas nostra hæc ad carmina Faunos,*
*Et iuuet vmbroso mecum recubare sub antro,*
*Gramen vbi, ac virides prætexit arundine ripas*
*Arnus, & Hetruscum leni secat agmine littus.*
*Tuq́; adeò, sacris olim quem candida lucis*
*Aurora eripuit, cœliq́; in sede locatum*
*Sæpe fouens auidis iuuenem complectitur vlnis,*
*Adsis o præsens, tibi si venabula curæ,*
*Auritiq́; canes, & cornua rauca, plagæq́;.*
*Nec minus intereà nostri noua gloria secli*
*Cosme & auis, atauisq́; potens, quem Tuscia verax*
*Interpres Diuum, & venturi conscia fati*
*Insignem trabea solio veneratur in alto,*
*Regiaq́; amplexu coniux beat: inclyta coniux*
*Vltima in Hesperia magnis à regibus orta.*
*Quæ tibi, ceu laurus fundens lætissima syluam,*
*Edidit egregiam virtute in luminis oras*
*Progeniem genituram altos longo ordine reges.*
*Felix prole tua: felix, cui secula currant*
*Aurea, & æterno cingant diademate frontem:*
*Quod mox & nati, & natorum à stirpe nepotes*
*Gestantes, regno adijciant Hetruria quicquid*

Adriacas inter, Tyrrheni & littoris vndas
Obtinuit quondam terra dominata, mariq;,
Seu leges populis, & iura perennia condis,
Dum sancta instauras magnorum exempla parentum,
Seu duro instructis ferro legionibus acer
Fundere perculsas dira formidine turmas
Pergis,& hostiles metuendus diripis arceis,
Siue vrbem, surgit medijs vbi fluctibus Ilua,
Tuscorum, Ligurumq; simul tuearis vt oras,
Extruis,& reges factis ingentibus æquas,
Lætus ades:& primum tenuem ne despice musam,
Dum venatores Heroum inuenta piorum
Errantes passim numeris docet ausa Latinis.
Forsan & illa olim syluas, atque antra relinquens
Audebit grauiore sono tua dicere facta:
Claraq; victuris intexet nomina fastis.
Principio nostras iuuenis formandus ad artes,
Venandi quem cepit amor, studiumq; Dianæ
Impulit in cæcas, horrentia lustra, latebras,
Discat ab incuruis iaculum torquere lacertis
Eminus,& neruo celeres aptare sagittas,
Et viridi affixum tumulo pertingere signum,
Exiguamq; procul traiecto in fune volucrem,
Quò tendat calamos, pinu suspendat ab alta.
Protinus ille etiam primis consuescat ab annis
Ardua marmoreum iaculari ad sidera discum,
Robustasq; altis deuoluere montibus ornos.
Nec sinat informi vires torpere veterno,
Et turpi languere situ, ne mollia corpus

Otia luxurie, vitaq; in deside frangant.
Vidi ego, cui primæ fuerant robusta iuuentæ
Pectora, & assiduo multum durata labore,
Cepisse ignauæ sensim indulgere quieti,
Oppressumq; leui tandem succumbere fasci.
Tantum vsus, artesq; valent. Hinc Roma potentes
Scipiadas, Decios, Marios, magnosq; Camillos
Amisit, partisq; olim spoliata trophæis
Tarpeia externos spectauit in arce tyrannos.
Hinc quoque deuicta quondam Lacedæmone pubes
Impositum subijtq; iugum, & frænum ore recepit.
Nec renuit dominis parere ignaua superbis.
Ergo age ne dubites omnes impendere curas,
Efficere vt solidæ possis inuicta iuuentæ
Robora, maturos quæ deinde sequantur in annos:
Et nunc insuto plumbo, ferroq; rigentes
Disce celer manibus crudos inducere cæstus:
Atque huc, atque illuc duros versare lacertos:
Inconsultæ agiles turbæ mirentur vt ictus.
Nunc te gramineæ delectet cura palæstræ,
Et validis fortem prosternere viribus hostem.
Nec mihi displiceat torquere per aera vectem,
Qui bis in vndenas excurrat pondere libras.
Nunc vero ingentem rapido conscendere saltu
Durateum, celebri iuuenum plaudente corona,
Nitere equum, versoq; super da corpore gyros
Aerios, teque ipsum alte compone sedentem,
Rursus & in terram tergo reuolutus ab alto
Deflue, vix ima signans vestigia planta:

Conti-

Continuoq; acrem cinctus fulgentibus armis
Cyllaron, & volucrem deflectere Ariona in orbeis
Multiplices, seu dextra vocet, seu læua ruentem
Contende, & faciles glomerare volumina in armos
Disce feri, eduris qui iam parere lupatis
Nouerit, & blandi voces, & iussa magistri.
Et nunc in spatium patefacto carcere missus
Gaudeat optatæ signum contingere metæ:
Atque amentatam, & præacuta cuspide cornum,
Dum furit, atque imas iam contacturus arenas
Corpore, iam fertur summas abiturus in auras,
Vt cum versa ineunt animosi prælia Parthi,
Emissum in leporem, celeremve in dorcada vibres.
Nec te pœniteat bellacis more Quirini
Palladio totum perfundere corpus oliuo,
Atque ita Achæmenium Tigrim, Rhenumq; bicornem,
Altaq; præcipitis Rhodani tranare fluenta.
Quid? quem purpurei refluentibus æquoris vndis
Proteus, atque vdæ Nereides admirantur?
Quid? qui Sarmaticos cursu præuertere Cauros
Tendit, & Armenium pedibus superare Niphatem?
Magnanimos haud ille vnquam vitauerit hostes,
Infestasq; vices, dubijq; pericula martis.
Inde vbi robustis adoleuit viribus ætas:
Et cupis ingentem sepire indagine saltum:
Cuncta prius, ni laude tuum, plausuq; laborem
Defraudare iuuat, vacuumq; ad tecta reuerti
Immeritas damnantem auras, diuortia solers,
Atque habitus varios regionum ediscere cures,

*Et quæ quas soleant habitare animalia syluas.*
*Hic lepores, illic timidi nascuntur onagri,*
*Atque alces variæ, & vastis cum viribus vri.*
*Nonne vides, vt sæua oryges Getulia mittit?*
*Armenij tigres? celeres nemora Aenia damas?*
*Quid tibi commemorem? sæpe ijsdem in montibus aut*
*Aut has lucifugæ meles habuere cauernas. (has,*
*Hinc ergo ingenium in primis moresq; ferarum*
*Edisces: tecumq; diu scrutabere solers,*
*Quas quibus aut artes prudens natura, dolosve*
*Addiderit. neque enim est idem venatus aprisque,*
*Atque vrsis, eademve decent & retia, & artes*
*Ceruorum, leporumq; gregem, & genus acre leonum;*
*Nanque hoc insidijs vel aperto vincere marte*
*Magnanima septus iuuenumq;, canumq; coborte*
*Vix poteris: tantam impatiens exardet in iram:*
*In mediosq; ruens certum petit vnguibus hostem.*
*Tum stragem infandam canibus (miserabile visu)*
*Dat turbans, discerpit equos, atque obuia frangit*
*Venatorum arma, & cuneos in bella ruentes.*
*Quam bene: quòd nostris procul hæc regionibus absunt*
*Semina, & horrendis vulgata opprobria monstris.*
*At verò dum vernat ager, dumq; vritur æstu,*
*Aut gelidis deforme riget nemus omne pruinis,*
*Incipit aut folijs horrere cadentibus arbos,*
*Non vnquam mitisq; lepus, ceruiq; timentes,*
*Sæuaq; capreoli fugientes lustra ferarum,*
*Quos alto clamore premas ad retia, desunt.*
*Siue volutabris, dumisq; horrentibus apros,*
*Infor-*

*Informesq; suis excire cubilibus vrsos*
*Iuuerit, & cæsos duro prosternere ferro.*
*In primis igitur vestigia nota ferarum*
*Sint tibi, quæ longo tecum obseruaueris vsu,*
*Quæque oculis adeo percepta fidelibus olim*
*Admoneant, qua quæque feræ in regione vagentur,*
*Omniaq; ætatum pariter discrimina signent.*
*Atque hæc vt possis animo cognoscere: iam nunc*
*Ipse notas, docuit quas experientia, dicam.*
*Nec tamen haud dubitem, verbis ea vincere magnum*
*Quàm sit, & indicijs describere singula certis.*
*Siue quòd est ingens Latij sermonis egestas,*
*Siue quòd innumeris desunt sua nomina rebus.*
*Verborumque vbertatem negat auctor Apollo,*
*Quantam haurire animus Musarum è fontibus optat.*
*Sed me dulcis amor laudum, & spes maxima thyrso*
*Percutit, & multo bacchantem protinus æstro*
*Ire iubet, quò nullus adhuc penetrauit alumnus*
*Pieridum, Latioque nouos recludere fontes,*
*Et procul à patria spatiosa per æquora vectum*
*Vela dare, & primam non solum appellere ad oram,*
*Sed penitus Libyæ terras intrare repostas*
*Vrgentem certo deserta cubilia gressu.*
*Continuò, frontem curuis quæ cornibus armant,*
*Omnibus in geminas discinditur vngula parteis:*
*Vt ceruis, bubusque, & amantibus ardua capris.*
*Quanquam etiam pedibus terræ sola dura bisulcis*
*Vrget aper, solidusque Indis est vnguis onagris.*
*Idcirco, quoties canibus venabere ceruos,*

*Ne forte insontem iuuenem, & nil tale merentem*
*Perpetuo lasses cursu, & deceptus omittas*
*Eximium, & natu grandem, cuiq; obsita ramis*
*Cornua, & annoso veteres stant stipite trunci,*
*Inspicies, teretem num desinat vngula in orbem,*
*Et pateat latè spatiosa prodiga planta*
*Interior; num rima, pedem quæ findit vtrunque*
*Infima contiguis vtrinq; cohæreat oris,*
*Pressaque num summo vestigia puluere signet,*
*An penitus terra talos agat acta profundos.*
*Hæc tibi signa dabunt surgentem in cornua ceruum,*
*Ipsaque vicenis vmbrantem tempora ramis,*
*Et solida corpus firmatum ætate ferentem.*
*Idem etiam arboribus, quà se nemora inuia densant,*
*Sæpius horrenti summum fricat ilice tergus,*
*Quercusque, & fagos, & robora cortice nudat*
*Vndique, dum trunco summos terit arduus armos,*
*Et virgulta premens duro crescentia cornu*
*Deijcit, atque nouas ipsis cum frondibus vlmos*
*Sternit agens, cunctamq; suo mouet ordine syluam.*
*Illa iacet, ceu cum cœli de vertice summo*
*Incumbens Boreas rapido cum turbine fertur.*
*Atque illic tenues si forsan aranea casseis*
*Texuerit, plures noctes abijsse putato,*
*Ex quo præteriens turbauerit omnia ceruus.*
*Tum vero, immortale decus famamq; perennem*
*Inuideant irata tibi nisi magna Dianæ*
*Numina, non oculis iterumq; iterumq; pigebit*
*Relliquias spectasse tuis, quæ protinus aluo*

*Depul-*

Depulsæ catulos ad tecta cubilia ducunt.
Namque & si certas anni mutantur in horas,
Atque aliter formatæ alias habuere figuras,
Quæ tamen & patulæ, quæ sunt & turbinis instar,
Aut tereti tractu in spiras voluuntur acutas,
Digestæve suo subsidunt pondere in orbem,
Testantur dignam esse feram, quam tota fatiget
Turba canum, creberq; petat concursus equorum.
Atque eædem, præceps cum primum desijt æstas,
Et cinctum autumnus miti caput extulit vua,
Et vocat in Venerem miseros September amanteis,
Extabunt nusquam, nusquam tibi certa volenti
Signa dabunt: namque arescent ceu tenuis aquai
Humor humi fusus quondam sub sole calenti.
Contemplare igitur quò sese mane receptet;
Quaque adeo è pastu veniens in parte quiescat.
Namque prius latebramque suam, notumq; cubile
Quàm subit, hic illic viridi postratus in herba
Corporis impressit formam, & vestigia liquit,
Innitens genibus cum lecto exurgit inani.
Atque ea si latè apparet, si gramina subter
Proculcata iacent, si cruribus extat imago
Ipsa suis, penitusque solo patet acta cauato:
Protinus insignem facie, & ceruicibus altis,
Cornuaque innumeris ramis decorata ferentem,
Inuenisse refer, cursu qui prouocet auras,
Quique canes vario doctus deludat ab astu,
Et iuuenum cœtus ad tecta remittat inanes.
Illud item medio in saltu obseruare memento:

*Cum matutinus læto discedit ab agro,*
*Et satur ingrediens ad nota cubilia tendit.*
*Nam si prima pedum longè vestigia linquunt*
*Vltima, robusto præstans & corpore & armis*
*Ceruus erit, denso distentus & ilia pingui.*
*Sin autem cedent retro, & superata resident:*
*Tum tibi difficilemque fuga, totoq; vagantem*
*In nemore, & solidis vix ossibus insistentem*
*Expecta, atque alium votis exposce secundis.*
*Nec tamen, hæc cum sit venantum industria sæpe*
*Quærendo experta, & nemorum creberrimus vsus*
*Monstrarit iuueni certissima signa sequenti,*
*Non & iudicia, atque animos, & lumina fallent*
*Interdum, & cæca subigent deerrare latebra.*
*Ni tecum canis acer eat, qui naribus auras*
*Ducat odoratas, & nusquam impressa ferarum*
*Insistat cupide vestigia: nec tamen vllos*
*Latratus, vocesque hilari de pectore mittat,*
*Cum latebræ non longè absunt, fidique recessus.*
*Atque hoc præcipue tum te fecisse iuuabit,*
*Cum nemore in medio medij sub sole diei*
*Pascitur & nusquam lucis horrentibus exit,*
*Nec lætas segetes, fœcundaque gramina campi*
*Persequitur cæco longè digressus ab antro.*
*Verum ea suppeditant mediæ quæ pabula syluæ*
*Circumfusa cauo, & veteri propiora cubili*
*Attondet latè ventrem saturatus obesum:*
*Effera dum captant animalia cætera somnos,*
*Et sata formidant duris exculta colonis.*

*Præsertim ingenij multo si callidus astu*
*Latratu resonare canum, & clamore virorum*
*Audierit syluam ingentem, & nemora omnia circum*
*Ante. Etenim cœlo nunquam se credere aperto*
*Audet præterea, nec tuta relinquere tecta.*
*Est & qui nullum fretus cognoscere signum*
*Certius, exurgit sub lucem: atque auia quà se*
*Intendunt nemora, & ramis nectentia ramos*
*Horrentem latè faciem telluris opacant,*
*Ingreditur properans humilem conscendere quercum,*
*Aut fagum, aut ramis nondum sublimibus ornum,*
*Inque cauam viridis piceæ se collocat vmbram,*
*Expectatque tacens, arrectisq; auribus adstat,*
*Huc illuc voluens oculos: tum corpore siquem*
*Eximio aspexit, summa cui fronte superbum*
*Spargitur, & ramis nitidos decus occupat armos,*
*Obseruat latebras, densæq; cubilia syluæ:*
*Et qua discedens pastu se condat in arce.*
*Tum verò summa demittit ab ilice corpus*
*Impiger, atque humili quem iam religarat ab orno,*
*Ostendit catulo vestigia ponè sequenti*
*Inde loci, naresq; vetat sustollere ad auras,*
*Sed pressè captare feræ spirantis odorem*
*Cogit, & haud dubij discrimina noscere venti.*
*Namque alijs aliò cursum deceptus ab auris*
*Dirigeret, moxque ipse alios sequeretur odores,*
*Contiguis terram tereret nisi naribus, oreq;*
*Ingrediens premeret pedibus quas presserat herbas*
*Ceruus, & effusa passim maculauerat aluo.*

Hic igitur summa suspensum ex arbore signum
Linquitur, aut cæsi spoliantur cortice trunci.
Deceptus dubia ne post regione viarum
Fluctuet, & sylvis horrentibus irritus erret,
Et cœtus iuuenum vana spe ludere pergat.
Disce etiam varia ceruos cognoscere voce,
Dum matutinis syluam mugitibus implent,
Et magnum ingenti gemitu testantur amorem:
Nam iuuenes, quos nulla prius latratibus egit
Turba canum, pleno liquidas è gutture voces
Ingeminant miseri: & cœli conuexa tuentes
Attollunt caput altè, atque ore queruntur aperto.
Præcipuè Veneris cum durior ossibus æstus
Hæsit, & in teneras grassatur flamma medullas,
Tum matutinus flentes conspexit Eous:
Et flentes paulo vidit post Hesperus idem.
Ast alij, quorum ingenti se munijt astu
Pectus, & innumeris ætas iam serior annis
Edocuit, quibus insidijs, quibus artibus olim
Deciperent sæuasq; feras, catulosque sagaceis,
Extento capite, & rigida ceruice gementes
Secum multa dolent: tum presso gutture rauci
Mane grauem mittunt imo de pectore vocem,
Atque noua tristes repetunt suspiria luce.
Scilicet incertis omnes tum sedibus errant:
Nec stabula, aut dulces adeunt, velut ante, latebras:
Sed mutare locum, & sub dio carpere somnos
Iuuit, & huc illuc noti per deuia montis
Omnia formosæ vestigia quærere amicæ.

*Ipse ideo, placitum cumprimum aspexeris hostem,*
*Eia age, solue canes: nec tu tua tempora differ*
*Venandi. neque enim est illis mora tuta diebus.*
*Verum id præcipuè semper meminisse decebit,*
*Siue impressa solo bis. dæ vestigia plantæ,*
*Siue humili, seu tu specula sublimis ab alta*
*Pascentem obseruas, gelidæ ne forsitan auræ*
*Flamina ab aduersi venientia cardine cæli*
*Contingant subito nares tepefacta vapore,*
*Et magna admoneant instare pericula leti.*
*Ipse Deum genitor, postquam terramque, fretumq;,*
*Aetheraque immensum, totumque creauerat orbem,*
*Cunctaque miscuerat non vno semine rerum,*
*Ilicet alitibus dedit aera, piscibus æquor,*
*Quadrupedum generi syluas concessit habendas:*
*Jussit & incertæ lumen decurrere vitæ.*
*Et tamen haud dubijs conclusit finibus æuum.*
*Cuius vt extremas possent contingere metas*
*Omnia, & angustæ complerent tempora vitæ,*
*Robore apros, cursu lepores, virtute leones*
*Armauit, magnaque dedit feruescere in ira.*
*Hinc lupus insidijs, serpens hinc atra veneno,*
*Et vulpes morsu. & cornu bos pugnat adunco,*
*Jnque hostem calamos hystrix iaculatur acutos,*
*Sæuit & horrenti tergo contectus echinus:*
*Vtque artes possent hominum vitare, dolosque,*
*Ille quidem rebus varios infudit odores,*
*Vnde fluens nareis voluat se fluctus ad acreis*
*Eminus, haud vno dirimens discrimina sensu:*

*Quæ mox occulto secum tepefacta calore*
*Aura tulit: cessere fuga, notumque repente*
*Deseruere nemus, seq; in densissima lustra,*
*Lustra oculis hominum, & latrantum imperuia turbæ,*
*Abdiderunt: nulla ad latebram vestigia ducunt:*
*Et rediit vacuus mæstas venator ad ædeis.*
*Hoc metuens, cæli tractus & flamina serua:*
*Vnde fluant tenues auræ: quo mane repentes*
*Aera per vacuum vento diffentur odores.*
*Forsitan & qui sit vesti color aptus habendæ*
*Scire velis. illum ante omnes legere volentes,*
*Quem nemorum assimilem frondi pro tempore norunt.*
*Seu viridis, seu pullus erit, seu tectus eburneo,*
*Seu ferrugineo mærebit lucus amictu.*
*Tum, tibi si libeat. pecudum genus omne ferarum*
*Tutus, & immites apros speculare, luposque.*
*Horum etiam certis olim vestigia signis*
*Horrenteis latebras, & cæca cubilia prodent.*
*Secessusque omnes & pabula. namque aper ingens,*
*Quique adeò quarti spatiis iam proximus anni*
*Vidit inardentem Taurum ter lumine Solis,*
*Demittit latæ in solidum vestigia plantæ*
*Altius, obductoque adigit calcanea callo,*
*Inque volutabris syluarum, imisque lacunis*
*Corporis ingentis ingens apparet imago.*
*Quin vbi consueuit teneras depascere glandeis,*
*Castaneasque nuces, balanumque, & cerea pruna,*
*Demissamve altis potare canalibus vndam,*
*Aut filicum fibras rostro rimatus obunco*

Effodere, & pingueis populari occultus aristas,
Prosubigit terram pedibus, fricat arbore costas,
Horrentes setis costas, & turpia multo
Terga luto, durosque acuit nunc cortice dentes,
Nunc nemus vmbriferum diuulsis vndique ramis
Spargit humi, & summis passim dat vulnera truncis.
Atque hæc quò magis alta absunt à stirpibus imis
Indicia, atque notæ, tanto procerior omni
Corpore terga gerit lato sublimia dorso,
Armaque venantum tanto minus obuia vitat.
Idcirco notum quamquam præsensit odorem,
Hostilesque globos sylua conspexit in alta,
Serus abit tamen, & certum petit inde cubile,
Vsque adeò fidens animi præ se omnia temnit.
Quòd si forte genus venaberis acre luporum,
Continuò hoc maribus distabit fœmina signo.
Nam primi prælonga pedis vestigia tendit,
Prælongosque manus digitos insertat acutis
Vnguibus, inter se quorum coit ordine nullus.
Signaque inexhausti linquit graueolentia ventris,
Æquam vbi vtrinque viam medius discriminat agger.
Ille autem extrema plerumque in tramitis ora
Relliquias iecisse cibi solet. inde rotundis
Signat humum pedibus. digitosq; ostendit obesos,
Hærentes simul, atq; obtusis vnguibus aptos.
Verum age, carminibus quando non omnia nostris
Permittunt Phœbi dulces audere sorores,
Cunctarumque adeò vestigia nosse ferarum
Possumus, & simileis lustra indagare per artes,

Disci-

*Discite, venandi quoscumque habet impiger ardor,*
*Multiplices tereti laqueo coniungere nodos,*
*Et lento in primis pedicas contexere neruo.*
*Ipsa autem in plures ferro discindire partes*
*Retia: quæ viridi, nigrove infecta colore*
*Deliteant, fugiantq; oculos inuisa ferarum.*
*Commodius namque ista ferent iumenta, locisque*
*Omnibus apta magis passim posuisse licebit.*
*Præterea cum Vere nouo Sol suscitat herbas,*
*Et nemora vmbrosa vestit densissima fronde,*
*Quà vallis depressa patet, quà collis opacat*
*Multus humum, & multa viridis tegit ilice terram,*
*Contexe in longum sepes, vallosque, sudesque*
*Multiplices, interque cauo dabis ore fenestras,*
*Queis nodo implicitis auersi à limine portæ*
*Adduntur teretes laquei, finemque sub ipsum*
*Retia, quæ sese sinuosa in brachia flectant*
*Vtrinque, & latè spatium amplectantur inane.*
*Namque feræ interdum, perspecta fraude, doloque,*
*Præcipitem rectà pergunt contendere cursum,*
*Sepemque à læua, dextrave à parte relictam*
*Euadunt, celeriq; fuga spatia intima verrunt.*
*Ac, nisi transuersis teneantur retibus, omnes*
*Insidiasque, artesque, & cæca pericula vitent.*
*Quare alij, quà se properant coniungere sepes,*
*Quattuor oppositis inter se frontibus altas*
*Obcæcant stipulis, & multo gramine fossas.*
*Quarum alijs aliæ patulos ducuntur in orbeis:*
*Et circumseptus ramorum texitur ordo:*

Deprensa ne fraude labor cadat irritus, omnemque
Eludat venantis opem male callidus astus.
Tum media extantem fouea defigere palum
Consuerunt, durisq; agnam vincire capistris,
Quæ misera insomnem balatum exerceat, & se
Desertam doleat tenebris sub nocte silenti.
Audita nam voce, feræ, quas triste fatigat
Ieiuna ingluuies vix vmquam explebilis alui,
Lustrabunt septum: quòd si non vlla patebit
Ianua, contextus sepes, prætentaque saltu
Transilient claustra, & fouea excipientur inani.
Sunt qui letalem medicatis frugibus offam
Obijciant passim, vitreus quà labitur amnis:
Aut altæ è quercu suspendant viscera, & vncos
Includant, quos assiliens fera deuoret hamos:
Et meritas leto scelerum luat improba pœnas:
Dum se agit, & frustra luctatur in aere pendens,
Et præbet iuueni spectacula grata latenti.
Quin & dentatos laqueis currentibus orbes,
Ferrea quos tantos coniungit lamina in vsus,
Exponunt aptos veteris radicibus orni,
Quà nocturna auida crebrò lupa præterit aluo,
Aut vbi fusa iacent cæsæ intestina iuuencæ,
Et turpi rorant tabo sentesque, viæque.
Illic & stipulis tectos, & frondibus abdunt,
Et frusta adijciunt loro religata tenaci.
Vtq; iacent, vtque ore feræ correpta trahuntur,
Ferrea contectos extollit lamina dentes,
Ilicet & valido comprendit forcipe collum.

Quamque magis nodos, & ferrea vincula, & hamos
Effugere, ac magno comprensa euadere nisu
Tendit, & aduersæ frustra obluctatur arenæ,
Tam magis apprensis impingitur æneus vncus
Faucibus, & miseræ conatum eludit inanem.
Præterea quinas longè diductus in vlnas
Defoditur puteus: pedibus non altior octo;
Effera quà potum veniunt animalia: vel quà
Concubitus miscent varios, iunguntque Hymenæos,
Et passim secura locis syluestribus errant.
Tum cretaque, lutoq; linunt latera omnia circùm
Intus: & è leui componunt marmore murum,
Deciduaque aditum præcludunt crate patentem,
Frondentem & syluam spargunt, herbasq; virentes.
Quod superest terræ, procul à foueaque, locoque
Asportant, ne fortè sagax præsentiat illic
Occultamque scrobem, nodosque ad dura paratos
Munia, & hærenteis vtroq; in margine clauos.
Sunt & multiplices laqueis curracibus vsus.
Namque hos aut foueis, aut cæci in limine callis
Occultant, vnde illa aditum ad pecuaria quærunt,
Mox innexa pedem sublimi è margine pendens.
Quæ nam autem, ô Musæ, vis, atque industria primum
Prodidit auctorem? nobis qui tradidit artes,
Fraudesque, insidiasque nouas, penitusq; nocendi
Mille vias? neque enim syluas sine numine Diuûm
Credendum, & magnos saltus tentasse priores.
Alma Venus quondam, iuuenis cum fleret Adonis
Crudeles obitus, dirum execrata ferarum

*Omne genus, crinesque manu lacerata decoros,*
*Venatricem altis Dictynnam adijsse sororem*
*In syluis, gemitusque imo de pectore ducens*
*Dicitur vltrices supplex petijsse sagittas.*
*Tunc Diana suæ tristes miserata querelas*
*Germanæ (ceu fama) nemus circundare raris*
*Cassibus, & vigili saltum oppugnare corona,*
*Molirique dolos magnorum ad lustra leonum*
*Edocuit. nam summa prius per culmina Pindi*
*Errabant homines, artisque, atque omnis egentes*
*Consilij, sed tantum armis & robore freti.*
*Prima igitur facileis cupidis venantibus ipsa*
*Ostendit Dea magna vias. Hinc mille secuti*
*Heroes inuenta suos docuere nepotes,*
*Et pedicas damis, laqueosque innectere ceruis,*
*Scilicet & rabidos includere sentibus vrsos,*
*Et latera & fauces volucri transfigere telo,*
*Effusique sequi vestigia certa cruoris.*
*Tum quoque monstratum, facili caperentur vt astu*
*Impune: & tutus nemorum iam redditus vsus,*
*Et variæ syluas patuere obeuntibus artes*
*Venandi: seu flammato iam noxius æstu*
*Sirius excoqueret segetes, seu Bruma niuali*
*Cana gelu Boreæ diras immitteret auras.*
*Vel te igitur leporum, vel te delectat aprorum*
*Acre genus, ceruosque iuuat captare luposque,*
*Imbellesque inulos, animisque audacibus vrsos,*
*Arte magis fuerit, validis quàm viribus vsus.*
*Continuo (sunt hæc castæ documenta Dianæ,*

Quamque magis nodos, & ferrea vincula, & hamos
Effugere, ac magno comprensa euadere nisu
Tendit, & aduersæ frustra obluctatur arenæ,
Tam magis apprensis impingitur æneus vncus
Faucibus, & miseræ conatum eludit inanem.
Præterea quinas longè diductus in vlnas
Defoditur puteus pedibus non altior octo,
Effera quà potum veniunt animalia: vel quà
Concubitus miscent varios, iunguntque Hymenæos,
Et passim secura locis syluestribus errant.
Tum cretaque, lutoq; linunt latera omnia circùm
Intus, & è leui componunt marmore murum,
Deciduaque aditum præcludunt crate patentem,
Frondentem & syluam spargunt, herbasq; virentes.
Quod superest terræ, procul à foueaque, locoque
Asportant, ne fortè sagax præsentiat illic
Occultamque scrobem, nodosque ad dura paratos
Munia, & hærenteis vtroq; in margine clauos.
Sunt & multiplices laqueis curracibus vsus.
Namque hos aut foueis, aut cæci in limine callis
Occultant, vnde illa aditum ad pecuaria quærunt,
Mox innexa pedem sublimi è margine pendent.
Quæ nam autem, ò Musæ, vis, atque industria primum
Prodidit auctorem? nobis qui tradidit artes,
Fraudesque, insidiasque nouas, penitusq; nocendi
Mille vias? neque enim syluas sine numine Diuûm
Credendum, & magnos saltus tentasse priores.
Alma Venus quondam, iuuenis cum fleret Adonis
Crudeles obitus; dirum execrata ferarum

*Omne genus, crinesque manu lacerata decoros,*
*Venatricem altis Dictynnam adijsse sororem*
*In syluis, gemitusque imo de pectore ducens*
*Dicitur vltrices supplex petijsse sagittas.*
*Tunc Diana suæ tristes miserata querelas*
*Germanæ (ceu fama) nemus circundare raris*
*Cassibus, & vigili saltum oppugnare corona,*
*Molirique dolos magnorum ad lustra leonum*
*Edocuit. nam summa prius per culmina Pindi*
*Errabant homines, artisque, atque omnis egentes*
*Consilij, sed tantum armis & robore freti.*
*Prima igitur facileis cupidis venantibus ipsa*
*Ostendit Dea magna vias. Hinc mille secuti*
*Heroes inuenta suos docuere nepotes,*
*Et pedicas damis, laqueosque innectere ceruis,*
*Scilicet & rabidos includere sentibus vrsos,*
*Et latera, & fauces volucri transfigere telo,*
*Effusique sequi vestigia certa cruoris.*
*Tum quoque monstratum, facili caperentur vt astu*
*Impune: & tutus nemorum iam redditus vsus,*
*Et variæ syluas patuere obeuntibus artes*
*Venandi: seu flammato iam noxius æstu*
*Sirius excoqueret segetes, seu Bruma niuali*
*Cana gelu Boreæ diras immitteret auras.*
*Vel te igitur leporum, vel te delectat aprorum*
*Acre genus, ceruosque iuuat captare lupósque,*
*Imbellesque inulos, animisque audacibus vrsos,*
*Arte magis fuerit, validis quàm viribus vsus.*
*Continuo (sunt hæc castæ documenta Dianæ,*

Et magnæ præcepta Deæ) quò montibus altis
Expertes omnis iuuenes discriminis apros
Venentur, duris concludunt vepribus agrum,
Deducuntque altam, quà panditur area, fossam,
Ingressumque vna linquunt à parte patentem:
Effunduntque cibum glandes, atque arbuta passim,
Dum niueos gestant humeros, incanaque menta
Intonsi montes, & gramina cuncta rigescunt,
Aut nondum in lucem fructus se Vere dederunt.
Huc quoniam suadente fame grex omnis aprorum
Descendunt, vnaque trahunt natosque, nepotesque,
Effusumque auidi populantur glandis aceruum.
Consurgit tum venator, raptoque veruto
Occupat ingressum caueæ, & clamoribus altis
Perculsos animo subitus deterret: at illi
Quà depressa iacent humili spineta corona,
Transiliunt incompositi, subitoque ruentes,
Inque sinum foueæ cuncti labuntur apertum.
Quid? qui fœcundi suadente cupidine quæstus
Obcæcat scrobibus terram, & frondentibus vlmis.
Deinde viam munit, aditu quæ lata patenti
Non animaduersa claudit diuortia fraude,
Parietibusque intexta suis, sensimque recedens
Angusta efficitur magis ac magis, aggere donec
In medio mediam complectitur abdita fossam.
Mox aperit sese rursus, quò certior ipso
Prospectu addatur spes, & fiducia vitæ,
Dum fugit, & cursu rapidè petit acta salutem
Cerua, vel horrificis longè sus concita setis.

Quid?

Quid? qui transuersam veteri super ilice ponit,
Quà primum incipiunt trunco se fundere rami,
Antennam, quæ parte grauis propendet ab vna,
Parte leuis laqueos nodorum innectit, humiq;
Prona reclinatur, noctu quà bellua gressus
Fertque, refertque suos, medijs in saltibus ille
Pendentem pedibus spectauit in aere prædam.
Ille feras, si quas libuit cepisse sequendo,
Abstulit, & lætas portauit tutus ad ædes:
Et dapibus mensas persæpe onerauit inemptis.
Ergo etiam multi longo crepitacula funi
Aenea, tinnitu longè resonantia acuto,
Adijciunt: segetemque super, campumque virentem
E manibus suspensa ferunt. quo sæpe timore
Præcipitent celerem lepores in retia cursum:
Retia quæ milio, viciæve obducta recenti
Arguto excipiant sonitu, & clamoribus actos.
Sed tibi quot fraudes, quot sint artesque, doliquè,
Insidiæque, olim pubes quibus vsa, rapaces
Venaturq; feras, prædaque incedit onusta,
Ipse ego non vllis comprendere versibus ausim.
Verum hinc digrediens, quò tutior horrida lustres
Antra, & inaccessi nemorosa cacumina Pindi,
Expediam assiduus quæcunque probauerit vsus
Arma, vel ætatis certa experientia nostræ:
Queis sine felici nunquam tetigere ferarum
Euentu audaces malè tuta cubilia dextræ.
Arcus, & incultis primum contecta pharetris
Spicula, Amazoniasque acies tutata securis:



Quæq;

Quæque Ferentinæ minitantur vulnera falces
Roboribus:solas cum iam frondator ad auras
Dulce canit teneræ deceptus amore puellæ.
Scilicet illa legit cana lanugine mala,
Agrestique suas solatur carmine curas
Crudelis,miserumque animi aspernatur amantem.
Nec desint duræ sinuato vertice clauæ,
Quæ leporis cursum iactæ compescere suerunt.
Ac tibi præcipuè geminis hastilia furcis
Armentur,latoque etiam venabula dente,
Quæ tantum in ternas protenta haud amplius vlnas
Non vrsi,rapidive sues confringere possint.
Ligna ferunt myrtus,nequid cuncteris,agrestes
Optima,& Ismarij nutritæ in vallibus Hebri
Cornusque & taxi.at Cybeleia pinus,& orni
Ne fallare,dabunt fragiles ad prælia contos.
Præterea horrendis Chalybum formata metallis
Machina,quæ magni tonitrus imitatur Olympi,
Fulguraque,& summa si quando fulmen ab arce
Torquet agens,nubesque atra caligine findit
Iupiter,& tremefacta solo stupet inscia tellus,
Hanc non Ætnæos vasta sub rupe Cyclopas
Informasse ferunt:procerum non arte priorum
Inuentam, Alecto Stygijs sed nuper ab oris
Extulit infandam cladem mortalibus ægris.
Quoque magis longus tereti spiramine truncus,
Certior hoc fundet conspectum in montibus hostem.
Præsertim arenti si puluere plenus ab ore
Expulerit plumbum,cum primum admoueris ignem.
Idcirco

*Idcirco coryli fragiles ex arbore ramos*
*Decerpunt, circumque libris, & cortice nudant,*
*Suspenduntque focis, & multa æstate relinquunt*
*Solibus expositos. namque is calor attrahit omnem*
*Humorem, flammæque relinquitur vtile lignum.*
*Hinc clausos circùm incendunt: & nulla relaxant*
*Spiramenta, nouum quà molles aera prunæ*
*Excipiant, tacitè dum se consumere pergunt.*
*Tum Macedum nitra, et graueolentia sulphura miscent,*
*Tormentumque ingens siccato puluere replent,*
*Et liuentem addunt baccam: quæ protinus igne*
*Acta ruit: tremit omne nemus, vallisque profundæ*
*Sylua tonat, fugiuntque imo Neptunia ponto*
*Armenta, & vitreum caput occulit Amphitrite.*
*Quid si Pharsalicas cupiat gestare sarissas,*
*Fraxineasque sudes, & acutæ cuspidis hastas*
*Venator, quò fundat aprum, fuluumque leonem*
*Magnanimæ inuicto confisus robore dextræ?*
*Ceu quondam in syluis, & lustra per auia, quà se*
*Eridanus flauis prouoluit in æquor arenis,*
*Ibat in immites summis cum viribus vrsos,*
*Fundebatque ruens animis immanibus apros,*
*Italiæ Medices columenque, & gloria gentis.*
*Quamquam illum persæpe etiam conterritus hostis*
*Sensit confertas hasta perfringere turmas:*
*Dum procul audaces auertit sæuus Iberos:*
*Dum longè à nostris Gallos regionibus arcet*
*Vltor atrox, cumulatque neces, & funera victor.*
*Aerio veluti montis de vertice saxum*

Cum ruit auulsum tonitruque, & fulmine, praeceps
Decidit, & syluam secum voluensque, trahensque
Sternit humi: reboant saltus, vallesque profundae,
Atque armenta omni cedunt exterrita luco:
Ingentisque procul sonitum mirata ruinae
Pastori agglomerant: pauidis ille auribus adstans
Insolitum abrupti montis stupet vsque fragorem.
Ergo ipsi miseras rumpentes questibus auras
Ausonij, Ausonidesque nurus ad sidera palmas
Sustulerunt, lachrymisque sinus, atq; ora rigantes
Funditus amissae spes abiecere salutis,
Percussus iacuit cum fulmine maximus heros,
Cum spoliata suo lugeret Hetruria nato,
Maestaque subtraheret cunctis laeta vbera tellus
Arboribus, nullo cum gramina rore maderent,
Vreret & rigida caelum sata culta pruina.
Nec mirum. namque vnus erat, quo vindice tellus
Itala praeteritos olim repararet honores:
Et sua victrici post plurima secula lauro
Tempora circumdans non deploraret auorum
Amissam virtutem armis, & fortia facta.
Inde igitur fusis summo de vertice canis
Defleuit iuuenem crudeli funere raptum
Thyrrenus pater: atque orae regnator Hetruscae
Caeruleum flauo Tybris caput abdidit alueo,
Dum se ipsum, inuersasq; vices miseratur, & odit.
Nec multo infelix duram post tempore cladem
Illatam Latio, Latio (pro dedecus) ipsi,
Ingemuit, Medicemque sua ter voce vocauit.

Ac tum præcipuè, sæua cum compede vinctum,
Atque ipsos precibus Superos in vota vocantem,
Plangentemq; genas palmis, gemitusque cientem
Aspexit patrem, qui præsidet arbiter orbi,
Et cæli reserare potest & claudere portas.
Prò scelus, & labes nullis abolenda diebus,
Non potuit longæua senis venerabilis ætas,
Non pietas, cultusque vllus, non infula sanctam
Canitiem complexa acies prohibere nefandas,
Quò minus aggressæ in terris hominemque, Deumque
Diriperent, durisque onerarent colla catenis.
Tempore quo salsi Tyrrheno ex æquore fluctus
Vorticibus rapidis sese effudere per agros:
Infandum, cunctasque imo sub gurgite naues
Illisere vadis, siccoque in littore phocas,
Monstraque præteritis non vnquam cognita seclis
Eiecere orbi dirum minitantia bellum.
Et pater Eridanus concreto sanguine fluctus
Miscuit, & turpes fudit de vertice canos,
Plurimaque Adriacas deuoluit corpora in vndas,
Atque ea funestis lachrymans contexit arenis.
Non Arnus, quamuis cælo gratissimus Arnus,
Continuit tristes vdo sub fornice luctus.
Quin miser incanamq; comam, barbamque madentem
Discidit, atq; ipsum miserando in funere pectus
Contundens palmis, crudelia compellauit
Numina, & agrestes iussit procul ire Napæas.
Dumque adeò irarum cunctas effundit habenas
Aggeribus ruptis, & pleno spumeus alueo

*Exit & aerias imis radicibus vlmos*
*Euulsas rapidus secum trahit, aruaque vastat,*
*Et circumfusos rapido submergere campos*
*Amne parat. seque Æolijs æquare procellis.*
*Nec minus insolitos tellus dedit vndique motus,*
*Plurimaque irato ceciderunt fulmina cœlo:*
*Aruerunt que rosæ, violæque, & florida Tempe,*
*Et syluis cecidere comæ, tellusque dehiscens*
*Oppidaque, & varijs regionibus obruit vrbes.*

# PETRI ANGELII BARGAEI CYNEGETICON

## *Liber secundus.*

*NVNC age, quæ nemorum latos gens effera saltus*
*Incolat, & noctu pallentes ruminet herbas,*
*Hostemque aduerso cornu petat, & sola terræ*
*Signet agens pedibus vestigia pressa bisulcis,*
*Hæc quoniam curæ surgit pars altera nostræ,*
*Exequar, & primum mores cuiusque docebo.*
*Huc ades ò, priscos cui læta Hetruria fasceis*
*Instituit, trabeamque dedit, sellamque curulem,*
*Atque renascentis monimenta insignia regni*
*COSME: nouum tibi surgit opus: tibi maxime carmen*
*Assonat, & pedibus spargit tibi taurus arenam.*
*Huc ades, & mecum quà se nemora inuia densant,*
*Ingredere, & cœptum, quoniam potes, omine firma.*
*Hinc olim Heroes, Diuûm genus, aurea proles*

Quæsiuere sibi nullo interitura sub æuo
Nomina, & æternam meruere in secula laudem,
Phillyrides Chiron, Larissæusque Machaon,
Amphiaraus & Iasion, fratresque timendi,
Cæstibus hic, ille alter equis. eademque secuti
Hæc studia, has artes duros vicere labores,
Et grati generique hominum, Diuùmque fuere,
Melanion, Peleus, Telamon, Podalirius, Aegeus,
Et cum Pirithoo Nestor, Theseusque, Dryasque,
Quique errore malo patris, furijsq. nouercæ
Interijt, vixitque iterum reuocatus ab Orco
Hippolytus, magnæ gratissima cura Dianæ:
Caneusque, Hexadiusque, & par Superis Polyphemus,
Et Meleager, & ipse expers terroris Achilles,
Mnestheusque, atque Asiæ regnorum euersor Vlysses.
Hinc quoque tempus erit cum te, tuaque inclyta facta
Posteritas mirata colet, nostramque vocabit
Felicem ætatem. felicia secula, quæ te
Præsidiumque, decusque orbi genuere ruenti.
Nec mea, si letum fas est vitare canendo,
Si promissa manent magnorum haud irrita vatum,
Atque hæc Parnasso è summo non ridet Apollo,
Musa, adeò breuibus quòd tantum intexere chartis
Sit nomen conata, sua tum laude carebit.
Quamquam etiam posthac, vitæ modo suppetat vsus,
Dicam acies, actasque manus in funera, dicam
Gallorum tepido manantes sanguine riuos,
Quà Glanis oblimat flauentia messibus arua.
Syluestres igitur iamprimum inuadere tauros

Audeat

*Audeat inuicto iuuenis mihi robore, & antra*
*Ingressus nemorum latebras scrutetur iniquas.*
*Hic, quos maiores vno de nomine sueti*
*Appellare boues, dura se caryce pascunt,*
*Inque hostem rigida meditantur prælia fronte.*
*At diuersa tamen perhibent genera esse, neque vnos*
*Ingenij mores, sensusve in pectore eosdem.*
*Namque alij, densis quà se Germania syluis*
*Implicat, & circum multa tegit ilice terram,*
*Omnia persimiles tauris faciemque, coloremque,*
*Et mentum, & pronas camuris sub cornibus aures*
*Nascuntur: proprioque vros de nomine dicunt.*
*Hoc tamen inter se distant, quòd corpore vasto*
*Vix cedunt magnis, quos India fert, elephantis.*
*Ergo aliquem stantem, aut gressum si forte mouentem*
*Aspicias, nauem esse putes: quæ Cycladas inter,*
*Siue Rhodon, siue illa Paron, siue ardua Deli*
*Saxa legit, portuve hyemis secura quiescit.*
*Non illi immensas vireis, cursusq; volucres*
*Natura inuidit, diris non effera factis*
*Pectora, non sæuos audaci in corde furores.*
*Nam simul atque aliquem nota intra pascua cernit:*
*Exilit, & magnos irarum suscitat æstus.*
*Et procul inspectum præceps ita fertur in hostem,*
*Vt sæpe annosas frustra diuerberet ornos*
*Ictibus, & frondes, aurasque lacessat inanes.*
*Sit quicumque autem seu vir, seu fœmina, nulli*
*Parcit, & haud vsquam furias discriminat ætas.*
*Hos pubes generosa, Albim, Rhenumque, Lycumque*

Quæ colit, & gelido Septem subiecta trioni est,
Perquirit studio ingenti, foueisque profundis
Excipit, & lapsos sudibus, contisque trucidat:
Cornuaque in gyrum latè coeuntia summis
Præfigunt valuis: aut, quæ non vltima laus est,
Exponunt populo, aut lento ducunt argento.
Hæc quondam regumque epulas, mensasque potentum
Ornant, & cunctis latè spumantia fundunt
Vina, vltrò dum se inuitant, dum pocula quisque
Haurit, & exultans pleno se proluit auro.
Haud illi, quàmquam primis capiuntur ab annis,
Mansuescunt, animosque feros deponere norunt.
Sunt alij rursus, quorum à ceruicibus horrens
Cæsaries pendet, quæ colla per ardua ludit,
Ac latè diffusa feros circumtegit armos.
Bistones his nomen primi fecere: suaque
Dixere à patria mutata parte Bisontes.
Præterea frons lata patet: depressa superne est:
Ima, superciliis quà se coniungit vtrisque,
Tota tumet, naresque iugo despectat ab alto.
Lingua subest angusta palato, atque aspera, tanquam
Lima vorax, quæ saxa terit, quæ sæpe cruorem
Elicit. ille autem ruptis fluit vndique venis.
Vergit humi facies, paulumque reflexa tuentur
Cornua setosos villis horrentibus armos,
Non secus atque hami, præacuta, & commoda pugnæ.
Quippe quibus, medio dum Mars ferus omnia miscet
In nemore, atque altis reboat mugitibus aer,
Cum sessore suo sublimis in æthera sæpe
Tollitur

*Tollitur acer equus: ſpatiumq́ue effuſus in amplum*
*Calcitrat, & crebris tenues petit ictibus auras.*
*Ceu, cum Demoleon, atque Eurytus aſper, & Imbreus*
*Pirithoi, Theſeiq́ue manu cecidere bimembres.*

*Nec minus Aonios armant ſua cornua tauros*
*Singula, & à noſtris diſcriminat vngula bubus;*
*Quiq́ue adeò multi diſtinguunt terga colores.*

*Quid? quos Aethiopes mittunt? quos Caucaſus ingens*
*Paſcit, & haud tergus ferro penetratur ab vllo*
*Duratum hybernæ glaciali frigore brumæ.*
*Nulla illos mites cura, obſequioq́ue magiſtri*
*Fecere, & nullas vnquam domuere per artes.*
*Excepti foueis, quas deduxere, profundis*
*Paſtores, quò tuta ſuis armenta vagentur*
*In ſyluis, tantas acuunt mugitibus iras,*
*Vt, quamquam nullo transfixi vulnere corpus,*
*Illic eſſe tamen, dulcemq́ue relinquere vitam*
*Sponte ſua, quàm ferre iugum, dominisq́ue ſuperbis*
*Parere intorto exagitati verbere, malint.*
*Cornua prætereà (dictu mirabile) vt aures,*
*Sponte mouent: eadem ſcopulo ceu fixa minaci*
*Intendunt, quoties in pugnam, atque arma feruntur.*
*Lumina cæruleo ſunt circumfuſa colore:*
*Triſte rubent ſetæ, quibus vndique tergus, & armi,*
*Oraq́ue, ceu fuluo ſplendent contecta metallo:*
*Ac præter moremq́ue boum, ingeniumq́ue, ferino*
*Aſſueti victu frondem aſpernantur, & herbam,*
*Lætaq́ue, quæ riuos inter violaria florent:*
*Viſceribus tepidis ſaturant, & ſanguine fauces:*

*Venan*

Venanturque ideo, quæcumque animalia lucos,
Fluminaque alta colunt, quæ se de vertice fundunt
Caucaseo; & Gangem tumefactum fluctibus augent.
At non; Dannubio tellus quos proxima gignit,
Inflexum sæui gestant vbi Pæones arcum;
Contectosque gelu pulcher secat Axius agros,
Cornibus, ancipiti quæ sint accommoda pugnæ,
Armantur, fœtusq. suos de more tuentur.
Quandoquidem molli sese flectentia gyro
Concludunt medias versis mucronibus aures,
Nigra quidem, sed quæ grato splendore morentur
Venatorum oculos; multosque secentur in vsus.
Ornat colla frequens nec non prolixa iubarum
Cæsaries, quam præpingui ceruice nitentem,
Stringentemque genas, & pectus advsque fluentem
Spadices, cineresque inter color inficit: vt, cum
Obductum tenui squalet rubigine ferrum.
Lana subest mollis: tum sese corpore toto
Explicat, & flauum villus tegit vndique tergus.
Pæones hoc medijs persæpe in montibus vsi,
Postquam illum foueis, vel iniquo vulnere tardum
Cepere, & verubus fixum imposuere salignis,
Discumbunt septem, & conuiuia grata frequentant.
Ipse adeò innocuus, nullo vt defendere telo
Se queat. Vna salus superest fuga, calcibus & si
Verberet vrgentemque hostem, catulique sequentis,
Proluuie fusa ventris, vestigia adurat.
Qua se etiam, tanquam valido munimine valli,
Includunt, quoties instat iam tempus, & omnes
Pabu-

Pabula nota petunt pariturae in montibus altis.
Nam saeuas his saepe feras procul artibus arcent,
Tutanturq; suos foetus, prolemque nepotum.
Possum etiam tibi multa boum narrare ferorum
Et genera, & formas: quales, qui flumina propter
Aegypti superare niues candore feruntur,
Et placidos miti gestare in pectore sensus.
Possum illos, multo pascit quos gramine Xanthus,
Et Phrygij colles. flauo quibus ima colore
Crura nitent, flammisque auro rutilantibus armi,
Collaque, quae pingui ceruice tumentia fulgent,
Inque globum terga, vt sublime in monte cacumen,
Ardua consurgunt, & vtraque à parte mouentur
Cornua, nec lassas non demittuntur ad aures.
Sunt alij, quorum magni prope flumen Orontis
Plurima Pellaeis armenta vagantur in aruis.
His nec pulchra magis, nec fortia pectora bello
Esse, nec, ereptos sibi quae indignentur honores,
Vlla solent. ineunt magno cum robore pugnam,
Et sparsa irritant pedibus certamen arena.
Qualis agros Macedum vastabat taurus opimos,
Quos cum se Ambracias infert Achelous in oras,
Quos celer Euenus, gelidus quos irrigat Hebrus,
Asopusque minax, Strymonque interstrepit vnda.
Quin etiam spirans conceptas pectore flammas
Pulsabat pedibus circum sola culta bisulcis,
Cornuaque infestis mucronibus apta gerebat.
Cumque adeò primos in praelia dira cieret
Mugitus, non vlla loco se tuta putabant,

*Quæ lucos, altásque colunt animalia syluas.*
*Nec minus, armorum studio flagrare iuuentus*
*Quæ solet, & certis animas offerre periclis,*
*Ingenti perculsa metu, atque ignaua iacebat.*
*Hanc Diana olim populis immiserat illis*
*Dura luem, atque omnes populari iusserat agros,*
*Oppidaque Aemathiæ, semperque virentia Tempe.*
*Namque ferunt epulis quondam, festisque Deorum,*
*Quæ soliti iuuenes passim iam Vere propinquo,*
*Atque inter choreas lætæ celebrare puellæ,*
*Præteritam cunctas irarum effundere habenas.*
*Quas vltura feram Syrijs emiserit oris*
*Immanem, Macedumque diu vastauerit agros.*
*Ergo ipse infandam cladem miseratus Enipeus,*
*Dum fluit, & segni pulchrum caput exerit alueo,*
*Amphitryoniadem supplex in vota vocauit.*
*Si te (ait) indomitæ nunquam mouere nouercæ*
*Monstra: neque horrifici Nemeæa in valle leonis*
*Inuictæ vires, celeri si Cressa sagitta*
*Prodigia, & Lernæ mactasti interritus anguem:*
*Da pater hoc tandem portentum occumbere telo.*
*Audijt Alcides: iaculumque intorsit in hostem,*
*Dum furit, ac sæuum medio in certamine Martem*
*Suscitat, & miseram prosternit in agmine turbam.*
*Saucius accepto letali vulnere taurus*
*Procubuit: multoque animam cum sanguine fudit.*
*Vestibulum ante Dei tergus dein multa pependit*
*Secula, et ingentis immania cornua monstri*
*Postibus aduersis viderunt fixa nepotes.*

*At Libyæ saltus paruo dant corpore tauros,*
*Sed celeres, atraque pares formidine ceruis.*
*Quos licet & iaculis iuuenes, cursuque fatigent,*
*Haud tamen, exhaustos multo nisi membra labore,*
*Languidus effœtos cum creber anhelitus artus,*
*Aridaq; ora quatit (quamquam seu cursus equorum,*
*Siue canum timidos vrget) cepisse feruntur.*
*Quin etiam cum iam fortes, acresque Molossos,*
*Aequantesq. fugam, tum terga extrema prementes*
*Aduertunt, nullamq. sibi superesse salutem:*
*Abdunt se taciti in syluas, quibus vnus, & alter*
*Corpore succedit, facieq. simillimus ipsa.*
*Isq. alacer cursu se proripit: atque ita fratrem*
*In medio seruat versantem turbine leti.*
*Si tamen imbellem quisquam capere ante iuuencum*
*Quiuit, & indomita vinctum ceruice reliquit,*
*Grex vbi odoratas nemorum depascitur herbas:*
*Sæpe etiam abducit tenera cum prole parentem.*
*Namque ea dum gnato miserata exoluere vincla*
*Nititur, & cornu duros incidere funes,*
*Implicat intorto sese malè sana capistro.*
*Nec minus & Libye genitrix fœcunda ferarum*
*Mittit Opisthonomos, quos Græcia nomine dixit,*
*Quòd retro cedente gradu viridantia carpunt*
*Gramina, & extensis pascunt ceruicibus herbas.*
*In terram quia cùm pendentia cornua vergant,*
*Contingunt nares, atque vtraq; lumina celant.*
*Quin &, Caucaseo quà se de vertice præceps*
*Oxus, & in campos bis denis amnibus auctus*

Indus agit, valido bos corpore naſcitur. Illi
Undique robuſtos ater color inficit artus.
Cornua in anfractus, atque internodia duci
Haud praeacuta, ſed obtuſis mucronibus ipſa
Spectare in ſeſe, curuataque vergere ad aures
Tota ſolent, duris tum frons riget horrida ſetis,
Et denſa ceruix pingui diſtenta, caputque
Ingens, & toruo ſub lumine rictus aduncus,
Dura cutis, rarusque ingenti in corpore villus.
Non ille in pugnam cornu confiſus acuto
Deſcendit: genibus proſtratum, & cruribus hoſtem
Proterit, & fiſſa contundit corpora planta.
Hoc, olim extremos cum ſe Saturnus ad Jndos
Conferret, pulchramque vltrò Oceanitida adiret,
Fretus in aequoreas ſeſe Deus intulit vndas,
Nereidumque domos tacitus luſtrauit, & antra,
Antra exeſa mari, & ſcabro pendentia topho.
Cumque adeò regno pulſus Iouis arma timeret,
Huius terga premens, humerosque tenacia rupit
Vincula, & Heſperias abijt ſecurus ad oras.
Cuius vt extarent meriti monimenta perennis,
Contractos voluit, ſanaret vt vngula neruos.
Ac tum etiam primum Latio conceſſit habendum,
Quem poſt innumeros Lunae, Solisque receſſus,
Amiſſum Tyberis multos reparauit in vſus.
Hos tamen, aut alios, quorum memorauimus antè
Nomina, vel clarè deſcripſimus, haud tibi quiſquam
Suadeat, indutus ſaturatam vt murice veſtem,
Quae Tyrio latè circum ſplendore coruſcat,
Ferre

*Ferre velis, quoties sylua venaris in alta.*
*Irritat color ille feros, atque acribus vrget*
*Irarum stimulis, & iniquo concitat æstro.*
*Profuit id multis lana vinxisse sequaci*
*Syluestrem ad ficum, teneræ quam sæpe capellæ*
*Attondent, circumque libris & cortice nudant.*
*Namque ita paulatim posita feritate, maligno*
*Assueuere iugo, & rigidis parere magistris.*
*Dicendum & qui sint, quos India pascit onagros.*
*Iam primum niueo corpus candore teguntur*
*Infecti: caput Assyrio nitet omne colore.*
*Cæruleis oculis, vnoque in fronte superbi*
*Cornu, quod reges Indorum protinus aureis*
*Orbibus includunt, & vina liquentia potant.*
*Ac tum nec morbos tuti sentire feruntur,*
*Nec, quæ inter mensas occulta hausere venena.*
*Hos igitur studio ingenti robusta iuuentus,*
*Ardua prærupti tangunt vbi sidera montes,*
*Perquirit, nemorumque intrat generosa latebras.*
*Quòd si ducentes teneros ad pascua fætus,*
*Quos vtero matres dudum peperere, suisque*
*Patribus horrenti in sylua liquere tuendos,*
*Repperit, & rigidis aggressa est comminus hastis,*
*Haud fugiunt: tenues quamquam velocibus auras*
*Cursibus anteeant, sed equos persæpe, canesque*
*Per costas lacerant cornu, perque ilia adacto.*
*Nec mihi tam fortem quisquam se iactet, vt ollis*
*Audeat iratis concurrere: nulla ruentum*
*Sustinet incursum nusquam non æmula virtus.*

*Harum*

*Harum etiam generi multi adſcripſere ferarum,*
*Quam, populis ſurgit primis quibus ætherius Sol,*
*Indorum extrema dites venantur in ora;*
*Viribus indomitis: acres quibus illa leones*
*Freta petit, cæloque ardens ceu fulmen ab alto*
*Irruit: & tellus magno tonat ima fragore.*
*Quandoquidem nonnumquam atra velut acta procella,*
*Conſpexit medijs ſi fortè in ſaltibus hoſtem,*
*Exilit: & duplici tranſuerberat ilia cornu:*
*Arboris aut trunco, poſt quem latet, impigra telum*
*Imprimit: & ſaxis, & ferro durius omni.*
*Dumq. adeò incaſſum furit, atque obnititur ira,*
*Demens occulti laniatur ab vnguibus hoſtis:*
*Et proſtrata ſolo media ſe in cæde videndam*
*Tergore fulgenti præbet, cornuq; nigrante:*
*Quod cubitùm media protentum è fronte duorum*
*Colligit in ſpiras ſeſe, & mucrone minatur,*
*Marmora qui quondam præduraq; perforet aera.*
*Creditur hoc illi duplex natura dediſſe,*
*Quò grauior fortes ictus affligeret hoſteis.*
*Cumq; apro caudam, ceruo caput, ora leoni*
*Sit ſimilis: plantas magnis elephantibus, armos*
*Horribiles: pectuſque, toroſq. oſtentat equorum.*
*Crinemq; excelſa iactat ceruice comantem,*
*Et nemora horrendis mugitibus auia rumpit.*
*Accenſæ in Venerem commercia grata frequentant,*
*Atque animos præbent ſocijs tum denique mites:*
*Tractariq; manu ſeſe patiuntur: & vlnis*
*Amplexæ fundunt placidum per membra ſoporem.*

*Namq;*

Namq; aliter non vnà vnquam stabulare, simulq;
Ire viam solitæ communia pascua vitant,
Communesq; toros: quamquam congressibus illæ
Oblectant animos aliarum sæpe ferarum.
Non viuæ potuère capi, non artibus vllis,
Exegere duos plenis vbi mensibus annos,
Deponunt sæuos immiti è pectore sensus.
Nec minus atque onagri vis est in cornibus, atros
Quæ pellat morbos: potuq; resistat iniquo.
Ergo ijs haud vlli, præterquàm lecta iuuentus
Magnorum iussu regum, venantur in oris.
Est & prætereà Graiorum nomine dictus
Rhinoceros, cornu summis quod naribus amplum
Porrigit, ingentem quo sæpe elephantibus aluum
Perfodit, & lata discerpit membra fenestra.
Illi dura cutis: quam circum amplexa duarum
Zonarum anfractu sinuosa volumina tingunt:
Hæc summis coniuncta humeris, vbi colla rigescunt:
Altera, qua duros contingunt ilia lumbos.
Quin etiam, magnus quanto stat corpore taurus:
Explicat interdum, tantos & colligit artus.
Cruribus ille quidem breuis, atque simillimus apro,
Et rostrum, & caudam, nec non & lumina, & aures:
Conspicuus squamis, circùm & pallente corymbo
Tergora, quæ varijs vtrinq; interlita gemmis
Distinguit flauis & frontem, & tempora setis.
Prætereà tuber summis concrescit in armis
Mollè, sed exerti cornu tamen instar, & acris
Turbinis in morem, pugnæq; haud vtile, cum res

Conuo-

Conuocat ipsa suas vires, atq; explicat arma.
Hunc etiam foueis tepere ingentibus olim,
Inq; Deûm ludis magni videre Quirites
Pugnantem: & cornu subeuntem comminus hostem:
Arduaq; immanem iactantem ad sidera taurum.
Est & quæ latis Libyæ fera nascitur oris:
Illa quidem toto candenti corpore, & armis:
Non secus, hyberna quàm cum niue Caucasus ingens
Candet, & implentur verno mulctralia lacte:
Et quæ sæua animos nunquam deponat agrestes,
Sed cædem assiduè vultu, letumq. minetur
Impatiens: Martemq; oculis, & funebre bellum
Spiret inexhausto nunquam defessa labore.
Ac veluti scopulus medijs in fluctibus vndas
Excipit aduersas, Zephyrosq; immotus, & Euros
Sustinet, atque auris Boreæ pulsatur, & Austri.
Sic nunc illa tigres, sæuos nunc illa leones
Despicit: atque iras vrsorum interrita ridet.
Concurrunt idcirco animis, & robore vasto
Vndique, nec pugnæ finis: nisi morte peremptus
Ante cadat, victusve hostis toto æquore cedat.
Interea rigida lambit sua vulnera lingua
Durus Oryx (sic & Graij dixere, Latinique)
Et circumfluidos exiccat sanguine villos.
Sed te si toties in aperta pericula mortis
Mittere, & ingratos tædet perferre labores:
Protinus imbelles ceruos agitare licebit.
Quamquam hos dum iaculis, cursuq; ad retia trudes,
Corda Citheriacis si forte arsere sagittis,
Haud

*Haud erit omnino tanti discriminis expers*
*Venatus: vidi ipse canes (mirabile dictu)*
*Et raptoris equum crudeli vulnere pronum*
*Ad terram ruere, atque animas effundere inanes.*
*Magna tamen sequitur tam rara pericla voluptas.*
*Quandoquidem aspectu penitus defixus in ipso,*
*Atque acre ingenium, & varios mirabere mores,*
*Nec minus eximiam præstanti in corpore formam.*
*Quippe caput sublime ferunt: frontemque sub altam*
*Ingentes oculos voluunt, animamque quaternis*
*Ducere anhelantes, ac respirare videntur*
*Naribus: & rostro simi spectantur obeso.*
*Et, quamuis multi multos plerumque colores*
*Infecere, tamen fuluo quàm plurima fulgent,*
*Aut flauo, aut fusco circumlita corpora fuco.*
*Prosilit ex imo tum cauda breuissima dorso:*
*Cruraque compresso subsunt exilia ventri.*
*Illa quidem ad rapidos nata, atque exercita cursus.*
*Grandiaque imbellis sustentat cornua ceruix.*
*Quæ sese latè summa de fronte profundunt,*
*Exactosque annos, ni sex ex ordine brumæ*
*Transierint, totidem ramis fruticantibus æquant.*
*Et quia sunt hebetique acie, & mucrone retuso,*
*Pondereque ingenti pressant collumque, caputque,*
*Non homini, non illa feræ, nisi postulat vsus*
*Bellorum, opponunt: verùm in sua terga fugaces*
*Reijciunt, quoties nacti lata æquora campi*
*Latrantem gressu turbam properante relinquunt*
*A tergo, & celeres æquant cum flamine cursus*

Quin ea, ceu tenui radice affixa, quotannis
Amittunt; cum primum altis demersus in vndis
Conditur, & caelo linquit sua plaustra Bootes:
Atque aestu iam cedit hyems: nobisque videri
Incipit aeternos inter Vindemitor ignes.
Tum nemus vmbriferum subeunt, quod leniter aurae
Perflant, & nusquam vestigia dira ferarum
Apparent; tacitisque patent loca fida latebris:
Quae penes aut molli turgere in palmite vites,
Aut iucunda sua pendere ex arbore poma,
Et grauidis culmum iam iam consurgere aristis,
Laetaque non longè florere legumina norunt;
Hinc procul amisso membrorum, & frontis honore
Nusquam abeunt turpes: sed tuti horrentibus vmbris
Luce latent, noctu vicina ad pabula tendunt.
Nec prius hirsuto crescunt in corpore setae,
Aut vasta è dura funduntur cornua fronte,
Quàm madidos imo proles Hyraea lacertos
Oceano extulerit, medijsque affulserit astris,
Qui modo Atlantiaco latitabat in aequore Delphin.
Illa quidem circum tenera lanugine primùm
Tecta latent, tenuique cuti mollissima, donec
Sirius arentes oriens canis excoquit agros:
Tempore quo solidis multum concreta medullis
Arescunt Sole ardenti, & durissima fiunt.
Namque ea vel quercu, veteris vel cortice cerri,
Aut atro carbone fricant: quem subcaua fornax
Montibus in medijs multos custodit ad vsus.
Tum siqua aestiuas attriuerit area messes,

*Aut vbi candentem rastris educere cretam*
*Consuerit, tenuem saturet qua rusticus agrum,*
*Ire solent. hic quisque alba sua cornua arena,*
*Et spica, & rigidi detergens mergite culmi,*
*Instar equi pedibus terram cauat, ac rotat armos.*
*Quare ea nunc nigro, niueo nunc illita fuco*
*Tota nitent. alijs quamquam sic ipsa feruntur*
*Surgere sponte sua, nullo mutata colore.*
*Quin & Achæini, quorum procera videmus*
*Corpora, lasciuis ramos habuere corymbis*
*Interdum implicitos: etenim dum cornua truncis,*
*Et scopulis molli circum lanugine tecta*
*Sæpe fricant, hederæ passim subiere sequaces,*
*Hæseruntque imis radicibus inde supernas*
*Multiplici amplexu cinxerunt vndique partes.*
*Præterea tellure caua defossa putantur*
*Contegere, & multa ramorum abscondere fronde.*
*Id faciunt, nobis namque inuidere salubres,*
*Quas illis vires fertur natura dedisse:*
*Natura humanos longè depellere morbos*
*Prouida: ni nostros atra caligine sensus*
*Texerit, & tenebras offuderit improba rebus.*
*Quinque tenent certi totos ex ordine menses,*
*Quem mutili cepere locum: neque grata relinquunt*
*Antra prius, dulcesque vmbras, quàm gramina pasti*
*Plurima distendant denso sua corpora pingui.*
*Interea pedibus celeres anteire feruntur*
*Eurosque, Zephyrosque, graui sed pondere tandem*
*Membrorum incipiunt rapidos compescere cursus.*

Tum verò accensi furijs agitantur amoris,
Inque ignem flammasque ruunt: neque pectore curam
Deponunt, ni Libra prius Chelæque cadentem
Emensis videant spatijs discedere Solem.
Tum dura inter se sæui dant prælia fronte,
Atque ipsum inuadunt obnixi cornibus hostem.
Nam soli superesse volunt, quos protinus ipsa
Diligat, & fortes secum admiretur amica.
Ergo effossa fluunt acceptis vndique plagis
Corpora: nec diras, tanta est vis illa furoris,
Declinant, vitantque vices, sed certus vterque
Siue mori, siue incepto certamine victor
Hostem fundere humi, præstanti pectore multa
Accipit, & sæuus contrà dat vulnera, donec
Alteruter cedit. Tum demum exterrita amantum
Mœret turba procul, tristesq; è pectore voces
Fundit, & ingentem gemitu testatur amorem.
Ille autem eiectis riualibus vnus amicæ
Complexu fruitur, lætusque incedit, ouansque:
Nec prius absistit, fractis quàm viribus æger
Ilia ducit, & in media se sternit arena.
Quem simul atque omnes amisso corpore lassum
Ire vident, ceu dirum hostem, sæuumque tyrannum
Interimunt, multis fœdantes tergora plagis.
Ipse igitur stimulis actus non amplius vllis
In Venerem, atq; acri iamdudum incommoda pugnæ
Pectora habens, quos fronte minax pauloante fugarat,
Vitat, & hinnuleos inter versatur amicos,
Sicubi currentem riuum, vel sicubi fontem
Aspicit,

*Aſpicit, & teneris nouit loca conſita dumis.*
*Namque illic tepidos ſoles male pinguis, & æſtus*
*Captat, & hybernum defendit corpore frigus.*
*Impatiensque moræ paucis poſt deinde diebus*
*Exilit, & comites, ſibi quos adiunxerat, omnes*
*Deſerit, ac ſocium ſeſe compluribus addit:*
*Quos ante effœtos idem metus acer agebat.*
*Ergò hyemem, dum cana gelu nemora alta fatigat,*
*Et mole intonſos niuea premit aſpera montes,*
*Vnà omnes fidi inter ſe facto agmine ducunt:*
*Deſcenduntque altis è montibus, & loca cuncti*
*Ima petunt, medio quæ Soli expoſta tepeſcunt,*
*Atque iniuſſa ferunt inaratæ pabula terræ.*
*Non ſecus atque greges ſolers pro tempore paſtor*
*Tuſcus agens magnosque æſtus, & frigora vitat:*
*Littora dum maris, aut iuga deſerit Apennini.*
*Nec tamen vnius flagrare cupidine amicæ*
*Conſuerunt, vnumque ſibi depoſcere lectum.*
*Plurima coniugia, & plures celebrant Hymenæos.*
*Nec rurſum ſtantes, aut inter nota iacentes*
*Gramina, & obtecti frondentibus arboris vmbris,*
*Indulgent Veneri: ſed quam videre, ſequuntur,*
*Et celeres multo fugientem ſemine complent.*
*Inde alias aliasque petunt, atque vnius horæ*
*Momento grauidæ tumefiunt pluribus alui*
*Matribus: octauo pariunt quæ denique menſe.*
*Ac tum nec nemorum latebris horrentibus abdunt*
*Progenitos fœtus, nec, quæ genus acre ferarum*
*Incolit, infidis audent committere tectis:*

*Aſt,*

*Ast, vbi multorum celebris via: quæ loca diræ*
*Accessere tigres nunquam, & vis sæua leonum,*
*Deponunt, ramisque tegunt, & frondibus altis:*
*Castigantque manu voces, taciturnaque, donec*
*Viribus infirmi iacuere, silentia suadent.*
*Verùm vbi iamdudum creuit robustior ætas,*
*Et iam iamque fugam meditantur: protinus ipsa*
*Saxa per, & scopulos, & depressas conualles*
*Ducuntur, cursuque auras anteire docentur.*
*Nec minus interdum nantes lata æquora tranant*
*Agmine perpetuo. quippe ij capita alta reponunt*
*Alter in alterius tergo præeuntis, & illum*
*Defessum extremus grata vice suscipit: ac, dum*
*Exhaustas reficit vires, aciemque natantum*
*Ducit, marmoreas rostro secat arduus vndas,*
*Et cursu petit ignotas trans littora terras,*
*Pascuaque, & multis redolentes floribus agros.*
*Hos verò in primis, tetros sunt inter & angues*
*Diræ inimicitiæ: quarum mors vltima finem*
*Sola facit: sola æternam componere litem,*
*Atque odium sedare potest. It ceruus, & atras*
*Serpentis latebras inimicis flatibus implet,*
*Irritatque hostem, & crudeles asperat iras.*
*Ille autem magnos intus reuolutus in orbes*
*Colla tumet, totusque ingentem elatus in aluum,*
*Cum primum accepit venientes naribus auras,*
*Cogitur ex imis asper prodire latebris,*
*Eductusque foras inimico absumitur ore.*
*Quin, vbi tot Libyæ sola in regione colubri*

*Nascun-*

*Nascuntur, si forte aliquem videre iacentem,*
*Confestim exiliunt omnes, atque agmine facto*
*Inuadunt, spirisque ligant ingentibus. vnus*
*Implicat imbellem ceruicem, atque ardua colla,*
*Cornuaque. ast alter maculosam amplectitur aluum,*
*Tergaque: nec multis alij non ilia nodis*
*Impediunt, morsuque armos pascuntur obesos.*
*At simul insidijs sese vndique circumuentum*
*Ille videt, velox pedibus de more salutem*
*Quærit, & hostilem præceps euadere turbam.*
*Verum vbi nulla datur vinclis exire potestas,*
*Luctaturque miser, totosque absumitur artus,*
*Implexus se sternit humi: tum tergore nitens*
*Enecat, atque auido sinuosa volumina morsu*
*Discerpit: toto labuntur corpore trunci.*
*Ac tandem fluida tumefactus corpora tabe*
*Festinat notos subitò se mergere in amnes:*
*Octipedesque imo cancros in gurgite mandens*
*Eijcit immitem toto de corpore pestem.*
*Illi autem posita inuenescunt membra senecta.*
*Hinc etiam è stabulis diri fugere chelydri,*
*Exusti fumo, cornu si tecta replere*
*Pastor, & inuiso suffire cubilia odore*
*Perrexit, raptimque cauis exire coegit.*
*Aut vbi constrauit lectos sub nocte silenti*
*Pellibus, & seram fudit per membra quietem.*
*Namque omnes is nidor agit, notusque repellit*
*Attactus: fugiunt celeres, totoque cubili*
*Proripiunt sese, atque hostem execrantur acerbum.*

Præte-

Præterea tantos astus in pectore condunt,
Deludant vt sæpe canes post terga ruentes:
Artibus & varijs (multus namque vsus & ætas
Edocuit) prouisa suæ discrimina mortis
Effugiant, lapsæ spoliati flore iuuentæ.
Principio famulum ducunt (mirabile dictu)
Siue latent, seu læta petunt sua pabula, secum,
Parentem imperio, primaque ætate nitentem.
Hunc, simul atque canes propius sensere ruentes,
Vrgentesque fugam, tum terga extrema prementes,
Obijciunt: & se latebris frondentibus abdunt.
Ac, nisi consueto catuli tangantur odore,
(Custodum edocti cura, assiduoque labore
Insontem iuuenem lacerent, hostisque dolosi
Obiecta læti præda vestigia linquant.
Ille etiam interdum gregibus permistus amicis,
Qui subeat diramque vicem, sæuumque periclum,
Perquirit, sociosque inter sibi prouidus errat.
Denique propositum quum se videt omnibus vnum,
Lustra leuis cursu summi petit auia montis:
Itque, reditque viam, simul & cum flamine venti
Aufugit. aduersas quoniam secat aspera fauces
Aura: nec adpatulas latratus peruenit aureis:
Insistuntque canes vestigia certa sequentes.
Idcirco Zephyris spirantibus ardua vertit
Terga, suos vario moderatus tramite cursus.
Tum verò ingentique siti confectus, & æstu
Haud procul inde altos fluxu petit impiger amnes,
Occuliturque vndis præter caput. inde secundo
Flumi-

*Flumine defertur medius, vel stagna, lacusque*
*Ingressus, lata huc illuc natat vsque palude:*
*Fragrantem & toto de corpore ponit odorem.*
*Denique non alia, quàm qua ante intrauerat vndas,*
*Parte abit, & velox eadem spatia illa remensus,*
*Terque, quaterque cauum medijs in montibus antrum,*
*Atque adeò multa contectas fronde latebras,*
*Quærit, vbi horrenti maneat securus in vmbra.*
*Quare etiam saltu nonnumquam elatus in ornum*
*Implicat aerijs corpusque, & cornua ramis*
*Arduus: & densa speculator ab arbore pendet.*
*Ergo altè vestiga oculis, multaque sagaces*
*Voce hortare canes: nec te mora longior vsquam*
*Lædat, vt iratæ metuas aduersa Dianæ*
*Numina: quæ tardis vadentem passibus hostem*
*Conspectu abstulerit medio, cunctisque repente*
*Venatorum oculis nebulas offuderit atras.*
*Tu modo cum primum latitantem inueneris, omni*
*Obsequio venerare Deam: canibusque vocatis*
*In prædam, partemque, feræ da viscera læti*
*Diripiant, siccæque fluant dà sanguine fauces:*
*Et socios blandus positis in gramine mensis*
*Alloquere, & dapibus cunctos solare paratis.*
*Quando alios nostris præstare in finibus vsus*
*Haud possunt. Etsi Scythiæ in regione feruntur*
*Audere, & duro paulatim assuescere bello:*
*Frænaque dura pati, & doctè insultare sub armis;*
*Aduersamque aciem, & densas perrumpere turmas.*
*Vastum illis corpus, vastum caput, ipsaque vasta*

*Præterea tantos astus in pectore condunt,*
*Deludant vt sæpe canes post terga ruentes:*
*Artibus & varijs (multus namque vsus & ætas*
*Edocuit) prouisa suæ discrimina mortis*
*Effugiant, lapsæ spoliati flore iuuentæ.*
*Principio famulum ducunt (mirabile dictu)*
*Siue latent, seu læta petunt sua pabula, secum,*
*Parentem imperio, primaque ætate nitentem.*
*Hunc, simul atque canes propius sensere ruentes,*
*Vrgentesque fugam, tum terga extrema prementes,*
*Obijciunt: & se latebris frondentibus abdunt.*
*Ac, nisi consueto catuli tangantur odore,*
*Custodum edocti cura, assiduoque labore*
*Insontem iuuenem lacerent, hostisque dolosi*
*Obiecta læti præda vestigia linquant.*
*Ille etiam interdum gregibus permistus amicis,*
*Qui subeat diramque vicem, sæuumque periclum,*
*Perquirit, sociosque inter sibi prouidus errat.*
*Denique propositum quum se videt omnibus vnum,*
*Lustra leuis cursu summi petit auia montis:*
*Itque, reditque viam, simul & cum flamine venti*
*Aufugit. aduersas quoniam secat aspera fauces*
*Aura: nec ad patulas latratus peruenit aureis:*
*Insistuntque canes vestigia certa sequentes.*
*Idcirco Zephyris spirantibus ardua vertit*
*Terga, suos vario moderatus tramite cursus.*
*Tum verò ingentique siti confectus, & æstu*
*Haud procul inde altos fluxu petit impiger amnes,*
*Occuliturque vndis præter caput. inde secundo*

Flumi-

Flumine defertur medius, vel ſtagna, lacuſque
Ingreſſus, lata huc illuc natat vſque palude:
Fragrantem & toto de corpore ponit odorem.
Denique non alia, quàm qua ante intrauerat vndas,
Parte abit, & velox eadem ſpatia illa remenſus,
Terque, quaterque cauum medijs in montibus antrum,
Atque adeò multa contectas fronde latebras,
Quærit, vbi horrenti maneat ſecurus in vmbra.
Quare etiam ſaltu nonnumquam elatus in ornum
Implicat aerijs corpuſque, & cornua ramis
Arduus: & denſa ſpeculator ab arbore pendet.
Ergo altè veſtiga oculis, multaque ſagaces
Voce hortare canes: nec te mora longior vſquam
Lædat, vt iratæ metuas aduerſa Dianæ
Numina: quæ tardis vadentem paſſibus hoſtem
Conſpectu abſtulerit medio, cunctiſque repente
Venatorum oculis nebulas offuderit atras.
Tu modo cum primum latitantem inueneris, omni
Obſequio venerare Deam: canibuſque vocatis
In prædam, partemque, feræ da viſcera læti
Diripiant, ſiccæque fluant da ſanguine fauces:
Et ſocios blandus poſitis in gramine menſis
Alloquere, & dapibus cunctos ſolare paratis.

Quando alios noſtris præſtare in finibus vſus
Haud poſſunt. Etſi Scythiæ in regione feruntur
Audere, & duro paulatim aſſueſcere bello:
Frænaque dura pati, & doctè inſultare ſub armis;
Aduerſamque aciem, & denſas perrumpere turmas.
Vaſtum illis corpus, vaſtum caput, ipſaque vaſta

Cornua bis quinis vmbrant sua tempora ramis:
Et procera leues adeò tolluntur in auras,
Vt pinum, aut Ossæ prognatam in vertice quercum
Esse putes: magnoque ad terram pondere ferri
Præcipitem, quoties libuit contendere cursum.
Quid? quos, ipse color proprius si contegit artus,
Inficit, & villos circum cinis vndique tingit?
Illi omnes, quoscumque volunt, ex tempore mutant,
Si quando occulti quicquam metuere, colores.
Asperaque insolito durantur frigore terga.
Idcirco, quos forte acres cepere Geloni,
Diripiunt: factisque sibi thoracibus armant
Pectora: queis freti pugnamque, hostemque lacessunt.
Illum etiam, latis posuit cui Græcia nomen
(Græcia verborum longe ditissima mater)
Cornibus, annumerat ceruis longæua vetustas.
Ac, nisi candidior villus componeret armos,
Caudaque non eadem clunes existeret inter
Albenteis, pluresque ornarent cornua rami,
Non aliter quàm si digitos manus explicet omnes;
Ceruus erat nulla variatus imagine forma.
Quamuis in Venerem stimulis agitetur amoris
Serius, & partus edat, quo tempore fratres
Ledæi Solem mediis complexibus vrgent.
Hunc vbi venamur, pedibus si libera nactus
Sit spatia, haud dubius longè fugit, ac redit vltro,
Vnde abit, & patriis rarò discedit ab oris:
Interdumque canes cornu petit impiger ipsos:
Aut subit vndantem latebroso flumine Enipeum.

Præci-

Præcipue iam iam si terga extrema prementes
Sensit, & ad cursum vires timor abstulit omnes:
Non ille insidijs sese munitus iniquis
Subtrahit, aut aliqua perquirit fraude latebras:
Comprensus medio persæpe in vortice pœnas
Dat miser, atque acri discerpitur ore Laconum.
Quique semel grata catuli saturantur ab esca,
Iucundumque auidi gustu sensere saporem,
Non illi ceruos, non illi optare fugaces
Consueuere capras: aliam sed protinus omnem
Contemnunt prædam, & captam iam sponte relinquunt.
Ipse autem montesve colit, qui vertice leni
Assurgunt: seu valle caua mala frigora, & æstus
Vitat, & arentes lætus sibi deligit oras.
Sed nec cuncta meo complecti carmine possum;
Nec breuiter varias numero comprendere formas,
Nominaque, & patrias, & quem quis præbeat vsum;
Cum iam suscepti nos meta extrema laboris
Auocet, atque feræ saxi de vertice capræ
Decurrant, celerique legant nemora auia cursu,
Vnà omnes vitæ degunt quæ Dorcades annos.
Harum aliæ vastis onerantur cornibus: in quæ
Nonnumquam, cum forte acer venator iniquum
Insedit callem, magno se pondere librant:
Atque aliam in rupem, ceu si tormenta rotassent
Adducta, exultant longè, subitoque recussu
Auertunt sese, atque hostem mox cornibus vrgent
Præcipitem, & summa tandem de rupe reuulsum
Impellunt: nisi saxa manu, nisi robora prendens

Hæreat innixus scopulo, interiorque verutum
Intentans, aditu venientem excludat ab alto.
Namque perangusti præclusa vbi lubrica callis
Est via, consistunt salebroso in tramite, secum
Ancipites, viso ne ferant vim protinus hosti,
An sese in scopulos lapsæ dent præpete saltu.
Tum tu adeò calamos adducto interritus arcu
Intende, & celeri cunctantem interfice penna.
Quandoquidem rapidis cum flamina cursibus æquent,
Ipsaque prærupti saltu latera aspera montis
Aduersæ subeant, mediaque in rupe perinde,
Atque equus in molli spatio consistit arenæ,
Pendentes stabili firment vestigia gressu,
Haud illas posis celeri præuertere cursu,
Haud valida innitens occidere comminus hasta,
Ni calles, aditusque omnes obstruxeris ante,
Ad loca sublimis quàm lubrica rupis, adactæ
Dum iuga summa petunt, cauea claudantur iniqua,
Unde ollis nusquam liber patet exitus: omnique
Excisæ ingressu prohibent nos vndique cautes.
Huc se demissi per funem ingentia Rhæti
Agmina conficiunt: prædaque onerantur opima.
Forsitan & qui sint mores, quæ forma requiras.
Corpora habent ceruis æqualia, nec tamen vno
Infecta hinc atque hinc variantur terga colore.
Namque aluus flaua est, flaui clunesque, pedesque.
Dorsum autem setæ infuscant sublime comantes
Vndique: quod spinæ medium color inficit ater:
Nigrescitque manus molli circundata lana

Vtraque:

*Vtraque: nec sola quæ finditur vngula rimâ*
*Cornea, nec gracilis tereti pede tibia, nec quæ*
*Barba rigens summo demittitur hispida mento,*
*Splendentesque oculi, distinctaque cornua nodis,*
*Cornua ter denas æquantia pondere libras,*
*Diuersam à nostris speciem statuere capellis.*
*Ante autem Eoæ Atlantides absconduntur,*
*Quàm Veneris cæca consumptæ pectora flamma*
*Viscera concepto complerint semine matres.*
*Nec rursus peperere, prius quàm Pleiades inter*
*Sidera felices Diuûm testentur amores.*
*Proxima cum grauidas altis ex Alpibus omnes*
*Deuocat in nemorum virides Lucina recessus,*
*Et multa sternit secreta cubilia fronde:*
*Aufugere hyemes, & culmina celsa niuali*
*Tecta gelu, dulcesque vna subiere mariti*
*Propter aquam, & musco circumlita saxa, latebras.*
*Hic, vbi quæque suum pleno blandissima natum*
*Vbere mater alit, teneroque in gramine secum*
*Læta habet: & densis carpens in saltibus herbas*
*Pascitur, & montis numquam iuga summa reuisit,*
*Donec consuetus Veneris redit ossibus ignis.*
*Namque mares, cum primum auras sensere Fauoni,*
*Et niuibus crescunt iam flumina cuncta liquatis,*
*Ad sua se referunt prærupta cacumina: & illic*
*Quisque locum capit, ac summa se condit in arce.*
*Et tamen interdum comitem sibi iungere, & vnà*
*Exciso in scopulo frondes decerpere sueuit.*
*Præcipue pugnas summis cum viribus edunt*
*Inter*

Inter ſe, duroque cient certamina cornu:
Horrida cum totas ſtimulat Venus improba venas:
Quando etiam denſo tum colla comantia pingui
Diſtendunt, ſæuasque auget furor improbus iras.
Ergo vbi prærutptæque Alpes, & ſaxa minantur
In cælum, ac rapidos fundunt è rupibus amnes,
Rhenumque, Eridanumque, vndamq; binominis Iſtri,
Seu quà Fiſcelli, & Tetricæ iuga ſumma Sabellus
Triſtis habet, Phœbusque ſuum Soracte tuetur,
Quaque patent latè priſcæ nemora alta Vacunæ,
Illi aliquem florentem annis, certaque mouentem
Arma manu, dum forte loco pudet ire relicto,
Cornibus allidunt duris ad robora quercus,
Ad ſcopulos, truncosque rudes, exciſaque ſummi
Saxa iugi: donec valido crepuere ſub ictu
Ilia, & effractis obſtantia pectora coſtis.
At non iſta feris gliſcit violentia capris,
Cornua nec duro ſurgunt accommoda bello:
Verum inflexa ſuis mucronibus ardua montis
Comprendunt, ſcopulique ipſo de vertice pendent.
Illa quidem multis rugoſa, atque aſpera nodis,
Donec inæquales ſenſim curuantur in hamos
Leuia, & ſemipedem vix toto extantia trunco.
Paſcuntur verò ſimul omnes, & ſua iungunt
Agmina, nec maribus villove, aut corpore differt
Fæmina. pullus enim color hanc infuſcat, & illum,
Amborumque notis pelles ſparguntur, & albo.
Inque alios certis ſuerunt migrare colores
Temporibus: ſeu verna dies mutauerit horas,

*Siue suum æstati pallens autumnus honorem,*
*Et glacialis hyems frondem decusserit omnem*
*Arboribus, multaque iacent niue condita rura;*
*Et constricta gelu passim vaga flumina torpent.*
*Tunc vnà descendentes è montibus altis*
*Ima petunt: vbi saxa salem, lapidosaque nitra*
*Asseruant, Sole incocta, & pluuialibus Austris:*
*Et gratum humenti detergunt ore saporem.*
*Hic sæpe incautas latitans venator adortus*
*Confecit iaculis: aut culmina ad ipsa secutus,*
*Pendentes altæ deiecit vertice rupis.*
*Excessere autem curuis conuallibus omnes,*
*Cum primùm immitis sæuire Canicula cœpit,*
*Sirius & passim rapidos exæstuat æstus.*
*Id faciunt, siue vt sensim frigentibus auris*
*Assuescant, siue vt diri momenta Leonis*
*Vitent, & nemorum latebris recreentur opacis.*
*Ipsæ illic regem quondam pauere Deorum*
*Vberibus lætis. pro qua mercede feruntur,*
*Occultum quoties letali in vulnere ferrum*
*Gnosius, atque vnà vestigia cæca reliquit*
*Pastor, opem doctæ certa perquirere ab herba.*
*Quam simul inuentam degustauere, volucre*
*Eijciunt (ni vana fides) è corpore telum.*
*Scilicet hæc etiam Lucinæ epota laborem*
*Lenit, & auxilium præsens parientibus affert,*
*Dum fœtum incolumem dias in luminis oras*
*Exigit, & dulci confirmat viscera succo:*
*Vsque adeò humanæ solers natura saluti*

Consulere, & varios depellere prouida morbos.
Quippe ea vim capreis (neq; enim bona gramina tãtũ)
Indidit illam, vteros quæ matrum astringat hiantes,
Et maculis faciem, atque oculos caligine purget.
Idcirco has etiam ingenti venabere cura,
Si iuuat egregijs tantum decus addere factis,
Et nullo interituram æuo decerpere laudem.
   Continuo dulces, nequid cunctere, recessus
Mons vbi iuniperi, viridesque occulta genistæ,
Et iunci, & crebri texunt vmbracula vepres,
Summus habet: seu conuallis depressa, patensve
Interdum, lætusque virenti gramine campus.
Hic illi, è medio cum Sol altissimus orbe
Despicit, & claro comburit lumine terras,
Occulti resident. hinc ad sua pabula tendunt,
Discutit humentes veniens cum Lucifer vmbras,
Et cum sera dies nocti iam cedit opacæ.
Chaoniæ quercus glandes, atque arbuta syluæ
Dant victum, spinosque vepres, rubicundaque corna,
Irrigui saltus herbas, diuulsa flagella
Sufficiunt rami: dulces è fontibus haustus
Fæcunda humectant sitientia guttura lympha.
Nec temere antiquam patriam, charosq; penates
Siue æstas, siue vrit hyems sata pinguia, mutant.
   Iam verò quis non etiam mirabitur illud?
Coniugia inter se certa quòd lege colentes
Iura cauent, sanctique tori violare pudorem?
Quemque adeò prima legere ætate maritum
(Mira fides) omni cura, studioque sequuntur?


Nec fidum fidæ socium, nisi morte, relinquunt.
Quamquam autem æterno coniunctæ fœdere, vitæ
Decurrant lumen, spatiumque volubilis æui,
Haud tamen assiduo Veneris tenuantur ab vsu.
Bis septem noctes, bis septem ex ordine luces
Suspirant, gemitusque imo de pectore fundunt,
Et syluis incredibilem testantur amorem:
Cum primum æquoreis Hædos demersit in vndis
Mane suos, cæloque abiens Vulcania proles
Soluit Erichthonius, quas iunxerat ante, quadrigas,
Et magna Oceani cessit cubiturus in aula.
Mox verò è celsa labuntur cornua fronte.
Nec, nisi cum Solis multo iam lumine menses
Auxerit, & labentem Aries patefecerit annum;
Erumpunt iterum, & ramis sua tempora inumbrant.
Tunc etiam obscuras secreta in valle latebras
Solæ obeunt, sociumque suum paritura relinquit:
Grataque tantisper metuens commercia vitat,
Donec tota labant geminis, quos vbere nutrit,
Nondum etiam tenera firmata siligine crura.
Atque ita non multo post tempore, pignora cum iam
Iam sua viderit ad rapidos exercita cursus,
Et vento fugere, & telo pernicius omni,
Læta domum repetens, patriamque, virumque reuisit,
Et pinguem, & duplici renouatum tempora cornu
Vtraque, nec tenui non terga nitentia villo.
Ille autem reduci multum gratatus amicæ
Oscula iungit ouans, & formam ostentat honestam.
Dumque vna vmbrosa pergunt ad pabula valle:
 Obser-

Obseruans saxi specula venator ab alta
Prospicit, atque oculis tacitus vestigia signat.
Inde domum rediens socios monet ordine primùm
Rara quibus properent circumdare retia cliuis:
Quosque adeò solers teneat custodia calles.
Et, cum primum altas discussit mane tenebras
Lucifer, & terras veniens Aurora reuisit;
Exijt, ac cœtu iuuenum comitatus amico
Occupat extemplo diuortia nota viarum.
Hic leues amites, furcas fert ille bicornes:
Sunt, quibus è summo pendet caua buccina collo:
Jamque alius casses nodis vtrinque solutis
Explicat, accliuis mons vnde assurgit ab imo:
Dimissasque canes alius per opaca locorum
Ducit: &, vt latebram occultam inuenere sagaces,
Jmpleruntque nemus latratibus: haud mora flaui
Diriguere omnes setoso in tergore villi;
Et clunes, humerosque albo aspersere colore:
Ac saltu exiluere. leues mox cursibus auras
Anteeunt, geminosque canes persæpe fatigant,
Et redeunt memores, vnde excessère, remensi
Totum iter, atque eadem vestigia: nec sua linquunt
Tecta prius, veterisque domos, & limina cliui,
Abiecere fugæ quàm spem, studiumque salutis,
Et patriæ dixere, vale, vale optima mater,
Atque infelices animas miserare tuorum.
Haud antris, specubusque tuis succedere posthac
Aspicies, grataque ambos requiescere in vmbra.
Tum verò instantis trepidi formidine leti

*Longè abeunt, vicosque petunt, & limina villæ*
*Præcipites cæcique intrant: aut flumine viuo*
*Depressi occultant sese, siue ilice densa,*
*Siue orno annosa tecti, siue æsculo alta,*
*Quæ latè fundens frondosa cacumina ramos*
*Explicat, & medium radicibus innatat amnem,*
*Aut rostro, aut summis tantummodo cornibus extant,*
*Immotique manent, & vix iam naribus auras*
*Accipiunt, redduntque suis, licet ire propinquos*
*Aspiciant iuuenes, hostiliaque ora Laconum.*

# PETRI ANGELII BARGAEI CYNEGETICON

## *Liber tertius.*



*HACTENVS occultos mores, & sæua ferarum*
*Prælia, quæ duris vrgentes cornibus hostem*
*Oppugnant, bifidaque premunt vestigia planta:*
*Nunc ego magnanimos genitrix Idæa leones*
*Persequar: & varias Indorum animalia lyncas.*
*Huc precor, ò Diana (tuas non vlla sagittas*
*Aufugiunt: tibi se sæuæ submittere tigres,*
*Et toto properant venienti assurgere luco)*
*Huc, precor, ò Diana veni: Nymphasque sorores*
*Duc tecum, atque omnes generosæ incumbite prædæ.*
*Si qua tenet iuuenem venandi cura; perennis*
*Laudis amor si quem stimulis ardentibus egit,*
*Is sciat inuentis maiorum instructus, & arte*

Nulla vsquam diræ metuenda pericula mortis
Esse sibi. nam qui ingenium, moresque ferarum
Edidicit, non ille dolos ignorat, & artes:
Quarum præsidio tuti versamur in altis
Montibus, & prædas circumuectamus opimas.
Ergo age naturas mecum nunc dispice primum,
Iupiter horrificis quascumque leonibus olim
Addidit, atque inter regnare animalia iussit,
O & præsidium, & nostri spes sola laboris
Antiquæ Hesperiæ magnum decus, inclyta fama,
COSME potens claro magnorum è sanguine regum.
Hunc tibi nos, quemcumque vides, formauimus orsum.
Nec veriti nemorum cæcas intrare latebras,
Antraque, quæ nulli vates subiere Latini,
Afrorum ignotas nostris patefecimus oras.
Auspice te quamuis nemorosa cacumina Pindi
Conscendam, fluuiosque ausim tranare rapaces:
Nec dubitem magnorum inter spelæa leonum
Versari, & solus crudeli occurrere tigri.
Tempus erit, cum virginibus bacchata Lacænis
Taygeta, & multa viridantia gramine Tempe
Ingressi, gelida corpus recreabimus aura.
Tunc nos & leporum varios mirabimur astus:
Et canibus tuti timidos capiemus onagros,
Omnia dum teneris sexus discrimina natis
Immites, totamque audent spem tollere gentis.
Principiò genus haud vnum, speciesque putanda est.
Namque animis alij, præstanti & pectore fortes
Cædem oculis, cædem vultu, cædem ore minantur.

Illis grande caput, viua stant lumina flamma,
Turpe supercilium nares supereminet amplas,
Labra horrent setis, simplex iuba, pendet ab armis
Villus, & horrificis terret mugitibus auras,
Ostentatque toris animosum pectus, & ipsas
Interdum fauces, & vastos pandit hiatus.
Quales esse ferunt, vbi leni flumine sese
Nessus, & Ionias infert Achelous in vndas:
Aut vbi praecipiti labentem gurgite Pontus
Excipit, atque sinu medium complectitur Istrum.
Degeneres alios, animique ignobilis ad nos
Armenij imbelles mittunt, Parthique feroces,
Felicesque Arabes, & tosti ardentibus Afri
Solibus. immenso quamquam illos robore dicunt
Praestare, atque hostem vultu exanimare minaci.
Densior his circum ceruicem armosque capillus,
Crispa iuba, & crispi pendent è pectore villi.
Idcirco stimulante fame si tecta, domosque
Maurorum, & latis petiere mapalia campis,
Pastoris vultum veriti fugere, manusque.
Quin etiam coniux tuguri custodia parui
Increpat, & longè verbis audacibus arcet.
Illi abeunt: caudaque animos, atque ore fatentur
Degeneres, simul ac vocem sensere minantis:
Nec custoditis sese praesepibus audent
Inferre: at densam celeres vestigia flectunt
In syluam: tantus pertentat pectora terror,
Et tanto gelidus torpescit frigore sanguis.
Quid, quos corporibus fertur ferre India vastis,

India nobilium nutrix generosa ferarum?
Non illis fuluo spectantur terga colore:
Non rutilus pendet solida ceruice capillus.
Cæsaries nigra est: nigros cutis obtegit artus.
Siue immota tenent, siue ignea lumina voluunt,
Horribilique atraque, premunt formidine mentem,
Obuia cui tulerint media vestigia sylua.
Hi tamen insidijs excepti, atque arte, doloque,
Ponere sæuitiam facile, & mansuescere discunt:
Quando etiam feritas diuturno frangitur vsu.
Inde igitur blandi reuerentes iussa magistri,
Immanemque aprum inuadunt, magnoque bisontem
Robore prosternunt, onagrosque ad retia trudunt.
Non canibus cessere vllis, si lustra sagaces
Vestigant, notoque feræ tanguntur odore.
Quinque autem primo pendent circum vbera nati:
Speluncis quicumque olim nascuntur in altis,
Bagrada quà lentus Libyæ deserta peragrat,
Quà se agit Euphrates, placidus quà labitur Hebrus.
Edita quæ primo mater noua pignora partu
Vno deinde minus dias in luminis oras
Fœta refert, donec solum parit. ille leonum
Occupat imperium, & syluis dominatur in altis.
Ille vrsos, ille & tigres, ille ore cruento
Victorem aggreditur taurum, sternitque elephantum.
Immo, vbi se sæuæ stimulauit verbere caudæ,
Accenditque iras, animisque exarsit in hostem,
Nulla timet, nulla ipse fugit discrimina rerum:
Perque aciem confertam hominum, perq; agmina ferro
Cincta

Cincta ruens. sensim sese in nemora auia magno
Cum fremitu recipit, venantem & acerba tuetur.
Nec tamen aut certas sedes, certosque penates
Nouit, & antiqui sua limina prouidus antri.
Nec iuuat in medijs somnum cepisse cauernis,
Aut vbi confidat tutæ se credere nocti:
Suppeditant, nullos strepitus, nullumque timenti
Horrorem tenebrarum, ipsi sola cuncta cubile:
Confidens animis adeò præ se omnia temnit.
Quin etiam nocte in media ad stabula alta profectus,
Dentibus infrendens caulas inuadit, & omne
Armentum vultu terret. tum protinus vnum,
Quem metus acer agit, comprensum intercipit vncis
Vnguibus, & trepidos discerpit dentibus artus.
Postquam autem exhausto madefecit sanguine fauces,
Afflatam prædam, semesaque frusta relinquit.
Hæc non immites audent contingere tigres:
Non, quæcumque colunt altos animalia lucos:
Ne regem spreuisse suum videantur, & ipsas
Mandere relliquias prædæ voluisse iacentis.
Ipse autem, cum solus iter seu nocte silenti,
Siue die tendit medio, sæua ora, torosque
Vertit, & obliquè ingrediens, nunc corpora saltu
Traijcit, & dubio commutat tramite gressum:
Nunc impressa solo prudens vestigia turbat,
Atque oculos fallit non vno errore viarum.
Hoc faciunt, catulos ne qui sub valle relictos
Deprendant, dum fida procul custodia sese
Contulit in montes prædatum. Illi vbera matris
Fauci-

Faucibus expectant ſiccis iam ſera morantis.
  Iidem etiam, longa ſi quando membra ſenecta
Feſſa trahunt, validaſque omni de corpore vires
Abſceſſiſſe vident, diffiſi robore cuncta
Aufugiunt, timidique procul commercia vitant:
Occurſumque horrent trepidi, aſpectumque ferarum:
Nec ſe præterea nemoroſis vallibus audent
Credere, nec diræ paſſim committere nocti.
In ſyluis recubant tuti, ſpecubuſque repoſtis,
Quò non poſſe putant penetrare homines ve feraſve.
Sin veſana fames, rabieſque exegit edendi:
Non vros, non ipſa petunt armenta. fugacem
Inuadunt capream, & pleno inſidiantur ouili.
At proles generoſa ſenem miſerata pauentem
Et ſtrepitus aurarum, & fœmineos vlulatus,
Venatum in ſyluas ducunt, quáque auia longè
Rara per occultos patefecit ſemita lucos,
Cunctantem ire iubent, certóque in tramite ſiſtunt
Infirmum, genibuſque ægris, & corde trementem:
Nec prius abſcedunt, quàm ſecum ingentia portent
Corpora ceruorum, quæ cæde exempta recedat
Dira fames: tum patrem altis mugitibus omnes
Hortantur læti, & prædæ ſe accingere cogunt.
Ille ſuos humilis multum amplexatur, & ore
Mulcet, & extrema lambit veſtigia cauda.
Hinc ſenſim accedens felici veſcitur eſca:
Et multo ingluuiem lætatus ſanguine paſcit.
Præterea tantæ iuuenili in pectore vires,
Virtutiſque ſuæ ſibi mens ita conſcia, vt vſquam

*Ire viam nolit, socius si se addat eunti.*
*Nec minus in montes, atque in deserta locorum,*
*Siquando rabies, & amor persuadet edendi,*
*Carpit iter tutum sola: & venatur agrestes*
*Sola feras: sola & concurrit fœmina diris*
*Tigribus, & magnos adoritur viribus vrsos:*
*Et prædam putat esse suam taurosque, luposque.*
*Non inuadere equos metuit, qui flumina sæui*
*Lata colunt, quoties animis, & robore vasto*
*Ipsa ruens potum metuenda in prælia fertur.*
*Non iuba, non illi pendent in pectora crines:*
*Leuia colla nitent: leues armique, torique,*
*Tergaque de nullis vsquam sunt hispida setis.*
*Quamquam autem sese reliquis animantibus vnam*
*Opponit: tamen ipsa mares præcellere longè*
*Viribus haud ignara suis, numquam ausa lacessit.*
*Quin timet, & celeri velox petit auia cursu,*
*Seque adeò in cæcas abdit tremefacta latebras.*
*Præcipue Veneris furiata libidine pardum*
*Si quando admisit, totoque è corpore odorem*
*Spirat, & iratum metuit deprensa maritum:*
*Aut abit, aut medio postquam se lauit in amne,*
*Ipsa suum præsens solatur adultera amantem.*
*Ille autem ingenti perculsus vulnere amoris*
*Mæret humi pernox, horrendumque intonat ore.*
*Quòd si forte sagax alios præsensit olentem*
*Concubitus: tum verò omnis decurrit ad iras,*
*Et meritas rabido pœnas ferus expetit ore:*
*Nec prius ingentes animorum vlciscitur æstus,*

*Omnia*

Omnia quàm fœde laniatam membra relinquit.
Tum quoque nec celeres currus, strepitusque rotarum,
Aut ignes, cantusque timet, queis præuius ales
Auroræ, mediæque vigil custodia noctis
Jam ventura die prædicit lumina. quanquam
Hæc metuunt subito strati fera corda pauore
Quicumque ardenti Veneris non tacta sagitta
Pectora habent. Illis nam non rationis egentes
Nondum omnes toto fluxere è pectore sensus.
Quando etiam partem diuinæ mentis inesse,
Æthereosque haustus Graij cecinere poetæ,
Quorum oculis nondum lux vera affulserat. idque
Pluribus è signis ostendi posse putarunt.
Namque illi (famæ si fas est credere) parcunt
Supplicibus, victasque manus tendentibus: vltro
Fœmineo mites norunt ignoscere sexui.
Sponte sua non vnquam homines grassantur in ipsos,
Longa coegerunt nisi quum ieiunia ventris
Linquere frondosæ deserta cubilia syluæ,
Nocteque iam media pastorem inuadere inermem.
Siqua etiam accepere animo benefacta, recondunt,
Et sæpe ingentes soluunt in tempore grates.
Quare & Amyclæi gens fortunata Canopi,
Quæ colit vndantem septena per ostia Nilum,
Delubris venerata sacris, ceu numina, magno
Prosequitur cultu, & Diuûm dignatur honore.
At panthera suos (doctis ea nomine Graijs
Pardalis est) pardos inuictis viribus anteit.
Pes illi anterior, digitique ex ordine quini

Vnguibus armantur, pugnam quibus ausa lacessit:
Posterior planta vestigia ponit vtraque
Quadrifida, & totidem, cum res monet, exerit vngues.
Harum etiam non vna ferunt genera esse ferarum.
Corpora habent aliæ procera, & pinguia, nigris
Interpuncta notis, variataque pellibus albo.
Ast aliæ paruo nascuntur corpore: verum
Sunt virtute pares, & eisdem insignibus armos
Distinctæ. non has alio secernere signo,
Hoc præter, potuere, quibus sunt talia curæ.
Paruarum è tergo pendet longissima cauda,
Quæ sese ad calces imos spatiosa profundit.
Ast eadem breuior summas vix tangit arenas
Magnarum, & paulo talis est longior imis.
Est etiam, alternis Lunam qui dicat in armis
Augentem hesterno, aut minuentem lumen ab orbe
Assidue (mirum dictu) variare figuram.
Non aliter quàm, quæ sinuosis flexibus errat:
Et nunc sublimi gradiens super æthera passu
Candida purpureo despectat lumine terras:
Nunc humiles eadem vergens depressa sub Austros
Et mutat facies, & se noua prodit in auras.
Quid? qui præterea specie hac concludere lyncas,
Bacche, tuas voluere, & idem genus esse putarunt?
Hæ quoque sunt duplices: minor hæc, procerior illa.
Vtraque præcipiti præstat tamen incita cursu.
In ceruos, orygesque ruunt, quæ corpore magno
Nascuntur: leporem paruæ venantur inermem.
Et tamen ambarum facies est vna sororum.

Dulce

Dulce oculi fulgent;caput est breue;villus vtrasque
Segregat. hæ præ se Tyrio fucata colore
Terga ferunt:illæ croceo uelantur amictu,
Et quasi sulphureis sparguntur floribus armi.
Sint autem quæcumque;suos & amare feruntur
Omnes;& studio catulos ardente tueri:
Tristia conficiant vt duro pectora luctu,
Si sobolem occultus rapuit venator,& omnes
Spelunca ex alta natos immitis abegit.
Quos vt sponte foras secum duxere docentes,
Qua timidos damas capiant ratione,quibusque
Insidijs;si dæ præeunt,ac saxa,facesque
Contemnunt,si forte acer venator adortus
Aut rapere,aut missis voluit prosternere telis.
Tum verò opponunt sese:nec pectora ferro
Subducunt,sed pulchram vltrò per vulnera mortem
Antè petunt,animas antè in certamine linquunt,
Quàm sua raptori concedant pignora matres:
Tantus amor,tanta est seruandi gloria partus.
Egressæ interdum lustris aduersa tuentur
Expertes omnis formidinis arma latronis.
Contemptoque canum latratu,hominumque corona,
Haud prius ingentes animos,viresque remittunt,
Quàm ferro circumfusæ,sæuoque veruto
Aut strauere hostem,aut ipsæ occubuere peremptæ.
Suauem autem toto iactant de corpore odorem:
Ad sese alliciant vt cuncta animalia,cunctos
Sæpe trahant leporumque greges,fœtusque caprarum,
Si quando syluam solæ insedere profundam,

Corpo-

*Corporáque occultæ posuere in vepribus: ijsque*
*Insidias fecere locis, quæ plurima circum*
*Ingenti platanus ramorum protegit vmbra.*
*Namque ruunt illinc subitæ, captosque trucidant,*
*Et iucunda suis ponunt conuiuia natis.*
*Hanc illis memori Liber pro munere habendam*
*Vim dedit, & magni monimenta reliquit amoris,*
*Tempore quo rediens extremis victor ab Indis*
*Mille tulit secum non vno è semine flores:*
*Panchæisque leues tepefecit odoribus auras.*
*Nympha olim nigrisque oculis flauoque capillo,*
*Corpore culta omni, spatiosique incola Gangis,*
*Vouerat intactum Dianæ ætatis honorem*
*Venatrix: syluisque suos sacrauerat annos.*
*Et nunc, veloci libuit si vincere cursu*
*Dorcadas, aut timidos ad retia trudere damas,*
*Sithonias rapidis æquabat passibus auras;*
*Et nunc syluarum cæcis occulta latebris*
*Ingentes fundebat apros: non vlla leones*
*Certior, aut vrsos iaculis confixit acutis.*
*Sæpe etiam varijs cingens sua tempora sertis,*
*Dum gremium multo, multo dum flore papillæ*
*Halabant croceos benè olenti è semine odores,*
*Ad sese è latebris animalia cuncta trahebat;*
*Quæ mox ingenti conclusa indagine Nymphis*
*Læta dabat lætis certa figenda sagitta.*
*Hanc Liber conspectam oculis, & pectore toto*
*Acceptam, cupidis prius haud complectitur vlnis,*
*Quàm vino, & multo deuinctam membra sopore*

*Flori-*

Floribus occultus medio compressit in antro.
Ast illi ereptos vt virginitatis honores
Sensit & insueto tumefactum pondere ventrem,
Indignata Dea est, atroque accensa furore:
Et mihi si sancti est (inquit) cura vlla pudoris,
Persolues meritas polluto corpore pœnas.
Nec tu preterea cœtus temeraria nostros
Non fugies inimica procul, syluasque per omnes
Nympharum certis olim fodiere sagittis.
Sæpe etiam multo Bacchi madefacta liquore,
Dum capies somnos media capieris arena:
Semper & extabunt tantæ vestigia culpæ.
Ergo ea, quæ forma est Nymphas anteire sorores
Dicta modo, humanos mutato corpore vultus
Exuit, & vario spectatur bellua tergo.
Quosque adeò flores croceos secum ipsa ferebat,
Nunc quoque iucundos horum diffundit odores.
Quin velut expulsam neruo stridente sagittam,
Cernimus aeriis cursu non cedere ventis.
At verò faciem propior, collumque leænæ
Nascitur Hyrcanis in saltibus aspera tigris;
Purpureis varium maculis interlita tergus;
Floribus & variis pectus distincta, pedesque,
Venatorum oculis se iucundissima præbet.
Ceu quondam pictas Iunonius explicat ales,
Dum sese admirans informi ostentat amicæ
Arduus, & caudæ circùm rotat vndique pennas.
Tantum autem cursu cunctis animantibus anteit:
Quantum auræ, ventique leues vaga flumina vincunt.
Nullus

*Nullus amor maribus, non vlla est cura tuendæ*
*Prolis, & ignauis nullas dolor excitat iras.*
*Quippe abeunt, simul atque canis venaticus antro*
*Successit, natosque metu suadente relinquunt*
*Matribus: hæ magno defendunt robore. quòd si*
*Obseruans aliquis latebra detraxit alumnos,*
*Atque illæ vacuas mœstæ inuenere cauernas,*
*Exiliunt, pedibusque addunt pernicibus alas.*
*Nec mora, nec requies, rapidæ velut aura procellæ*
*Acta ruit, tergo immites fugientibus instant.*
*Ac, nisi proijciat catulum venator, aduncis*
*Vnguibus, & sæuo miserè lanietur ab ore.*
*Illa volat, dulcemque refert ad limina natum;*
*Atque iterum nota sequitur regione locorum:*
*Itque, reditque viam; donec vaga fertur ad vndas*
*Æquoreas, abigique procul sua pignora cernit.*
*Quos ea tum gemitus imo de pectore fundens*
*Testaturque Deos syluarum, & numina ponti?*
*Non vnquam misero gnatorum in funere mater,*
*Siquando hostiles vrbem inuasere phalanges,*
*Et sola purpurea miserorum cæde madescunt,*
*Conqueritur tanto infelix confecta dolore.*
*Heu iacet: & medio reuoluta in littore sese*
*Proijcit; & rapto moritur tristissima partu.*
*Iupiter hunc nuper prognatæ prolis amorem*
*Iniecitque hominum generi, pecudumque: neque vllum*
*Esse sinit, sublata sui quin pignora partus*
*Triste fleat, tardamque Deum miser increpet iram.*
*Sæuit atrox serpens, catulis cum forte relictis*

Occultam ad latebram pastorem aspexit euntem.
Sæuit & æquoreo curuus sub gurgite delphin,
Inq; hostem pronus rostro defertur adunco,
Plurimaq; inuictus passim dat corpora leto,
Lactentes secum quoties ad pabula natos
Ducit: & hinc amias longo videt agmine, & illinc
Vadere confertas, bellumque, necemq; minantes.
Quamquam etiam dulces (quis non miretur?) alumnos
Ipse suos, præter morem ingeniumq; ferarum,
Diligit, & grandi iamdudum ætate nepotes
Aeterno, nec vana fides, comitatur amore.
Quid? quos imbelles gemitus dant pectore ab imo
Capreoli, raptos si forsan ab vbere fœtus
Abstulit, & pulchræ misit venator amicæ,
Quos antè abdiderat cæcis enixa cauernis,
Et quercu, & multa contexerat ilice mater?
Tum nox nulla diem, neq; noctem Aurora secuta est,
Quæ non audierit tristes è pectore voces
Mittentem, & natos questu, lacrymisq; vocantem.
Quid? quas assiduè secum philomela querelas
Integrat, vt viduo rediit mœstissima nido?
Lugentem vesper, lugentem Lucifer illam
Inuenit, & mediis seu Sol latet abditus vndis,
Seu celeri aduersum curru terit arduus orbem.
Nonne vides alta secum quot turtur ab vlmo
Ingeminet questus, sortemq; incuset iniquam?
Immò ea, quæ platanũ genitrix, vbi densior vmbra est,
Et virides tereti funduntur ab arbore rami,
Insedit; sobolemq; illic malè tuta locauit

Implumem, & mira nidum contexuit arte,
Prouidaq; innumera cælauit fronde latebras,
Cum videt intortos trunco circumdare flexus
Squalenti ceruice, armisq; rigentibus anguem
Tum capite extare immani, tum summa tenere
Fulcra tori, atque atris absumere dentibus omnem
Spem generis: tremulis clangoribus aera complet,
Et miseram implorat miseris conquestibus Echo.
Denique peruolitans cunctos mæstissima ramos
Verberat os olli pennis: aut terga cruentis
Sparsa notis plangens in fauces insilit, & se
Ipsa quoque infelix sæua dat cæde vorandam.
Præterea quàm triste fremit, quàm torua tuetur,
Quæ nobiscum ædes nostras vnà incolit ales?
Si quando in summo molles rotat aere gyros
Miluius, & lentos cauda moderante volatus
Dirigit, inq; imis defigens lumina terris
Remigio ingenti contextas explicat alas.
Scilicet ille vncis raptam parat vnguibus escam
Secum ferre, suis quam mox apponere natis
Possit, & exhausti ieiunia soluere ventris:
Terrificas mater summo tum vertice cristas
Sæua quatit capitis, plumasq; horrore rigentes
Arrigit, & cæli summas se iactat ad auras,
Perculsosq; metu, & diris stridoribus actos
Voce vocans ad se dulces ciet vndiq; natos,
Demittitq; alas, pennarumq; aggere septos
Subter habet, magnisq; procul clamoribus hostem
Exigit: vsque suæ linquat dum tecta cohortis:
In-

Inuitusq; amnes petat, & stagna alta, lacusque,
Piscibus vt vacuam, ranisq; loquacibus, aluum
Expleat, & multa serpentum cæde cruentet.
Hoc desiderio in primis tabescit inani
Tigris, vbi ereptos lato procul æquore fœtus
Callidus abduxit solita venator ab arte.
Quin cadit in laqueos plerumque, & cassibus hæret,
Dum sequitur raptorem, altis quos vallibus ipse
Abdidit: & speculo persæpe eluditur, vt se
Inspexit, natosq; illic decepta putauit
Esse suos caueis, & iniquo carcere clausos.
Tigribus hæc sat erũt. Vrsis pars proxima dãda est.
Quorum alijs alij multo præstare feruntur
Robore: & irarum maiori feruere in æstu.
Integit his armos fuluus color: integit illis
Aspera terga cinis: tamen est insignis vtrisque
Calliditas: sunt hirtæ aures: est oris hiatus
Ingens: & , quoties subitas decurrit ad iras,
Dentibus exertis grauiter frendetque, fremitq;
Ambo vncis agiles manibus comprehendere, quicquid
Siue furor iussit, vacui siue improba ventris
Admonuit rabies, ambo committere multam
Cædem auidi inuadunt pascentem gramina taurum
A tergo, & pugnam non æquo marte capessunt.
Præcipuè validos humero sub vtroque lacertos
Adducunt, prensosq; necant amplexibus, & vi
Elisam subigunt animam diffundere ventis.
Quamquam autem toto solidæ stant corpore vires,
Rapta quibus pugnas inter venabula frangit,

Et veterem iratus sternit radicitus ornum:
At caput ignauum obstipis ceruicibus hæret,
Vulneribus, plagisq. patens, quas obuia sæpe
Venantum manus, aut dextra confisus, & armis
Imponit iuuenis, funditq; in terga supinos.
Illi autem somno vincti labuntur, & altam
Extemplo in noctem titubantia lumina claudunt.
Præterea, certæ quæ sunt longissima vitæ
Tempora, vix annos viginti implere feruntur.
Nam, quibus has æui extremas contingere metas
Contigit, & quarti spatium decurrere lustri,
Nulla oculis captæ quærunt alimenta senectæ:
Sed macie confecti omnes obiere, ruentesque
Interdum summi prærupto è vertice montis
Ingentem miseri secum traxere ruinam,
Et dulces animas fracto liquère cerebro.
Interea, vires præstat dum læta iuuentus,
Nec lucem negat æthereàm iam serior ætas,
Pascuntur gelidi viridantia prata Lycæi:
Pomaq; decutiunt summis pendentia ramis:
Castaneasq; nuces, & corna rubentia frangunt,
Et glandem, & corylos, &, quos tulit vua, racemos
Impransi populantur: &, vt niue summa rigescunt
Pascua, & arentes nusquam dant arbuta syluæ,
Descendunt summis è montibus, & sata culta
Aggressi, vastant plenos aluearibus hortos.
Atque aliquis vacui passus ieiunia ventris
Inuadit, manditq; simul, quæ plurima terræ
Subter habent, siccatq; vndantia pocula lacte,

Si quando Nomades caulas liquere patentes,
Plenaq́; non vllo paſſim ſtant ordine mulctra.
Tu tamen, occultis latebram ſi quæris in antris,
Cedentem è paſtu, & redeuntem ad tecta memento
Obſeruare oculis: aluo ſatur ille voraci,
Quà mediæ celebris latè patet orbita ſyluæ,
Ingrediens pedibus ſumma ſe ſiſtit in aula.
Scilicet ingenti membrorum mole grauatus
Vix mouet, & paſſu veſtigia ponit inerti,
Obliquum nec tramitem agit, quem pruna, rubiq́ue
Impediunt, aſpræq́; tenent ſenteſque, vepreſq́;
Antè, ſuas obeat multa quàm nocte cauernas
Serus, & irriguæ det corpora feſſa quieti
Inde procul, depaſtus vbi ſata gramina campi eſt.
Quamquã etiam cum certa monet fuga, tẽdere curſum,
Obſcura quà mons horret denſiſſimus vmbra,
Et duræ intexunt paſſim diuortia ſepes,
Accelerat, lucoſq́; ſubit malè tutus opacos.
Hic ille interdum, cùm iam ſpes nulla ſalutis
Linquitur, & ſolidas expoſcunt tempora vires,
Conſtitit in plantas ſi fortè arrectus vtraſque,
(Degeneris quæ ſigna metus) age, conſere pugnam
Comminus, & ſtantem nodoſo inuade veruto.
Cedit enim, victaſq́; manus tum porrigit hoſti,
Et ſupplex orat vitæ ignoſcatur inerti.
Verum adeò quadrupes ſi verterit obuia pectus,
Pugnat atrox, totoq́; ſuper venabula fertur
Corpore, & horrentes haſtas frangitq́ue, ruitq́;
Certa mori, aut duro victrix excedere bello.

Tum,

*Tum, si quæ hirsuti, accepit vulnera membris,*
*Et iuuenum elabens medio è certamine fugit,*
*Sæuit, & excisam curuis secat vnguibus aluum:*
*Quaq; patent altæ confossa in tergore plagæ,*
*Viscera tota trahens terræ fœda sanguine turpat.*
*Dumq; adeò ingentes animos in pectore versat,*
*Et tractat manibus crudelia vulnera obuncis,*
*Deserit vnà ipso vitamque, iramq; sub antro.*
*Præterea cùm fessa mouet vix membra labore,*
*Atq; inter pugnam magno iam fractus ab æstu est,*
*Aut amnes, aut stagna petit, putrem ve lacunam,*
*Aut lustra, aut tenui manantem flumine riuum,*
*Immundusq; graui cœno se mersat, & vnda.*
*Ipsa autem in primis stimulata libidine segnes*
*Versa mares, vltroq; ardens irritat, & vltrò*
*Prouocat: & cura Veneris iam percita fertur.*
*Hinc grauidi plerumq; elidit pondera ventris,*
*Dum varios lassat numquam defessa maritos.*
*Et primum Oceano sæua cum Gorgonis angues*
*Conduntur, Solemq; suis Saturnius astris*
*Excipit, & terras contristat frigore Chiron,*
*Antra per, & latebras, quibus alta cubilia fronde*
*Strata iacent, illi lusus, dulcesq; Himenæos*
*Concelebrant: geniale hyems inuitat: ibi omnes*
*Occlusi in Venerem curas, animosq; resoluunt.*
*Nec post concubitus vnà versantur: at alter*
*Secedit: siue illud amor, pietasq; tumentis*
*Coniugis, aut certè Veneris fastidia suadent.*
*Dumq; procul cubiturus abit, non ille latebras*

*Ingreditur pedibus nitens, sed terga supinus*
*Sternit humi, dorsoq; ingens irrepit in antrum.*
*Hic quater vndenas peragens ex ordine luces*
*Occulitur, somnoq; diu, placidaq; quieti*
*Indulgenti alto pinguescunt membra veterno.*
*Tunc faciles aditus: neque eum vix tela profundum*
*Excutient oculis per vulnera lata soporem.*
*Vere nouo specus, atque exesi fornicis antrum*
*Linquit, & inualidam ceruicem educit in auras.*
*Quin etiam mater non antè egressa cauernas*
*Deserit, & summi latebrosa cubilia montis,*
*Quàm partus enixa suos formauerit: & iam*
*Aureus æquales referens se Phœbus ad ortus*
*In vitam extinctas passim reuocauerit herbas:*
*Cornuaq; auersi calefecerit ardua Tauri.*
*Tum quos triginta gemino grauis vbere noctes*
*Eduxit, totidemque dies, ne forsitan ira*
*Percita dilaniet teneros sua viscera natos,*
*(Exacto nam mense vngues creuere rigentes,*
*Queis illi vacuas fœdant persæpe papillas)*
*A lacte immites genitrix depellit alumnos.*
*Quasq; epulas, & fœda suo libamina ab ore*
*Euomuit, natis alimenta ministrat, & aluum*
*Ingratam eructans frustis graueolentibus explet.*
*Ergò auidi caram numquam liquere parentem,*
*Ni prius in sese vestigia voluerit annus.*
*Præcipuè verò lepores Venus improba flammis*
*Exercet, magnoq; animos accendit amore:*
*Et numquam insano præcordia liberat æstu.*

Namq; illi;siue vrit hyems sata pinguia,siue
Culta nitent varijs distincta coloribus arua,
Seu calor arentes exurit Sirius herbas,
Seu frondes,& poma fluunt iam mitia ramis,
Sollicitant spatia æterni decurrere amoris:
Atque iterum grauidæ maribus subsidere,& vnà
Lasciuos agitare iocos,& mutua noctis
Gaudia:tota quibus stimulatæ pectora matres
Extemplo repetunt,postquam peperere,maritos:
Conceptisq; alijs alios(mirabile dictu)
Concipiunt,eduntq; alios:& tempore eodem
Immatura omnes superat fœtura per horas.
Vixq; ægram partu facilis Lucina leuauit,
Multiplici & proli superaduenit altera proles.
Ac,nisi protinus amplexu excipiantur,& omnes
Concubitu sedent incendia fusa per artus,
Et scelere,& furijs nimiùm crudelibus actæ,
Quos vtero tulerant decies sex ante diebus,
Ilicet absumptos fœtus in viscera condunt.
Cunctarum verò furor est insignis,& æstus,
Frigidus humentes cùm fundit Aquarius vrnas.
Tum simul incedunt hilares:tum multa frequentant
Coniugia:inq; ipsis occulta cubilia sulcis
Agrorum posuere:neque inde excedere curant,
Donec fœcundis operitur campus aristis.
Nam post triticeas messes,subiere recessus,
Sicubi pampineas diffundit vinea frondes.
Denique maturas vbi iam vindemitor vuas
Legit,& vmbroso vites spoliantur honore:

*Tum repetunt sepes, tum densis consita dumis*
*Tesqua colunt: non illa imbri, non peruia vento.*
*Hic, quoties tristes obducunt astra tenebræ,*
*Atque atri impendent nimbi: micat ignibus æther:*
*Et multo sata culta natant humore, cauæq;*
*Implentur pluuia, & crepitanti grandine fossæ,*
*Scilicet & valida molitus fulmina dextra*
*Iupiter horrentes fremitus, & murmura concit:*
*Abruptosq; ruens densis è nubibus imbres*
*Intorquet, sæuamq; omni ciet aere pugnam*
*Ventorum, & duras violento turbine quercus*
*Eruit: exuperantq; altas dum flumina ripas,*
*Atque improuisis torrentibus aucta feruntur,*
*Arduus immanes deuoluit in æquora montes,*
*Securi mansere sui. neque, nubila lætus*
*Cum pepulit Boreas, & cælo depulit Austros.*
*Aprici radios vnquam spreuere calentes.*
*Sed, simul ac pulcher terris affulsit Apollo,*
*Exponunt tepido rorantia corpora Soli:*
*Et recreant madidos neruis torpentibus artus.*
*Interea, cùm iam curuus iuga soluit arator,*
*Et repetunt noctu fessi præsepia tauri:*
*Exortumve iubar, lucisq; aurora propinquæ*
*Nuncia, & in tenera ros iucundissimus herba*
*Euocat in saltus virides armenta, gregesque,*
*Decerpunt læti turgentia gramina campi,*
*Et culmos segetum, & fibras tellure repostas*
*Herbarum, & lento morsus in cortice figunt*
*Arboris, atque vdos attondent vndiq; libros:*

Nec parcunt strato pomorum, aut glandis aceruo,
Aut viciæ, aut milio, aut proceræ frondibus vlmi.
Præcipuè gratæ syluestria gramina menthæ,
Quæq; amant riguas inculta sisymbria valles,
Et vaga serpylla, & puleij ignobile gramen
Perquirunt: plenaq; herbis redolentibus aluo
Præcipiti cursu iuuenesque, canesq; lacessunt.
Læta tamen vacuo quoties sua pascua ventre,
Aut pleno repetunt secreta cubilia, certum
Vna, eademq; via peragunt iter: atque ita nusquam
Libera consueto vestigia tramite flectunt.
Quamuis multiplices (seu sint prope pabula, seu sint
Inde procul latebræ, quibus incessere,) requirunt
Mæandros, cursusq; suos, crebrosq; recursus:
Inq; orbem, flexumq; viam, quam nulla genista
Occupat, & nullus spinis paliurus acutis,
Insistunt, timidiq; cauent (is scilicet astus
Ingenij, vafræq; artes) ne forte reuulsus
Hæreat è tergo pressa ad virgulta capillus,
Obijciatq; cani notum de corpore odorem
Erranti, & trepidè gressum per cuncta ferenti,
Dum tenues mittit voces, dum mollia crura
Iactat, odoratasq; reducit naribus auras.
At simul è latebra solita commouerit arte
Paruus hylax, primusq; venit latratus ad aures
(Namque sonos quamuis tenues audire feruntur
Ipsi oculis hebetes) consurrexere, ruuntque
Quòquò agit & pauor, & latrantum interrita turba.
Atque alij suadente fuga contendere pergunt

Rectum iter, & versi ſpatium decurrere montis,
Et celerem ſua per veſtigia flectere greſſum.
Membraq; cum multo norunt defeſſa labore,
Succeſſere vmbræ, & capti ſe protinus hoſti
Dediderunt: aut gleba recens, quam nuper arator
Inuertit, nondum illa æſtu concocta, latentes
Concolor & dorſo, pullis & concolor armis
Tutata eſt. aliis breuior fuga. nam ſimul illi
Exiluere cauo, timidi conſiſtere ſuerunt
Sæpius, & rapidos tum demum extendere curſus,
Cum crebras traxere moras, longumq; quierunt.
Nec deſunt etiam, qui nuſquam exire cubili
Audent, & lato vitam committere campo.
Præcipuè ſenos ſi nondum tempora menſes
Vertere, & poſitam in pedibus docuere ſalutem.
Primum autem ſugunt bis denas vbera luces
Lactea: mox virides paſtum ducuntur in agros;
Curſibus & rapidis paulatim aſſueſcere diſcunt,
Venantumq; oculos vario iam fallere flexu.
Quid? qui defoſſa ſubeunt tellure cauernas,
Corporaq; obſcuris abdunt occulta latebris?
Quid? qui vix tenuem iactant de corpore odorem,
Omniaq; incerto turbant veſtigia paſſu?
Nonne vides, alios mutant vt ſæpe receſſus?
Inq; alias, aliasq; arces fugere timentes?
Et ſe non vna profugi ſtatione tuentur?
Scilicet hi canibus, nemorum quas plurimus vſus
Edocuit, multaq; inſignes reddidit arte,
Cogendi in caſſes, multo & cuſtode domandi.

Illum autem, arrectis qui, dum fugit, auribus adstat,
Atque adeò in tergum caudam reflectit, & altè
Sustulit extremis abiens vestigia plantis,
Non secus ac subito terrore cuniculus actus,
Alterutro grauiter terram pede percutit, & se
Accelerans condit cæci in penetralibus antri,
Vix vllæ superare queant thoesve, canesve.
Nec minus, in visa qui perstitit vsq; latebra,
Ipse sui fidens animo discrimina temnit.
Ergo vbi iam tempus, latebra procul exit, & acri
Aequora lata fuga, summiq; asperrima montis
Saxa legit: cessere canes, ipsiq; sequentum
Vix acie possunt oculi seruare ruentem,
Tranantemq; lacus, & magni flumina Amani.
Ipsæ autem inuitæ patrijs è finibus actæ
Decedunt, sociumq; sui si fortè cubilis,
Et teneros secum natos habuere parentes;
Ceu cùm concordi tutatur mœnia dextra,
Et fugat Ausonia Cimbrum Romanus ab alta,
Linquentem sterilesq; agros, gelidasq; paludes,
Et profugum sedes, alienaq; regna petentem,
Defendunt multa redolentia pascua thymbra:
Quemq; prius tenuere locum virtute tuentes,
Inde alios lepores facto procul agmine pellunt.
Ac, nisi crudelem sæua iam cæde tyrannum
Sternis humi, & multa placas cane prouidus agros,
Mox tecum iratus latebras damnabis inanes
Sæuus, & immeritæ iactans conuicia valli,
Aut visco, aut curuo piscoso in fluminis alueo

Pecto-

Pectoris ingentes curas solaberis hamo.
Ergo omnes exerce artes, catuloq; sagaci
Venare assiduè, & dominos occide superbos.
Accedent aliis tum protinus aduenæ ab oris,
Et plenæ vndabunt multa iam prole cauernæ.
Jam verò scopulos si quisquam emensus, & vndas
Icarii quà læua patent maris æquora, nauemq;
Jnflectens dextra Phrygias aduenerit oras,
Atq; illic cursu timidos agitabit onagros,
Nequando ignotæ deceptus imagine formæ
Erret, & ingratos referens ad limina gressus
Esse putet veterum mendacia dedita vulgo,
Protinus hæc animo memori mandata recondat
Signa, neque ingenii mores contemnat agrestis.
Ac primum, seu tu Libyæ deserta peragras,
Seu tractus Asiæ, diuortia quærere aquarum
Jmpiger, & rupes altas lustrare memento:
Vnde fluens Lyciam media disterminat vnda
Xanthus, & igniuomæ propior videt ora Chimæræ.
Illic decerpunt læti sua gramina, & illic
Vnà omnes sumunt liquidos è fontibus haustus,
Jnterdumq; etiam, dum sæua Canicula terras
Exurit, tenuiq; amnes vix flumine manant,
Ore omnes versi in Boream, frigentibus auris
Siue sitim, siue illi æstum, sedare feruntur.
At sonitu ingenti putrem quatit vngula campum
Cornea, venantem quoties fugere: suisq;
Temporibus stant longæ aures: tum corpore ceruos
Exuperant: nec lana nitet non alba colore


Mista nigro, ceu cùm nubes densentur opacæ,
Et totum eripiunt oculis cælumque, diemque:
Nigraq; per medios decurrit tænia lumbos:
Linea quam clunes tractim comitatur ad imos,
Vtraq; distinguens niueo sua tergora ductu.
Præterea non vlla magis consumitur æstu
Paulatim, & magni stimulis agitatur amoris
Bellua, nec quicum totidem socientur amicæ.
Illarum nam manè simul, seu pascua læta,
Seu fontes, riuosq; adeunt, vel ad ipsa reuertunt
Antra sub obscurum noctis, longo ordine, turmam
Quisque suam ducens, vnus regit arbiter agmen
A tergo, & noctu septo concludit eodem.
Obseruatq; miser grauidæ quo tempore matres
Decumbunt, fætusq; edunt in luminis oras,
Sedula non aliter quàm, cùm parientibus adstat
Obstetrix, teneramq; auidis prolem excipit vlnis.
Sic ille obtutu assiduè defixus in vno
Assidet: atque, vtero si fœmina prodijt infans,
Accurrit mulcens, & corpus amabile lingua
Fingit, & informem iam spe malesanus amicam
Præcipit amplectens, atque oscula dulcia libat.
At, si forte marem labentem aspexit ab aluo,
Irarum ingentes voluit sub pectore fluctus
Improbus, & prolem morsu radicitus aufert,
Dum multo auellens genitalia vulnere fœdat.
At genitrix miserata sui sua viscera partus
Mæret, & ingenti complet nemus omne querela:
Numinaq; incusans tardam Iouis increpat iram.

Ille

*Ille tamen precibus numquam placabilis vllis*
*Sæuit: & os atrox cognato sanguine turpat.*
*Nec verò inuidia solæ inflammantur inani*
*Quadrupedes, verum iste metus genus omne ferarum*
*Exagitat, sæuoq́; homines exterret asilo.*
*Scilicet heu nimium felix humana propago*
*Visa Deis, procul hinc nobis si dira fuisset*
*Acta lues, limenq́; modò insedisset Auerni:*
*Nec nostras vmquam diris infecta venenis*
*Turbaret mentes; animosq́; aggressa quietos*
*Inficeret misera mortalia pectora tabe.*
*Et potuit satis esse tamen, quòd debita morti*
*Corpora sortiti luimus delicta Promethei*
*Impia, in æternam claudentes lumina noctem.*
*Quantos illa trahens Stygijs aduexit ab oris,*
*Et secum luctus æternum extendit in æuum.*
*Non pestis, non ira Deûm sese extulit vmquam*
*Tetrior, aut æquè est hominum populata medullas.*
*Namque vbi subrepens vestigia fixit: & illi*
*Omnia sunt macies, sunt omnia luridus horror,*
*Sunt tenebræ, & tristis leti pallentis imago.*
*Hæc olim Aegidem furijs immanibus egit*
*Præcipitem nati respergere sanguine littus,*
*Insontis nati patrem: & nil tale merentis:*
*Vt face succensus sæua feralis Erinnys*
*Discerpi tandem optarit miserabile corpus.*
*Ipse igitur votiq́; reus, precibusq́; potitus*
*Fœdari infelix passim sua viscera vidit,*
*Tristia nec potuit crudeli auertere visu,*

*Ne sua tam duros spectarent lumina casus.*
*Immò vsque immotis oculis immotus in ipsa*
*Cæde manens, lætus currumque, rotasq; sonantes*
*Audijt, & sparso vepres rorare cerebro.*
*Nec tu ideò sceleris fugisti innoxia tanti*
*Sæua parens laqueo ceruicem innexa tenaci,*
*Sed misera ante diem, medioq; in limine vitæ*
*Ingentes subitò pœnas extincta dedisti,*
*Cecropidum complens infando mœnia luctu.*
*Jam verò nostro quis tam semotus ab orbe est,*
*Dira Thyestææ qui non opprobria mensæ*
*(Namque ea tum dira Sol execratus ab vrbe*
*Auertit celeres flexo temone iugales)*
*Nouerit, atque epulas? olim quas improba Procne,*
*Procne olim scelerata viro quæ dona parauit?*
*Quosq; suas tinguens infelix sanguine fauces*
*Ipse pater Tereus in viscera condidit artus?*
*Quid dicam, absumpto quæ quondam fratre secuta est*
*Aesonidem? spreuitq; senem malefida parentem?*
*Et patrias magico violauit carmine leges?*
*Nonne vides pueris, mater quos ipsa crearat,*
*Infelix mater pueris vt guttura ferro*
*Hausit, & in miseræ genialia fulcra puellæ*
*Iniecit flammas, magnumq; est vlta dolorem?*
*O fortunatos nimium, quos nullius vmquam*
*Vicit amor, mentem nec cura occulta peredit:*
*Inuida quæ sæuo lacerans præcordia morsu,*
*Venantem haud patitur nemorum meminisse, canumq;*
*Scilicet, atque animum somno iam torquet adempto:*

*Iam tenuat turpi squalentia corpora morbo.*
*Ergo omnes odit, quos antè educere semper*
*Ipse suos comites secum in nemora alta solebat:*
*Nec dolet, interrupta situ quòd retia inerti,*
*Atque exesa iacent scabra rubigine tela:*
*Verùm acri semota metu mens anxia, & ira*
*Soluit in æternum tabentia lumina fletum,*
*Cunctaq; tranquillæ perturbat gaudia vitæ.*



# PETRI ANGELII BARGAEI CYNEGETICON

## *Liber quartus.*





*ED iam syluarum reliquos dicamus alumnos,*
*Pierides, Gangisq; iuuet prope fluminis vndam,*
*Mollis vbi suaues non vno è semine odores*
*Halat humus, mecum gelida considere ripa.*
*Huc ades, ò, nostrumq; iuues inuicte laborem:*
*Si licet hanc etiam syluis impendere curam,*
*Et potes intactos sumpta lustrare pharetra,*
*Quà felix Libye, quaq; explicat India saltus*
*Læta suos: quà se summis ex Alpibus amnes*
*Deuoluunt Rhodanusque, Padusq; & Rhenus, & Ister.*
*Huc ades, & paruo quæ nunc spectacula Circo*
*COSME damus (sic fida omnes tecum exigat annos*
*Magnorum antiquus, coniux tua, sanguis Iberùm:*

Sic

*Sic proles generosa patrem virtutibus æquet,*
*Et superet lætis rerum successibus) ipse*
*Ipse tuo aspectu, atque oculis dignare serenis.*
*Hic lusus, & amicitias, hic prælia si qua*
*Committit dente infrendens genus acre ferarum,*
*Hic mecum versare dolos miraberis astu.*
*Nec minus hirsuti venient ad pabula echini*
*Intereà, spinisq; ferent affixa supernis,*
*Quæ matura caua componant arbore poma:*
*Et figet duris hystrix vrgentia pennis*
*Ora canum, & certos tenta cute diriget ictus*
*Eminus, & calamos iaculabitur acer iniquos.*
*Tunc ego vel sumptam præacutæ cuspidis hastam,*
*Aut celerem adducto cornum festinus ab arcu*
*Coniiciam, sæuumq; suis in vepribus hostem*
*Victor humi fundam, nec tergora dura resistent.*
*Pendebunt alti medio de fornice tecti*
*Exuuiæ; lætiq; meas ad sidera laudes*
*(Ni me dulcis amor, ni blanda insania ludit)*
*Alta ferent, nostræ vincant modò carmina Musæ*
*Longa vetustatis viuendo secla, nepotes.*
*Atque aliquis forsan tantos miratus honores*
*Optabitq; leuis cineri sit terra sepulto,*
*Felicemq; vmbram dicet, Manesq; beatos.*
*At magna Elysios inter volitabit imago,*
*Ascræumq; patrem, virides cui fronte corymbi*
*Pendent, & grauidas demittit pampinus vuas,*
*Læta colet: doctoq; assurgere sueta Maroni*
*Arcanos tacito venerabitur ore recessus,*

Quos tenet, & solus cum magno seruat Homero.
Inde procul gressum sistens, sedemque, locumque,
Et coetum inuiset vatum secreta piorum.
Occurrent, mecumq; ibunt tum protinus omnes
Fortunatæ animæ, nec dedignabitur vllus
Alloquium: seu magnus erit Sebethidos vnde
Incola: seu medio qui natus in æquore quondam
Benaci festam celebrauit arundine lucem.
Non crinem aureolum seruans sibi pignus amoris
Cotta, nec in tenera nimium deceptus Hyella,
Dum dolet effusis hostes discurrere campis,
Et Latias mœstus deflet Naugerius oras,
Congressum aufugient nostrum. quin agmine facto
Attica Flaminius numeris expressa Latinis
Effigies, citharæq; bonus percurrere chordas
Casa aderunt; Diuûmq; pio qui carmine laudes
Vida canit; quiq; Aonijs gratissimus antris
Maxima Virginei celebrat miracula partus:
Tum Musas summis è verticibus Parnassi
Voce vocans trahit æquoreas ad littoris vndas.
Ipse etiam medica insignis Frastorius arte
Adueniet, plenoq; meus mihi Varchius ore
Ingenti biforem cantum dabit vnus, & ipsas
Accliui recubans in gramine contrahet horas.
Si quis odorati medijs in vallibus Indi,
Aut vbi inaccessas tellus Maurusia syluas
Densat, & horrenti virides tegit ilice saltus,
Immanemq; feram, & vasta se mole mouentem
Aspiciat, cui iuncta humeris non ardua ceruix
Pro-

*Prominet: & latas ad tempora deijcit aures:*
*Cuiq; oculi ingentes, at non pro corpore, & auctus*
*Ad terram in multos naris demittitur vsus,*
*Ille quidem quòquò versus sic tortilis, vt se*
*Complicet: & stipulas, ceu si manus esset, inanes*
*Seligat: & veteres sternat radicitus oruos*
*Interdú, & grandem tamquam tubus euomat vndam.*
*Illam adeò quicumq; videns nouus aduena secum*
*Miratur, rerum ignarus, geminosq; supernis*
*Prospicit è malis dentes, ceu cornua denos*
*Longa pedes fluere ad terram, mox leniter in se*
*Reflecti, & diros mucrones tendere in hostem,*
*Esse feram sciat is, Graio quæ nomine dicta*
*Est elephas, monstrum Indorum admirabile gentis,*
*Indorun, quos exoriens Sol aspicit, & quos*
*Verberat è medio radijs ardentibus axe.*
*Horum alij summos saltus, & inhospita Tauri*
*Saxa colunt, suetiq; hyemes, & frigora ferre,*
*Nec mores mutare suos didicere, nec vllam*
*Aut seruare fidem, aut blandis parere magistris.*
*Mens eadem domitis, eadem feritatis imago*
*Fixa manet, sæuosq; dolos in pectore versat.*
*Sunt alij, quos stagna iuuant, vluæq; palustres,*
*Et valles circumclausæ torpentibus vndis.*
*Scilicet his amens nimis, & mutabile in horas*
*Ingenium, tum liuentes rubigine dentes*
*Non manus artificis, non raræ lamina serræ*
*Perpolit, aut vllos ducit suus ignis ad vsus.*
*Anteeunt cunctis, campos quicumque patentes*

Depa-

Depascunt, dulcesq; vndas, & flumina potant
Indorum, & cursu celeres lata æquora verrunt:
Quæ pater Oceanus dubijs anfractibus ambit,
Illustriq; suo propior fouet ore Canopus.
Illic (vt perhibent) fruges bis parturit annus,
Bis poma, & flores gemino bis Vere leguntur.
Brumaq; seu Cancro, siue ingruit è Capricorno,
Nulla ex arboribus dependet stiria, nullæ
Frigore concretæ sistunt vaga flumina crustæ.
Vsque adeo paribus tempus discriminat oris,
Summaq; temperies æquat frigusque, caloremque.
Inde hominum (ni vana fides) procera feruntur
Corpora natorum senas assurgere in vlnas:
Tercentumq; hyemes, tercentum ex ordine totas
Exigere æstates nullis obnoxia morbis.
Ergo elephas, seu bella tibi ludicra parantur,
Siue hostem sequeris sumptis iam comminus armis,
Depastus latè campos, quos irrigat Indus
Diues, & ingenti fœcundat flumine Ganges,
Sustentans humeris turrim feret arduus altam:
Quam iuuenes armis, primaq; ætate nitentes
Quindeni insistunt, ac desuper omnia fundunt
Telorum genera, & complent lata arua sagittis.
Ille autem huc illuc rapidus vasto impete fertur:
Et pedibus miseram proculcat in agmine turbam.
Ceu quondam in syluas demissus montibus amnis,
Immensaq; auctus pluuia, niuibusq; liquatis,
Quem neque iam ripæ capiunt, neq; saxa morantur
Vlla, neq; obiecto surgentes aggere moles.

Aut,

*Aut, cum sublimi Boreæ de vertice præceps*
*Fulmen agens nimbum sæuos ruit æthere ventos,*
*Arboribus latè stragem, pecoriq; ferentes.*
*Ingens ipsa quidem, cui nec contenderit vlla*
*Bellua, nec sese tam vasto corpore iactet*
*Vlla parem: quippe in summo si culmine montis*
*Constitit, atque ipsis humeros æquauerit astris,*
*Miramur rerum ignari, ceu Pelion Ossæ*
*Impositum, & toto nutantem vertice Olympum.*
*Cumq; ipse immani membrorum mole feratur,*
*Crura tamen breuia, & molli vix commoda flexu*
*Promouet incedens, & gressibus ambulat æquis.*
*Lapsus humi si forte iacet, pedibusq; supinis*
*Calcitrat, immanes tandem vix subleuat artus.*
*Idcirco tenebras cùm Luna inducit opacas,*
*Astraq; consurgunt tenues suadentia somnos,*
*Prostratus medijs numquam requiescit in agris:*
*Verùm humeros truncis, riparumq; aggere fultus*
*Sustinet, & placidam fundit per membra quietem.*
*Interdumq; vnà veteri cum stipite fagi*
*Concidit, hesternus tales quam Maurus ad vsus,*
*Pascua dum seruat fallax & lustra, parauit:*
*Prostratumq; dolo, & adhuc languente sopore*
*Deuinctum aggreditur, ferroq; obtruncat acuto.*
*Incedunt vnà plures, atque arua pererrant*
*Taprobanæ, longè nec cedit ab ordine quisquam,*
*Siue illi teneras frondenti ex arbore plantas*
*Decerpunt, strataq; legunt è termite palmæ,*
*Quos fæcunda suis passim tulit India fructus:*

Siue

Siue iter in syluas, suspectaq; pascua tendunt.
Ac velut instructum miles digestus in agmen,
Nescius an latebris insederit acer Hiberus,
Gallus an aduersos inimico marte lacessat,
Ingreditur, non vsquam aciem, non castra relinquens,
Sed signum obseruans oculis, atque auribus adstat.
Quod si qua humani solers vestigia gressus
Deprendit, cui totum agmen parere iubetur,
Hæret, & extemplo venientibus ordine monstrat,
Quicquid id est, partesq; metu permotus in omnes
Subsistit, latebrasq; oculis perlustrat iniquas,
Irarumq; acres stimulos in pectore vertit.
Tum verò iuuenum mentem scrutatus, & vnà
Insidijs hominum veritus loca densa parandis,
Circumagit prudens, vnde antè adduxerat agmen.
Callidus ast Afer platano contectus, & vmbra,
Expectatq; tacens, ac vix sibi temperat audax,
Quin mediam inuadat conuersam in terga phalangem.
Expectat tamen: &, totus cùm transijt ordo,
Occupat extremi demissus ab arbore clunes,
Comprenditq; manu caudam, dextraq; securim
Molitus validam soluit deiecta ruentis
Genua feræ: gemit illa cadens, & sæpe superbum
Latronem affligit vastæ sub pondere molis,
Ni citus exiliat, seq; in loca tuta receptet.
Sunt etiam qui letales intendere neruos
Consuerunt, mollemq; aluum penetrare sagittis.
Namque humeros, totumq; cutis tegit aspera tergum,
Vix gladijs hominum, vix vlli peruia telo.
Ast

Ast alijs fossa medijs in montibus ingens
Cingitur ingenti, confertusq; area ramis.
Cumq; adeo saeui stimulis agitantur amoris,
In medioq; elephas pernoctat fœmina septo:
Continuò, namque ipse aditus patet amplus, amantes
Excipit incautos, demissaq; obice portæ,
Seu ponte euerso, fossæ qua iunxerat oras,
Concludit lætus densa insidiator ab orno.
Inde omnes macie postquam tenuauit, iniquis
Prosequitur miseros flagris, & verbere sæuus.
Tum demum victi flectunt genua ægra labantes;
Longaq; septenæ passi ieiunia lucis,
Abijciunt acres animos, tergoq; iacentes
Sessorem accipiunt, nec iam parere recusant
Imperio, paulatim herbis, cannisq; refecti.
Quin etiam, quos ante nimis timuere, nimisq;
Odere infensi, posita feritate benignos
Protinus ingenti dominos venerantur amore.
Nocte tamen sola sæui cùm forte magistri
Imperitant captis, insuetaq; colla catenis
Vrunt, & multis dissoluunt corpora plagis,
Triste gemunt, flentesq; oculis sua fata queruntur.
Atq; hinc Graiorum seclo, cum falsa per orbem
Relligio, & fuso colerentur sanguine passim
Numina vana Deùm, visa est cœlestis origo
Illorum, & nostris prudentia proxima rebus.
Quandoquidem nutusq; omnes, & verba loquentum
Obseruant, iussiq; ratem deducere in æquor,
Intendunt funes, & stuppea vincula collo,

*Nutantemq; regunt, & iusto pondere librant.*
*Tractant arma manu; tum, quæ didicere, silenti*
*Et repetunt nocte, & stabulis meditantur in altis,*
*Atque inter mensas persæpe, & pocula longo*
*Ordine discumbunt; fidibusque, & carmine gaudent,*
*Et furtum antiqui memores odere Promethei.*
*Ac postquam pura senior circumtulit vnda,*
*Lustrauitq; pius cunctos ab origine natos,*
*Clara renascentis venerantur cornua Phœbes.*
*Si quem etiam nemore in medio sine honore iacentem*
*Videre, indignum miserati funus amici*
*Inijciunt terram: fractisq; ex arbore ramis*
*Ilicet accumulant, dicuntq; nouissima verba.*
*Hæc studia, hos mores proprios mortalibus olim*
*Natura, & rerum melior Deus addidit auctor,*
*Cùm scelera, & cædes nondum perpessa nefandas*
*Astræam vidit tellus nemora alta colentem.*
*Tempore quo primùm (si vera est fama) feruntur*
*Odisse impuros animis, & moribus apros.*
*Nam neq; Diuorum metuens minus vlla, neq; altis*
*Tetrior incessit syluis fera; quæ sua norit*
*Arma magis: certoq; hostem quæ certior ictu*
*Fundat humi, & validos latrantum dissipet artus.*
*Inde aliquis quoties dentes violentus in hostem*
*Dirigit, vtque duos enses rotat acer, apertum*
*Vna, eademq; femur, ventremque, & pectora plaga*
*Haurit, & in partes medium discriminat æquas.*
*Quin etiam (memini) suffossa protinus aluo,*
*Et crurum molli cæsis in poplite neruis,*

*Fortis*

Fortis equus media cecidit resupinus in acta.
Cælumq; ærato dum verberat vngula cornu,
Heu miser vndanti vitam cum sanguine fudit.
Continuò hæc illi suerunt imponere dentes
Vulnera, quos rostri pars hinc ostentat, & illinc
Inferior, geminas veluti si proferat harpes:
Vtraque quarum acie, & mucrone horrescat acuto.
Nam qui se proni mittunt è parte superna
Aduersos, vsum præstant modo cotis, & illos
Exacuunt, belloq; parant, & fortibus ausis,
Ipsi hebetes prorsus, frustraq; ad prælia nati.
Hinc igitur quoties densis in vallibus instat
Turba canum, cogitq; suis exire latebris
Excitum strepitu, & magnis latratibus aprum,
Confidens animo, & membrorum robore multo
Incursumq; manet, strepitumq; interritus omnem
Venantum, frendetq; ferox, & tergore inhorret,
Et certæ addicit morti quoscumque ferentes
Contrà tela videt, rictuq; extrema minantes,
Oreque, non secus atq; vndans circum vndiq; ahenum,
Virgea suggeritur magno cui flamma sonore,
Spumam agit: & multo costas ad prælia limo
Duratas iaculis, sæuisq; hastilibus offert:
Vulneraq; obducens, media quæ plurima sylua
Accepit, non ille iras, non ille superbos
Demittitq; animos, & sæua pericula vitat
Ignauus. neque enim cursu, pedibusq; salutem
Quærit, & hostiles fugiendo euadere terras:
Sed ruit in medias hominumque, canumq; cohortes

Ultor atrox; certusq; mori, quem ceperat vnum
Ante locum, tutatur habens, neque deserit vsquam.
Hic tamen, ingentis spatia est si libera campi
Nactus, & à nullo callesque, aditusq; viarum
Repperit obsessos, specula digressus ab alta,
Unde prius patulis venientes naribus auras,
Et voces, strepitusq; tacens captauerat omnes,
Longè abit: & densi certus petit auia montis.
Tum verò, quamquam iuuenum vis ingruat ingens,
Pergit iter semel inceptum, directaq; nusquam,
Ni pugnæ remoretur amor, vestigia flectit.
Sin autem circùm videat nemus omne corona
Urgeri, & multo syluas custode teneri,
Continuò celeres ad nota cubilia gressus
Impauidus recipit, seq; ad sua tecta reducit,
Tecta, procellosis quæ nec quatiuntur ab Euris,
Nec radijs vsquam Solis tanguntur acutis.
Strata iacent folijs, culmorumq; aggere denso,
Et nullis intus pluuijs penetrata madescunt.
Hæc vel inaccessi seruant occulta Lycæi
Antra, vel horrendis nemorum loca densa latebris,
Munitæ arboribus sedes, & rupibus altis,
Difficilesq; aditu valles, imæq; paludes:
Quas vepres, iunciq; tenent, quas vndiq; cannæ
Impediunt, fidaq; suem tutantur in arce.
Illinc, cùm medias nox intempesta tenebras
Concedens luci nostro procul orbe fugauit,
Exit: & aut virides latè populatur aristas,
Aut pingues fœtus siliquarum, aut vitibus almis

Dat

Dat ſtragem ingentem, atque hortis abſumit apertis
Plurima, quæ ſata malus tulit arbore poma.
Nare ſagax etiam glandem ſectatur opimam,
Et pruna, & denſæ depaſcitur arbuta ſepis.
Luſtra tamen repetit ſemper, notasq́; latebras,
Ni prius exoriens tenebras Sol depulit aureus,
Atque agros radÿs ſimul, & nemora alta retexit.
Deprenſus nam ſæpe die ſeſe abdit in ipſis
Aut ſegetum ſulcis, aut læto in gramine prati:
Occultusq́; latet, donec redeuntibus aſtris
Agricolas latis exegit Veſperus aruis.
Præterea fruges cùm iam nix multa peremit,
Et glacie Pindus, glacie riget horridus Hæmus,
Aut filicum fibras roſtro rimatur obunco,
Aut lentos ruit aſparagos: aut grandia campis
Tubera perſequitur multa circumdata terra:
Et foſſas curuo ſolers agit ore profundas.
Percitus in furias Veneris tum fertur, & ignes,
Lætaq́; veſana torrentur pectora flamma,
Exerit aurata cùm brachia nexa catena
Andromede, ſæuæq́; oriens fugit ora Meduſæ.
Et compreſa ſuis non antè incendia ſedat
Oſſibus, & curas liber dimittit inanes,
Quàm pedibus cælo toto Iouis armiger vncis
Occidit, & velox Nerei ſubit æquora Delphin.
Interea fœta non vmquam à coniuge ſolus
Secedit: ſed manè ſimul, ſed veſpere greſſum
Fert miſer aſſiduè, & ſpecubus pernoctat in ÿſdem,
Exhauſtus donec cecidit calor omnis, & vnà

Subsedit duris iam flamma extincta medullis.
Tum vero nemorum solis in saltibus illum
Nunc hic, nunc illic, perq; antra incerta vagantem
Inuersa surgens irrorat Aquarius vrna.
At grauidæ partus edunt tum denique matres
Innumeros, Aries renouat cùm candidus annum:
Seminaq; in lucem rerum vocat imbriferum Ver.
Continuò fœtam nati sectantur, & ore
Vbera iucundo siccant manantia lacte.
Illa suos tutatur, & ad sata proxima secum
Ducit agens, donec geminis vertentibus annis
Tertius in dias aperitur luminis oras
Martius, incipiuntq; pares decrescere noctes.
Tum primum insueti tenero sub pectore amoris
Vertuntur stimuli, & iam nubilis appetit ætas,
Et nouus in Venerem subigens autumnus amantes.
Bis denas viuunt hyemes. hos Iupiter annos,
Hæc ollis longæ concessit tempora vitæ.
At genus infidum numquam spatia ista dierum
Emensi videre lupi. vix audijt vllus,
Tertia cùm festi celebrantur Olympia ludi.
Quamquam incredibili membrorum robore, quãquam
Ore valet, ceruice valet, valet acer ab armis:
Quippe quibus sublatam altè fert improbus agnam,
Pastoremq; simul cursu præteruolat. & se
Abdit in horrentes nemorum tutissimus vmbras.
Ni ferus ore Lacon, milloq; armatus acuto
Ilicet exiliens notæ diuortia syluæ
Occupet, & recto fugientem tramite sistat.

Siue acres equitis fodiens calcaribus armos
Acceleret iuuenis: prædamq; ex ore cruentam
Auferat: & diro confectam vulnere seruet.
Ipse autem in lucos, vbi densior vndique ramos
Implicat inter se, cæcumq; iter obsidet ilex,
Auolat, &, mater si quam expectantibus escam
Attulerat natis, ex ore exculpit, & atram
Ingluuiem, ventrisq; explens immane baratrum,
Tenuia tum multo distendit corpora pingui.
Ast illi cessere metu, pauidamq; parentem
Complexi retinent. tum, quæ post deinde supersunt
Relliquiæ, mandenda pater quæ frusta reliquit
Jam satur, exhausti condunt in viscera ventris,
Quo-pote, sedantes longæ ieiunia noctis.
At verò genitrix morum sat conscia, manè
Quum redit è pastu, cæsæq; auulsa reportat
Membra bouis, latebramq; omnem, fidumq; recessum
Explorans oculis prædam occulit. inde procul se
Collocat in specula, & venatum obseruat euntem,
Aut vbi non vmquam riuo Jouis arbor easdem
Suppeditat quercus medijs in vallibus vmbras,
Sola manens puro fluidum lauit amne cruorem:
Donec odos omnis, saturo qui forte palato
Hæserat, humentes cecidit dilapsus in auras,
Atque impressa sui vestigia nulla reliquit.
Namque vbi dira fames, rabiesq; exegit edendi,
Obuius attrectat redeuntem: & plurima iungit
Oscula fragrantis lambens ieiunus amicæ:
Sæpeq; deprendit sociæ furtumque, dolumque.

Den-

*Dentibus hinc frendens: & iniquo vulnere cogit*
*Improbus effari raptæ quo viscera prædæ*
*Deposuit semesa loco, qua texit in vmbra.*
*Præterea vires si quando, & robora inermem*
*Defecere senem, nec iam genera vlla ferarum*
*Aut cursu superare, aut sistere dentibus audet,*
*Aggressus pueros, vt læto in gramine campi*
*Corpora perfundunt suaui deuincta sopore*
*Inualidi, caræq; etiam nutricis egentes,*
*Comprensos iugulat. fœdamq; recondit in aluum*
*Tota venenato pallentia viscera morsu.*
*Scilicet ante omnes, quoscumq; aut Mænalus ingens,*
*Aut Tmarus, aut Rhodope, an nubifer educat Hæmus,*
*Ille inhians hominum sæuire in corpora sueuit,*
*(Iupiter hanc & si mentem dedit omnibus vnam*
*Dira Lycaoniæ fugiens opprobria mensæ)*
*Cui quondam extremo confectus in agmine Rhætus*
*Seu morbo immiti, seu fulmine tardus iniquo,*
*Fistula quod media disclusit ahenea flamma,*
*Arentes tepido madefecit sanguine fauces.*
*Aut obscœna putri satiauit guttura tabo,*
*Gallia cùm Tuscos fugit deuicta maniplos,*
*Et mœsta innumeros cæsorum vidit aceruos.*
*Non me tum gelidi summa sub rupe Lycæi*
*Præterlabentum tenuit leue murmur aquarum:*
*Aut sopor oppressum patulæ sub tegmine fagi*
*Vinxit: & in seras redeuntem distulit horas.*
*Nam quamquam obscuræ per amica silentia Lunæ*
*Tutius incedant, caulisq; patentibus antè*

*Omne pecus iugulent, quàm quicquā in viſcera condāt,*
*Interdum (namque ingluuij ieiunia cogunt)*
*Egreſſi, medium cùm Sol tenet altus Olympum,*
*Rura adeunt, ſæuiq; agris graſſantur apertis:*
*Contemptisq; ouibus paſtorem inuadere inermem*
*Haud dubitant. ah, tela tibi ne leuia dextra,*
*Ah, tibi ne ſolidum nodis, atque ære verutum*
*Excutiant. iuga ſolue canum, ſolue ora Laconum;*
*Addentesq; gradus, & lumine ſæua micantes*
*Exige: iamq; illi quà proxima mœnia pagus*
*Contrahit, aut vbi iuniperos Mæander odoras,*
*Letalesq; ictu calamos, tenuesq; geniſtas*
*Irrigat, huc timidi curſu fugere, luuntq;*
*Tum demum meritas ſcelerato corpore pœnas.*
*Illum adeò placuiſſe lupis mirabere morem,*
*Quòd nec grandæua ſpernunt ætate parentes:*
*Nec, ſibi quem ſocium ſemel adiunxere, relinquunt*
*Immemores. namque & ſi abeunt diuerſa petentes*
*Luſtra, tamen ſeri ternos poſt denique ſoles*
*Ad ſua ſe referunt, niſi eadem nocte iugales*
*Excipiant lecti, dulcesq; in valle latebræ.*
*Interea non vlla tamen mora ducitur vſquam:*
*Sicubi conſtiterint iugulatæ ad membra capellæ.*
*Præcipuè quoties ſæui timuere latronis*
*Inſidias, ſanieq; vepres, & gramina rorant.*
*Aetas Lucinam, iuſtosq; pati Hymenæos*
*Incipit, exactis redijt cùm menſibus annus*
*Alter, & enati creuerunt vndique dentes.*
*Ipſi igitur, primùm verni quo tempore Piſcis*

*Sidus habet, Zephyriq; nouas Sol suscitat auras,*
*In Venerem proni curas, animosq; resoluunt.*
*Non illis quisquam puros è fonte liquores*
*Epotus, catulosq; suum venatus obesos,*
*Viscera placauit rabidus ieiuna diebus.*
*Luce palàm, tenebrisq; omnes comitantur amicam,*
*Atque omni obsequio miseri, curaq; furentes*
*Pro se quisque sui testantur pectoris æstus.*
*Tunc illa, vt secum cupidos multumque, diuq;*
*Traxit, & illecebris, & spe malefida maritos,*
*Signa locat, somnoq; cubans indulget inerti.*
*Nec minus irriguam fundunt per dura quietem*
*Membra proci, ponuntq; graui deuincta sopore,*
*Siue dies aciem, seu sera crepuscula sistant.*
*Excita fallaci somno lupa quem videt atra*
*Squalentem macie, & turpi pallore trementem,*
*Et scabrum illuuie, & setis horrentibus hirtum,*
*Ponè subit, summamq; manu scabit improba terram,*
*Compressamq; animam trepido iam continet ore,*
*Iam metuit reliquos ne suscitet aura maritos.*
*Ipse autem tali vix tandem expergitus astu,*
*Vnà lætus abit quascumque vocatur in oras,*
*Et latebris densas, & iniquo lumine opacas,*
*Perfruiturq; suæ complexibus vnus amicæ.*
*Interea socij sensit cùm furta, dolosq;*
*Mœsta cohors, animi magno ruit acta dolore*
*Omnis, & in mortem miseri coniurat amantis.*
*Deprensumq; simul, vinclisq; tenacibus aptum*
*(Nam validis ambo Veneris compagibus hærent,*

*Atque in diuersas tendunt discedere partes:*
*Non secus atque canes, quos mutua sæpe voluptas*
*Vinxit, & in triuijs dulces coniunxit amores, )*
*Aggrediuntur: & vnanimi fœdata procùm vi*
*Membra trahunt. illi magno sua gaudia constant.*
*Persimiles his esse ferunt, quas Afer hyænas*
*Nominat: occultas spectes si pectoris artes,*
*Atq; artus membrorum æquato in corpore eosdem,*
*Eosdem etiam dentes serræve, aut pectinis instar,*
*Atque illud, quo quisq; marem se nouit, & ambos*
*Importuna suis vigiles nox exigit antris.*
*Hunc nimirum homines, inimicaq; rura timentem,*
*Ipsam autem claro cæcam sub lumine Solis.*
*Hoc aiunt distare tamen, quòd, tergora quamquam*
*Vndique spectentur simili perfusa colore,*
*Est iuba, quæ dorsum tamen occupet aspera villis;*
*Sunt & cæruleæ, quæ ventrem, & tergora zonæ*
*Distinguunt, summosq; pilus qui contegat armos*
*Hirsutus, setæq; imo sub ventre rigentes;*
*Spina horret, colloq; humeros ita iungit, vt vsquam*
*Directam nequeat ceruicem inflectere, ni se*
*Circumagat, totosq; volubilis explicet armos.*
*Quin etiam ingenio multò, quàm fœmina, mas est*
*Simplicior, veteriq; minus (ceu fertur) ab astu*
*Prouidus, & captu facilis magis. ast ea multa*
*Arte latens cauet insidias tutissima, nec se*
*Obseruare sinit, gressus quò sæpe receptet;*
*Quem sternat cubitura locum, quodq; incolat antrum.*
*Nec minus hæc noctu prædatum egressa sepulcris*

*Eruit, & diram defossa cadauera in aluum*
*Condit atrox, sanieq; putres depascitur artus.*
*Atq; ideo stabulis si quando inuenit in altis*
*Pastorem somno implicitum, quem plurima circùm*
*Turba iacet, dextra nares compressit: at illi*
*Torpescunt subito resoluti in corpore sensus.*
*Quin eadem, dextra quoties à parte recepta est,*
*Excutit arma manu venanti, ipsumq; trementem,*
*Torpentemq; gelu, & (quod vix est credere) nulla*
*Corporea vi sternit humi, solaq; labantem*
*Fundit, & insolito deuinctum horrore trucidat*
*Illa ex parte fuga. tanta vi dextera pollet.*
*Ergo agè, & ancipitem quoties committere pugnam*
*Ipsa parat, celeriq; pedum volat improba cursu,*
*Excipe, & à læua quamprimum inuade ruentem.*
*Namq; ita, quæcumque est ea vis occulta, latensque,*
*Frangitur, in cassumq; olli cadit impetus omnis,*
*Vt neque difficilis tum sit, neque noxia captu.*
*Idcirco fraudisq; suæ sat conscia, & astus,*
*Nocte petit caulas, vocesq; imitata virorum*
*Euocat ipsa canes, vmbrisq; horrentibus omnem*
*Compescens latratum, artus torpedine soluit:*
*Atque ita comprensos ieiuna in viscera condit.*
*Has inter species alia enumerare luporum,*
*Et genera, & formas, & singula nomina possim,*
*Si iuuat hæc etiam numeris concludere nostris,*
*Et libet angustum frustra consumere tempus.*
*Namque alios cautes, & inhospita saxa Lycæi*
*Hospitio accipiunt: alios campestria latè*

De-

*Delectant ſpatia, atque occultæ in valle latebræ.*
*Diſcernunt multos vario fucata colore*
*Tergora: diſcernunt maiora, minorave longè*
*Corpora, & haud vna ſplendentia lumina flamma.*
*Omnibus aſt vnus ſenſus, mens omnibus vna eſt,*
*Sternere cæde greges, & ſanguine tingere fauces.*
*His tamen ingenio vulpes anteire ſagaci*
*Dicitur, & fraudes componere doctior omnes.*
*At quoniam frigent effœto in corpore vires,*
*Illa quidem clauſo non inſidiatur ouili,*
*Denſaq; nec teneris tondentibus arua capellis:*
*Sed ruri importuna lues, plenæq; cohorti*
*Defoſſa haud longè ſecreta cubilia terra*
*Ponit, vbi horrenti ſurgunt ſpineta corona,*
*Aut vbi inacceſſæ tendunt ad ſidera rupes.*
*Hic ſpecus, hic latebras, hic obſcuros labyrinthos*
*Tuta colit, ſeptemq; aditus penetralibus addit:*
*Fallat vt incautum dubijs anfractibus hoſtem.*
*Interdum occultos ſummo iam Vere receſſus*
*Accolit, obſcura quos vinea contegit vmbra.*
*Atque hinc ingentes cecidere vt montibus vmbræ,*
*Et nox inuectis operit lata arua quadrigis,*
*Egreſſa altilibus ventrem ſaturauit obeſis,*
*Cunctaq; ſiccauit lambens mulctralia lingua.*
*Eſt tamen, inſidijs lepores quæ captet inermes,*
*Et pingues anates, &, quas tranſmiſit habendas*
*Phaſis aues: tum tota vorax viuaria vaſtet.*
*Quin eadem ſæpe exiles ieiuna locuſtas*
*Paſcitur: &, putris genuit quæ plurima tellus*

*Monstra, olim sæuis sæuum infusura venenum*
*Morsibus, & longum canibus latura dolorem.*
*Quamuis illa pedum cursu diffisa, suisq;*
*Viribus ignauum non antè obuertere pectus*
*Audet, & infestæ latrantum opponere turbæ,*
*Aut spatijs latè effusi se credere campi,*
*Quàm dumeta fuga lustrauerit omnia, quàmq;*
*Viderit obsessos calles, aditusq; viarum:*
*Namque ea tum demum rigido se comminus ore*
*Defendet congressa animis, & robore dispar,*
*Aut timidos inter cursus extrema sub ipsa*
*Effugia, & iam iam certæ propè limina mortis,*
*Vltima fœdabit fuso vestigia ventre,*
*Exhalans tetrum immundo de corpore odorem.*
*Atque eadem tamen ardentes cum pectore flammas*
*Concepit, pectusq; nouo patefecit amori,*
*Ipsa sui assiduè socium malesana cubilis*
*Quærit, & obscœnis colles vlulatibus implet,*
*Nec sola allatrans certo requiescit in antro.*
*Non aliter quàm, cum rabie canis improba sæuit:*
*Dumq; adeò multo grauidam se pondere sentit,*
*Difficilis captu est: latebras nam propter amicas*
*Excubat; & primus quoties peruenit ad aures*
*Latratus, cæcum occultans sese abdit in antrum,*
*Et latet obscuris penitus defossa cauernis:*
*Atque illic postquam ternos compleuerit orbes*
*Luna suos, ceu fœta solet lupa, protinus edit*
*Informes catulos, specubusq; occultat in altis,*
*Quæ quondam obscuræ fodere cubilia meles.*

*His*

*His quoq; post totidem mẽses, rata tempora partus,*
*Nocturni fures dulcissima pignora matrum*
*Nascuntur fœtus. duplex genus: effera proles*
*Vtraque: sus illi, canis hisce simillima vultu est.*
*Cunctæ autem stragem infandam liuentibus vuis*
*Dant noctu, & ventrem pomis benè olentibus explent.*
*Et plerumque tamen dapibus vescuntur eisdem*
*Cum vulpe, & longo pinguescunt corpora somno.*
*Nec verò procul occulta deerrare latebra*
*Consuerunt, claræq; palam se credere luci:*
*Verùm hortos subeunt cultos, & proxima si qua est*
*Vinea, cùm septem ostentat nox alta Triones.*
*Inde adeò quoniam cursus, crebrosq; recursus*
*Haud ineunt: subitæ cæcas obiere latebras:*
*Si tenuem aurarum strepitum, si pressa virenti*
*Præsensere canem vestigia quærere in herba.*
*Spelunca tamen interdum disclusa profunda*
*Siue canis, seu sit toto sus aspera rostro,*
*Dira venenato pugnans dat vulnera dente*
*Plurima, & ancipiti tutatur marte salutem*
*Ipsa suam, crebrisq; omnes congressibus arcet.*
*Quin limbos, teretesq; plagas, & retia sæua*
*Dilacerat, quoties casses male-prouida in arctos*
*Incidit, & morsu laqueos erodit iniquos,*
*Inde fugam accelerans. tu duræ fragmine quercus*
*Comminus aggredere: & nocturnam interfice pestem.*
*Nunc mihi, syluestres si quis venetur echinos,*
*(Quamquam animo iuuenẽ præstanti, & robore firmũ*
*Membrorum, non vllus honos, non vlla sequatur*

*Gloria,*

Gloria, dum latebras, & tuta cubilia quærit;
Atque obit imbelli non noxia prælia dextra)
Dicite Hamadryades quæ sit natura, quod illis
Ingenium, & quæ tam paruis animantibus arma.
Namq; etiam hos veteres humanæ ad commoda vitæ
Plurima fœcundos vestigauere per agros:
Dicite, nec tenues percurrere carmine lusus
Pœniteat. nostris olim comitabitur orsis
Gloria, & ingentes ventura in sæcula laudes.
Sunt igitur geminæ species: quarum vtraque tergus
Vndique, quàm magnum, spinis vallatur acutis,
Atq; operit molli circum lanugine crura,
Iliaque, & paruæ non longa volumina caudæ,
Nec sua contexit densis non pectora setis,
Et caput, & mentũ, collumque, & tempora, & aures.
Tu tamen indicia hæc, & certa exempla secutus,
Quo noscenda modo, disces. namque altera rostro
Tota suem, atq; manu paruos elephantis alumnos,
Altera latrantes imitabitur ore Molossos.
Atque hæc ipsa quidem pugnas persæpe cruentas
Miscet agens, & tuta suis sub vepribus hostem
Inuadit, vires animus facit. ast ea multo
Corporis inferior membris, & robore cunctos
Incursus hominum timet, accessusq; ferarum.
Haud tamen ignorat telis quibus vndique tectus
Horrescat, vulnusq; latens imponat echinus,
Dum sua multiplici spirarum tergora nexu
Vrgere incassum teretem collectus in orbem
Sentit, & implicitum transfigit sentibus hydrum.
Sic

*Sic quoque cùm certæ suprema pericula mortis*
*Impendent misero, nec spes patet vlla salutis,*
*Ipse suo totum sese sub tergore condit,*
*Et reuolutus humi longè globus hispidus arcet*
*Ora canum, & fuso spargit tergum omne veneno:*
*Fundit & horridulas, ceu sus iugulanda, querelas.*
*Præterea latebras ima tellure cauatas*
*Effodit, inq; orno veteri, siue ilice densa,*
*Intus, vbi carie, multaq; teredine truncus*
*Exesus vacuum specus, & stabula alta reliquit,*
*Prouidus insternit lectum frondentibus vlmis.*
*Huc gemini ducunt aditus, quorum alter in Austros,*
*Alter in horrentes glaciali frigore Cauros*
*Spectat: & hunc, acri quoties Aquilone procella*
*Ingruit, & magno miscentur murmure syluæ,*
*Illum autem, valles cùm iam pluuialibus Austris*
*Mollescunt, cæcasq; tepens subit aura latebras,*
*Occludit firmans valido munimine postes.*
*Quo signo (namque ille aliquot plerumque diebus*
*Antè fores obdit, quàm quoquam à cardine cælum*
*Incipiat primis aurarum horrescere flabris)*
*Prædixere suis alij quid proxima ferret*
*Tempestas: alij pluuias ne, an frigora, an Euros,*
*An Zephyros Sol occiduo laxaret ab orbe.*
*Pascuntur verò glandes, atque arbuta passim,*
*Castaneasq; nuces, atque autumnalia pruna,*
*Et dulces cerasos, &, quos tulit vua, racemos:*
*Pomorumq; auidi magnum populantur aceruum.*
*Inq; hyemem memores, & tempora dura recondunt.*

Ergò vbi lapsa iacent sua quæq; sub arbore poma,
Accedunt læti, seq; in sua terga volutant,
Donec fixa rubis hærentia mala supernis
Exportant, implentq; penum liuentibus vuis.
Quarum acinis quoties sentes onerantur acutæ,
In primis iucunda oculis spectacula præbent.
Quippe humeros tecti sic ingrediuntur, vt ipsa
Ire putes totos auulsos vite racemos.
Ah, tibi ne cupidos sensus tum tangat habendi
Tantus amor, furem vt possis arcere iocosum,
Atque oculos longe iucundo auertere ludo,
Eripere & natis dulcem expectantibus escam.
Illi etiam, cum blanda furit Venus ossibus imis,
Auersi coeunt numquam de more ferarum:
Oscula sed iungunt, cupidisq; amplexibus hærent,
Corpora corporibus pressantes, oribus ora.
Sæua etiam latet in dumis, & vepribus hystrix.
Illa quidem calamis dorsum bicoloribus omne
Contegit, & duris sic ilia sentibus armat,
Vndique vt ingentem credas horrescere syluam,
Et stare immites tereti mucrone sagittas.
Has igitur, quoties in aperta pericula ventum est,
Et iaculatur, & haud dubia dat arundine vulnus,
Hostemq; emissa post se ferit improba cornu
Eminus, & volucri transuerberat ilia penna.
Ille autem veteris trunco latet abditus orni,
Aut fagi, aut tiliæ, aut annosæ stipite quercus:
Atq; ita latratu resonat collemque, nemusque,
Irritaq; è medijs specubus respondet imago.

Verum ingressa cauũ, quem rostro, atq; vnguibus vncis
Foderat, aspectu subitò se subtrahit omni,
Et venatoris conatum eludit inanem:
Dum præter pennas, teneræ quas mittat amicæ
Ipse suæ, mœstus vacuas nil portat ad ædes.
Quæ tamen excultæ numquam spreuere puellæ
Munera. nam flauum sublimi à vertice crinem
Discernunt, dentesq; atra rubigine purgant.
Verùm ea, Cassiope pelago cum mergitur alto,
Quatuor hyberno latet abdita tempore menses,
Frigoris impatiens, aut molli dedita somno.
Terdenisq; vterum, ceu si foret vrsa, diebus
Fert grauida, & totidem fœtus enixa quiescit,
Donec aquosam hyemem tepefecerit aura Fauoni.
Quid tibi nunc totos vastantem piscibus amnes,
Arboris & veteri subter radice latentem
Persequar, & longo describam carmine lutram?
Vtq; illam catulis, illam venemur opertis
Insidijs, captamq; veru cadamus acuto,
Cùm primum in laqueos, pedicasve, aut retia lapsa est
Linea, quæ solidi non vno pondere plumbi
Demissa vndantis intra viuaria septi
Piscosam excludunt ripa interiore paludem:
Atque vtrinque manu iuuenum suspensa reguntur.
Quid? quos Euxinis Pontus transmittit ab oris
Cædentes rigido durissima robora morsu
Castoras, & summa in ripa tabulata locantes,
Quà vix vorticibus fluuij tanguntur & vnda,
Et rapidi superant cœnacula Phasidis aluum?

Quid? qui perpetuo glires pinguescere somno
Consuerunt, clausiq; hyemem, quàm longa fouere,
Et vitæ immemores cæcis requiescere in antris?
Quid? quibus in ramos passim salientibus altos,
Et Solem rapidum, atque imbres, ventosq; ruentes
Defendunt densæ villosa vmbracula caudæ?
Non ego tam varias numeris comprendere formas
Ausim audax; non his contexere singula chartis:
Quæ, qui conetur percurrere sedulus, idem
Conetur mediæ numerare æstatis aristas,
Aut quot purpureum flores Ver vndique fundat.
Adde quòd ingenti dum laudum ardemus amore,
Et Libycas cupidi circumuectamur arenas,
Horrisono armorum strepitu fremit Itala tellus.
Ipsa quidem non vt crudeleis arceat hosteis,
Deijciatq; iugum procul à ceruicibus, & se
Pressa neget tandem duris parere lupatis,
Verùm vt barbaricis semper (proh dedecus) armis
Seruiat, & nutus nunc illa horrescat Iberos,
Nunc acres Gallorum animos, belloq; potentum
Germanorum iras, Turcarumq; impia corda.
Scilicet hæc fortes Marsos, pubemq; Sabellam
Edidit, & multa claros virtute Quirites:
Quorum olim dextræ terræque, marisq; potitæ
Imperio, dederint populis iura inclyta victis,
Disceret externos tandem quò ferre tyrannos
Perdita, & ingentes vmquam non vlta dolores
Plurima discerptis renouaret vulnera membris,
Vulnera, perpetuum quæ testarentur auorum


Dedecus, & gelidas ignaui pectoris iras.
Tempore quamquam illo quæ gens colit aspera montes
Riphæos, mediamq; supra se suspicit Arcton,
Huc mille effudit fulgentes ære cateruas:
Nostrasq; innumeris populata est viribus vrbes.
Ut quondam in syluas montano flumine torrens
Cùm ruit, & ripas pleno iam spumeus alueo
Egreditur, non saxa obstant, non septa morantur
Præcipitem: dant cuncta viam quà se intulit agris.
Idcirco partis iamdudum exuta trophæis,
Et simul incultos fœdè laniata capillos,
Conquesta est populis prædam sese esse superbis
Expositam. quoties vel inhospita corda Britannos
Pertimuit, sæuosq; Dahas, Cimbrosq; feroces,
Et multa indomitos gaudentes cæde Sicambros?
Quin positis iamdudum armis, animisq; feroces
Afrorum persæpe manus exhorruit, & , quos
Fuderat, aut pulsos regno spoliarat auito,
Accepit dominos, summaq; in sede locauit.
Nunc fœdas ignominias perpessa Getarum
Turpis humi abiecit manibus quæ sumpserat arma.
Atque ita mancipijs (heu dira opprobria) fleuit
Proculcata suis. spolijsq; exuta, parentum
Aurea quæ multo sudore parauerat ætas,
Ornaratq; vrbem, magnorum & templa Deorum.
Nec sat habent Superi nostro de sanguine riuos
Manasse, & toties campos maduisse patentes,
Gallia ni nobis Alpes immittat apertas
Nunc quoque, & Odrysio gentes arcessat ab Hebro:

Quæ magnum exitium (Dij vos prohibete) minentur
Ausoniæ, positisq; parent ad mœnia castris
Oppida deijcere, atque arces vincire superbas
Præsidio, & veteres expellere rure colonos.
En est hæc, Italam quæ spes alit vnica gentem?
Plurima quam dubijs auxere oracula rebus?
Scilicet vt nati post tempora dura nepotes
Barbariem longè nostris è finibus omnem
Eijcerent, populosq; feros, & littora tandem
Auderent iusto longinqua lacessere bello?
Scilicet hic te tantus honos, te gloria COSME
Tanta manet: tibi se totam dicat Itala tellus,
Sperat & imperium lati trans littora Gangis
Auspicio proferre tuo, magnisq; Deorum
In ludis tigresq; feras, sæuosq; leones,
Aspicere & lyncas medio committere Circo.
Vosq; adeò, ò, Superi vestram si numinis iram,
Quas dedimus miseri, pœnæ extinxere nefandæ,
Sanguine si luimus commissa piacula nostro:
Si vos tangit honos ararum, & cura focorum:
Tantarum huic saltem concrescere semina rerum
Ne prohibete: suas sanctis dum legibus vrbes
Instruit, & prolem magnis à regibus ortam
Ipse alit, ipse suos nobis sua pignora natos
Educat: imperio quorum tandem inclyta Roma
Sarciat ingentes regni instaurata ruinas.



# PETRI ANGELII BARGAEI CYNEGETICON

## *Liber quintus.*





*E quoque, quæ nostro superas postre ma labori,*
*Blanda canum soboles, & equorum animosa propago,*
*Ni Musæ abnuerint dulceis aperire recessus*
*Aonios, frontemq; nouis vincire corymbis,*
*Grataq; temporibus circumdare serta, canemus.*
*Intereà, magno ferimus quæ sacra Maroni*
*Annua, vos mecum Nymphæ celebrate volentes*
*Hic, vbi flumineas Tyrrheni ad littoris vndas*
*Turicremam casti votis incendimus aram,*
*Et lauro circùm, & myrto vincimus agresti:*
*Cymbiaq; inferimus tepido spumantia lacte:*
*Et vatem ingentem læta ter voce vocamus.*
*Ille venit: plenosq; nouis è fontibus haustus*

*Sumit:*

*Sumit: & arguta luci spatiatur in vmbra,*
*Ambrosium cingens lauro viridante capillum.*
*En quas clarisonas voces, quæ carmina Musis*
*Non audita prius, quos dulceis edere cantus*
*Incipit, & doctus tenueis inflare cicutas.*
*Salue magne parens Latij, salue inclyta vatum*
*Gloria, & Ausoniæ summum decus. Ipse ego si te*
*Et florum calathis, & plena turis acerra*
*Assiduè colui primis veneratus ab annis,*
*Sis bonus, ò, nostrisq; faue sanctissime ceptis:*
*Meq; tua intereà vestigia pressa sequentem*
*Siste pater, quà se stellis Parnassia rupes*
*Aequat, & alitibus circùm strepit vna canoris*
*Pieria æterno quæ labitur vnda susurro.*
*Ac tu, si nihil est etiamdum, quod tua nostrum*
*(Quicumque est) cultum, mens aspernata refutet,*
*COSME veni: & mecum hunc lætus partire laborem.*
*Iam tibi, quæ superat, breuis est via: perge, sub ipsam*
*Venimus, en currusq; terit spatia vltima, metam.*
*Seu quis apros magno laudum perculsus amore*
*Insequitur: seu quis timidos ad prælia ceruos:*
*Præcipuè canibus curas impendat habendis:*
*Quos omni studio, quos omni exerceat arte.*
*Ille tibi ingentes tauros aggressus, & vrsos*
*Sistat, & imposito fugienteis vulnere tardet:*
*Cui summæ pendent aures, cui laxa superne*
*Labra fluunt, cui vultus atrox, cui maxima ceruix,*
*Obtusumq; caput, pressumq; ante omnia rostrum:*
*Præterea magniq; pedes, vnguesq; recurui:*
*Molle*

*Molle solum, sublime femur, suppressior aluus,*
*Ipsaq; rectorum longa internodia crurum,*
*Spina duplex, pingues lumbi, color heluus, honestum*
*Pectus, & è patulis efflet qui naribus ignem,*
*Latratu quoties syluas impleuit, & amplo*
*Pectore conceptas subitus decurrit ad iras.*
*Tum verò splendent oculi, collumque tumescit,*
*Et caudam crebrò villosa in terga retorquet.*
*Talem dura dabit, quæ montibus ardua summis*
*Incolitur Cyrnos victu propiore ferino:*
*Atque alias post se mirata Britannia terras*
*Thulem vltra, ignotiq; vltra vada salsa profundi.*
*Talem etiam in montes, inq; ipsa cubilia secum*
*Ducere Chaonij quondam sueuere Molossi,*
*Ausi acres inuadere apros, dextraq; feroci*
*Tristia funestæ tentare pericula mortis.*
*Nec tamen æquiparant animis, & corpore vasto,*
*Vistula quos gelidusq; Chronon, Tanaisq; Lycusq;*
*Assuetos Nomadum caulis, pecoriq; tuendo*
*Atmonio, quos & tepefactæ sanguine cædis*
*Sæpe suos Getici videre Borysthenis vndæ*
*Sternere equos, genus indomitum, atq; agreste ferarum,*
*Sarmatæ vbi, & sumpto venantur Iazyges arcu.*
*Quid? tibi si, quarum concursum exhorruit Argo,*
*Cæruleis sparsas adeam Symplegadas vndis,*
*Cappadocumq; oras, & inhospita Colchidos arua,*
*Atque iter ad duros contendam pergere Iberos,*
*Caspiaq; Albanis quondam regnata tyrannis*
*Littora? & extremi præteruehar ostia Sarni?*

*O quales, quantosq; canes, quàm fortia bello*
*Pectora, quàm certa prolem virtute valentem*
*Inde legam? sola illa vros, sola illa leones*
*Inuadit, sola aggreditur dignata elephantos.*
*Namque etiam regem deiectum è sede paterna,*
*Et cunctis simul auxilijs, opibusq; suorum*
*Nudatum generosa phalanx in regna reduxit:*
*Atque iterum solio sublimem fulsit eburneo.*
*Nec semel experta est sensusque animosq; virileis,*
*Dum Colophon hosti inferret lachrymabile bellum,*
*Et multa infestas vastaret cæde cohorteis.*
*Est eadem facies, & eidem proxima formæ,*
*Corpora membrorum sed non æquantia molem*
*Dictæis, animus tamen, & constantia pugnax.*
*Quandoquidem serus litem si forte diremit*
*Vesper, & obtentis vmbrantur rura tenebris,*
*Nusquam abeunt, nusquam vestigia pressa relinquunt,*
*Verùm hærent vigiles: ceu cùm sua castra tuentur*
*Excubiæ, patulisq; oculis, atque auribus adstant.*
*Ergo auidi simul atque nouæ prænuncia lucis*
*Adduxit Solem, noctemq; Aurora fugauit,*
*Intermissam ineunt magno certamine pugnam.*
*Tum licet admirere aliquem, tum denique cernas*
*Horrere arrectos immani tergore villos.*
*Continuò magnis latratibus intonat: & mox*
*Ingruit assultans, atque omni dimicat arte:*
*Vulneraq; imponens contraria vulnera vitat;*
*Assidua donec secum vertigine raptum*
*Prosternitq; hostem, rictumq; in cæde cruentat*

*Victor: & aduentum domini, imperiumq; moratus,*
*Ilicet exultat, prædamq; ostentat opimam.*
*Sin autem te delectant qui præmia cursu*
*Certa petunt, celeriq; fuga lata æquora verrunt,*
*Elige quos vultus tristes, demissaq; ceruix*
*Ornat; & argutum supra stant lumina rostrum*
*Nigra quidem, sed quæ multo splendore coruscant.*
*Ollis os ingens ad tempora penè dehiscit,*
*Lataq; frons tenues consurgere suspicit aureis.*
*Ac veluti coluber frigus perpessus in altis*
*Terrarum latebris hyemes effugit aquosas,*
*Moxq; adeò sub Vere nouo iam Sole calente*
*Exijt, & multo se suscitat improbus æstu,*
*Ac, si fortè aliquem propiùs persensit euntem,*
*Explicat immensos orbeis, atque arduus effert*
*Ceruicem, & rigido summum capite aëra findit.*
*Vergat humi propior stomachus, lateq; patescat*
*Pectus: & haud longis insistant cruribus armi*
*Sublimes: tùm prona suis extantia costis*
*Et latera, & lumbis quà iungitur aluus obesis,*
*Pressa animis calidum ostendant, & viribus acrem.*
*Præcipuè clunes inter si stricta fluentem*
*Ilia demittant caudam, quæ currat ad imum*
*Tenuis, vbi extrema vix tandem in parte residat:*
*Et paruum sese sinuans deflectat in orbem.*
*At verò tereti ponat vestigia planta,*
*Quæ spatijs digitos nusquam discludat apertis,*
*Sed multùm solidos paulatim curuet in vngueis.*
*Lælapis haud aliam formam mirata vetustas*

*Esse refert, Graiive aliam cecinere poetae:*
*Laelapis, effugere ferae quem ponè ruentem*
*Numquam vllae, quamuis Borealia flamina cursu,*
*Praecipitesq́; simul superarent fulminis alas.*
*Illum autem specie praestantem, animisq́; superbum*
*Cynthia dilectae dederat pro munere Nymphae:*
*Ipsaq́; mox iuueni Aeolidae: genialia postquam*
*Fulcra tori, & dulceis iterum coniunxit amores,*
*Iucundumq́; sinu fouit complexa maritum.*
*Cuius ope innumeras syluis praedatus, & agris*
*Ille feras, ne tanta olim sublata periret*
*Aut morte, aut sterili mox accedente senecta,*
*Et caderet simul extincto cum Laelape virtus:*
*Subiecitq́; canem, sobolemq́; è matre recepit*
*Optatam, Cretaeq́; vltro concessit habendam.*
*Inde autem vobis aucta iam prole nepotes*
*Allatos Graiae primùm accepistis Amyclae,*
*Tempore quo gemini fidissima pectora fratres*
*Nunc lepores canibus, cursu nunc dorcadas acreis,*
*Et nunc Taenario ceruas in littore agebant:*
*Aeripedes ceruas, quibus haud velocior vmquam*
*Euolat Aeoliis Aquilo dimissus ab antris.*
*Nec fuit ipsa diu tam magni muneris expers*
*Epirus. miscere genus monstrauit: at ollis*
*Ingentes animi, solersq́; industria creuit.*
*Protinus has arteis populi, & documenta secuti,*
*Si quod erat vitium, patriaq́; ab origine labes,*
*Exemere suis commisto semine: & vnà*
*Praecipites pedibus catulos habuere sagaces.*

*Sic itaque immaneis duxere è tigride mores*
*Hyrcani, quibus exuti post deinde nepotes*
*Siue vrsos, siue illi apros videre minaces,*
*Accurrunt celeres, & aperto marte lacessunt.*
*Sic Lacedæmoniјs aptè iunguntur Hetrusci:*
*Threiciјs Cares: Riphæo Sarmata Jberos:*
*Arcadas Eleis. quin & Cretensibus addunt*
*Paonas: & Celtis cursu velocibus Umbros:*
*Audaces Vmbros, & odoris naribus acres.*
*Ipsa tamen generi sua cuique est maxima virtus.*
*Et quamuis variјs proles genitoribus orta*
*Testeturq; animos, & magnum robur auorum,*
*Inq; vno interdum geminetur pectore duplex*
*Vtilitas, tamen illa alieno protinus vsu*
*Degenerat, semperq; magis producit inertem*
*Progeniem, & patria longè à virtute remotam.*
*Vsque adeò certis certarum semina rerum*
*Jnseruit natura locis: quæ nullius arte*
*Jncreuere eadem diuerso didita cælo.*
*Ergo age dum primi primus flos carpitur æui*
*Prole noua & mediæ peraguntur tempora vitæ,*
*Et præstat vireis, animosq; effrenæ iuuentus,*
*Nec dum etiam tristi cessit deuicta senecta,*
*Ipse alios aliosq; illinc tibi suffice fœtus,*
*Unde vigor patrius primùm venit, & bona duro*
*Pectora venatu, raptæq; auidissima prædæ.*
*Nec patere euersam sobolem tibi funditus omnem,*
*Antè nouam repares quàm prouidus vsque futuri.*
*Ac primùm coniuge vnà qui corpore, quique*

*Sint ætate pares, atque iisdem viribus, ut mox*
*Ipsa tuis votis similis fœtura sequatur.*
*Nec prius optatam in Venerem dimitte volenteis,*
*Quàm rapido quassis cursu, quàm corpora multo*
*Sole fatigatis vehementior ingruat æstus.*
*Inde decem noctes, totidemq; ex ordine luces*
*Abde domi, cursusq; omneis prohibere memento.*
*Bisq; die seu vesper erit, seu mane recenteis*
*Suffice caseolos, & opimi fercula iuris.*
*Nec tibi sint unquam victus dispendia tanti,*
*Ut pingue omentum pigeat præbere, serumque.*
*Namque ita tum demum benè culta noualia semen*
*Protinus exceptum sulcis penetralibus abdent,*
*Concipientq; nouos fœtus: quos denique sexta*
*Parte anni exacta genitrix enixa iacebit.*
*Mollia sed subter, tempus quibus incubet omne*
*Immunis cursu intereà, summiq; laboris,*
*Stramenta, & palea lectum substerne profunda.*
*Quoq; adeò grauidæ propior Lucina propinquat,*
*Hoc magis instructæ semper sit copia mensæ.*
*Nec minus à partu dapibus curabis opimis*
*Pascere, & undanteis iterum proponere lances:*
*Ut teneris superet maior vis lactis alumnis.*
*Ipse animum tamen aduertas, ne frigida obesæ*
*Forte ollis nimium noceant alimenta parentis.*
*Namque ubi nos pingui distendere pergimus, illæ*
*Ubera ferre solent gelido manantia succo.*
*Isque, vbi per teneros catulorum diditur artus,*
*Officit, atque ipsos ad munia reddit inerteis.*

*Si verò effœtam proles numerosa fatigat,*
*Nec satis esse queunt lactentibus vbera natis;*
*Horrida ne macie tenuentur corpora matrum,*
*Subtrahe quos æquo plures superare videbis,*
*Et certæ mihi dede neci: verùm prius omnium*
*Expendens naturam ingenti examine libra.*
*Continuò cuius subsidunt pondere membra,*
*Atque artus maior moles grauat, ille volucri*
*Insuetus cursu longè post vltima fratrum*
*Terga relinquetur, frustraq; optabit adempta*
*Præmiaque: & multo perfusam sanguine prædam.*
*Quin etiam mater pariens tibi certa volenti*
*Signa dabit, tantam ni fortè impendere curam,*
*Tædiaq; incerti partus te ferre pigebit.*
*Namque ea quem secum tulit in stramenta, toroq;*
*Composuit primum, primoq; affecit honore,*
*Ille alios omnes cursuque, animisq; superbis*
*Vincet ouans, simul ac loris exire solutis*
*Quiuerit, & saltu transgressus inania campi*
*Interualla cito diffugerit ocyus Euro.*
*Hinc quoque virtutis licet argumenta futuræ*
*Sumere, & ambiguæ discrimina noscere prolis:*
*Si catulis circumdederis longo ordine prunas,*
*Candentes prunas, lambentesq; aera flammas,*
*Et matri miseros monstraueris: ilicet ipsa*
*Fertur inops animi magno exanimata periclo,*
*Seq; adeò in medium stipulis ardentibus orbem*
*Iniicit, &, quem longè aliis excellere nouit,*
*Ore rapit primum, secumq; in tecta relatum*

Collo-

*Collocat in tuto properè, rursusq; reuertens*
*Prosilit, & cunctos ex ordine seruat alumnos.*
*Contemplator item septem post denique soles*
*(Namque prius non vmquam oculos aperire, diemque*
*Cernere consuerunt) cùm lucem, atque astra tueri*
*Paulatim incipiunt, hic seriùs, ocyùs ille,*
*Quem Lucina suo postremum munere donet.*
*Atque hic (quisquis erit) cunctis prælatus honores*
*Auferet, & vacua solus regnabit in aula.*
*Hũc itaque, atq; alios, quoscumq; relinquere visum est,*
*Effœtæ poteris matri permittere alendos,*
*Donec totum orbem semel est, iterumq; remensa*
*Signiferum, fratremq; suum bis Luna reuisit.*
*Tum tu adeò (nam tempus erit) iam parce parenti,*
*Exhaustis parce vberibus. sed mollia nondum*
*Subducenda tamen natis alimenta, sed haustu*
*Pascendi lactis, cuius mulctralia pingues*
*Implerunt vaccæ, & redeuntes rure capellæ.*
*Nec patulis intrita obsonia lancibus absint:*
*Frigida præsertim cæcæ sub tempora noctis.*
*Nec mihi displiceat, celeres si lactea ceruæ*
*Interea, atque ipsæ pacato pectore damæ,*
*Grandiaq; in primis distenderit vbera dorcas.*
*Post, vbi septenos Phœbe compleuerit orbeis,*
*Amissis primùm primis quo tempore dentes*
*Successere alij, paulatim dulcia cœnæ*
*Subtrahe blandimenta, & opimi prandia iuris.*
*Verùm sola Ceres, solusq; Acheloius haustus*
*Ponatur, cùm manè nouum, cùm vespere cælum*
*Induit*

*Induit in tenebras, & Solem mergit in vndas.*
*Ossa tamen teneras multum contusa medullas*
*Suppeditent, paruosq; sapor trahat haustus alumnos.*
*Frangit enim neruos animique, & corporis omnes*
*Intempestiuæ longa indulgentia mensæ.*
*Nonne vides Asiæ deuictam lenibus olim*
*Obsequijs, variæq; dapis prædiuite luxu*
*Subsedisse orbis Romam caput? ergo age duro*
*Assuescant victu catuli, imperioq; magistri*
*Vnius addiscant parere, atque vnius omnes*
*Nutus obseruare, & iussa facessere læti,*
*Collaq; ferratis vltro præbere capistris,*
*Cùm primùm teneros artus durauerit ætas,*
*Et se iam sua per vestigia voluerit annus.*
*Antè autem caue imprudens concluseris vsquam*
*Aut loris vinctum, aut angusti pariete septi.*
*Namque vrent tenerum circumdata vincula collum:*
*Impatiensq; moræ sese conatibus anget:*
*Ostiaq; arrodens denteis obtundet, & vngueis.*
*Post verò incipies sua munia quemque docere,*
*Et prædam ostentare oculis, quæ mœnibus altis*
*Clausa breues tantùm possit contendere cursus:*
*Quæq; adeò multo iamdudum tarda labore*
*Genua trahat, primæve annis incauta iuuentæ*
*Continuò sese facili det cæde vorandam.*
*Namque animum, si spes olim frustrentur inanes,*
*Ipse suæ sibi virtutis malè conscius acrem*
*Abijcit, & dubiæ desperat præmia palmæ.*
*Nec verò tantùm primis cognoscat ab annis*

*Quem petat impensè medijs in saltibus hostem:*
*Verùm etiam leporis paulatim assuetus opimi*
*Visceribus, ceruæq; arenteis sanguine fauceis*
*Tinguere, & inceptæ fructus præcerpere pugnæ,*
*Cogitet assiduè secum syluasque, ferasque,*
*Et semel oblatos auidus spe deuoret armos.*
*Quin etiam cursu sæpe exercere memento,*
*Aut vbi vepretis tellus consurgit acutis,*
*Aut vbi non rara est lapidosi glarea campi,*
*Dum catulum tantos prudens tibi fingis ad vsus:*
*Ne quando vrantur glacie, cursuq; fatiscant,*
*Vulneraq; imponant pedibus sentesque, rubique,*
*Et multo insuetæ lacerentur vulnere plantæ.*
*Sed te si certas egressum è mœnibus vrbis*
*Conuectare iuuat prædas, & viuere rapto:*
*Educet in primis catulos tua cura sagaces,*
*Tum qui pressa legant simo vestigia rostro:*
*Tum qui etiam patulis excipient naribus auras,*
*Et leporum inueniant intectas fronde quietes.*
*Illis turpe caput, summæ patet area frontis:*
*Sunt latè demissæ aures, sunt fortia colla:*
*Labra cadunt, nec purpurea non lumina flamma*
*Voluuntur, pectusq; toros ostentat apertum.*
*Crura horrent setis spatiosa prodiga planta:*
*Et latus in tenuem sensim deducitur aluum*
*Porrectum: tum spina duplex discludit vtrinque*
*Pinguia quà duros contingunt ilia lumbos.*
*Et tamen haud facies vna, & color omnibus vnus.*
*Namque bis nigranti multùm saturata colore*

*Terga, illis fuluo splendent contecta metallo:*
*Multiplicesq; alij maculas traxere per artus:*
*Qualia Marmaridæ variæ sua tegmina lyncis*
*Ferre solent, pictamq; humeris circumdare tigrim.*
*Vtq; genus non vna omnes ab origine ducunt,*
*Sic astus, moresq; animi non omnibus ijdem.*
*Ipse vides syluis quoties soluuntur in altis*
*Lora canum, cunctæq; auras sectantur odoras,*
*Pergere nonnullas temerè, & discursibus agros*
*Lustrare, atque alias colles latratibus altos*
*Rumpere, vt occultæ primum vestigia prædæ*
*Deprendere: alias extrema volumina caudæ*
*Vibrare: est summis & quæ micat auribus, & quæ*
*Tristior incedens lucos vestigat opacos.*
*Quid? quæ multiplici delusa errore viarum*
*Inuentas latebras, atque ipsa cubilia linquit?*
*Quid? quæ non dubijs socias perturbat eunteis*
*Tramitibus, cursuq; pedum præuertitur omneis;*
*Et nunc, quo minus incedant, has impedit, & nunc*
*Naribus vna suis nimium confisa, nimisq;*
*Aemula virtutis cunctarum, opponitur, aut se*
*Iactat agens, plauditq; suæ sibi conscia fraudis?*
*Hæc autem, siue ex ipsis hausere parentum*
*Ingenijs, siue eductæ non arte magistra,*
*Contraxere animi vitia, emendare necesse est*
*Verberibus, plagisque, iræ si fortè minaces*
*Haud sat erunt. Etenim longa assuetudine doctæ*
*Et latrare loco, & certa vrgere ferarum*
*Discent signa suas ducentia ad vsque latebras.*

Qualis, ab extremis Morinùm qui mittitur vndis,
Ille quidem multa virtute insignis, & vsu
Venandi, saltum si quando ingressus apertum est,
Euinctus loro dominum trahit. atque vbi signa
Inuenit, aut auras acer persentit odoras,
Pergit iter, rostrum & pressa vix tollit ab herba,
Huc illuc voluens oculos, & singula solers
Scrutatur: donec subter virgulta latentem
Conspexit leporem, & constrata cubilia fronde.
Tum verò gressum cauda blanditus, & ore
Accelerat, lætasq; ciens è pectore voces
Exilit, ac dominum longè post terga relictum
Inuenisse monet latitantem in cespite prædam.
Ergo illum iam captum oculis, fessumq; senecta
In syluam exportare sinu sueuere, nemusque.
Haurit enim patulis fragrantes naribus auras,
Et prodit pando secreta cubilia rostro,
Dum fertur, crebrosq; sonos è gutture fundens
Mittit adhortanti similis, similisq; paranti
Pugnam acrem, simul ad leporum cunabula ventum est
Intima, & occultas latebroso in tramite sedes.
Atque equidē memini, frontem quà Tænarus ingens
Explicat, & medium sensim procurrit in æquor,
Quaq; Therapnæis mons arduus imminet oris,
Taygeta egelidis passim manantia riuis,
Vidisse Oebalium iuuenem, cui viuere rapto
Mos fuerat, non ille tamen qui fasque, nefasq;
Misceret, legemq; boni violaret, & æqui,
Infestus cœtuq; hominum, templisq; Deorum:

Sed

Sed cui spectatæ multum virtutis, & astus,
Hæreretq; comes lateri canis, & sua tergo
Penderet pharetra hamatis onerosa sagittis:
Nam nullæ fuerant latebræ, nulliq; recessus,
Nulla adeò lustra occultis in vallibus vsquam,
Quæ non ille canis ductu reperire sagacis
Consuetus tuta in primis deprenderet arte,
Syluarumq; ageret prædas venator opimas.
Quare etiam caprasq; feras, pedibusq; volucres
Dorcadas, & sæuos mediis in saltibus apros
Aut iaculo procul, aut impacta comminus hasta
Confodiebat, & exanimes in tecta ferebat.
Non illi lepores vmquam, non perfida vulpes,
Non deerant, molli quæ membra nitentia lana
Contegerent, densæ pretioso vellere martes.
Ergo humiles pingui mensas onerare ferina,
Et sale fumosas parco contingere pernas:
Quas venturæ hyemi, tardoq; reponeret æstu
Prouidus. inde illi multo grauis ære redibat
Dextra domum, cùm forte dapes, epulasq; pararet
Regibus, & prædas crebrò importaret agresteis.
Ille quoque assuetus sub dio carpere somnos,
Sectariq; vmbram nemorum, dulceisq; latebras,
Nympharumq; choris interfuit, & Faunorum
Sæpe sub excelsis miseros audiuit amores
Arboribus, duras dum percipit aure querelas.
Ipse quidem curarum expers, omnisq; furoris,
Quo Venus, atque immitis amor percellit amantem,
Tempora per summam ducebat læta quietem.

O, quo-

O, quoties alta ramorum occultus in vmbra,
Dum tacet, obseruatq; oculis loca peruia montis,
Spectauit secum hinnuleos, spectauit echinos
Pomaque, liuenteisque simul populare racemos?
Nec minus insidias, astusq; perosus iniquos
Letali miseram confecit arundine vulpem
Ludentem, leporesq; dolo captare parantem.
Quis verò vitam hanc nactus non aurea regum
Contemnat sceptra, & contesta monilia gemmis?
Certè ego Pieridas, quarum inflammatus amore
Sacra fero, mecum prudens ante omnia malim
Quod superat totum consumere dulciter æuum:
Mox verò in syluis versari inglorius optem
Vrbe procul; modò parua meis proscissa iuuencis
Inspiciam rura, & summa de rupe capellas
Pendere, & virides morsu decerpere ramos.
Non illic animum, aut laudum vesana cupido
Insidet, aut tristeis oculos affligit iniqua
Inuidia, delatum alij dum spectat honorem.
Nullus amor pectus vehementior vrget habendi
Plura: sed exigui spatio contentus agelli
Demetit instantis fructus sibi prouidus anni.
Nec dolet, oppressum quoties popularibus auris
Audijt insignem virtute, & sanguine ciuem.
Non is lætitia sublatus inania captat
Murmura, non vnquam perculsus imagine falsæ
Inficit occulto quondam percepta veneno
Gaudia, dum tristis cura tabescit inani:
Et fruitur præsens quicquid tulit hora: neq; vllas
Vllius

*Vllius aut expectat opes, aut cognitus vlli est.*
*Et modò sectatur lepores, modò cingere summos*
*Cum socijs parat vnanimis indagine saltus.*
*Interdumq; hyeme in media sub Sole tepenti*
*Aut lætus ducit choreas, aut retia grandi*
*Sarcit acu, veteresve imis radicibus ornos*
*Ancipiti sternit ferro, moxq; admonet igni.*
*Inclususq; domi Borealia frigora temnit,*
*Plena coronati desiccans pocula Bacchi.*
*Nunc age quæ canibus causæ, quę tempora morbos*
*Apportent, quando hæc nostræ pars proxima curæ est,*
*Expediam, & quæ sit fessis medicina docebo.*
*Horrida præcipuè scabies, cùm corpore toto*
*Peruasit, cunctiq; vnà fluxere capilli,*
*Intumuitq; cutis, & rimas altius egit:*
*Non secus ac tellus pluuia madefacta recenti*
*Finditur, æstatis radios vbi passa maligne est.*
*Illa quoq; in primis scabies est improba, quæ nunc*
*Corporis has parteis raptim, nunc occupat illas:*
*Atque ita diuersis artus desæuit in omneis*
*Temporibus: ceu cùm longo procul orbe locustæ*
*Actæ Euris nostros sese effudere per agros,*
*Et miseris segetem latè absumpsere colonis,*
*Inde aliam, atque aliam: donec simul omnia fœdè*
*Direpta (heu) facie iacuere informia rerum.*
*Quicquid id est autem morbi capit ilicet inde*
*Principium: quòd durum inter persæpe laborem*
*Venandi, cursusq; pedum, crebrosq; recursus*
*Membra fatigatis immundus sudor adhæsit,*

Plu-

Plurimaq; hirsuti fecerunt vulnera vepres:
Siue sitim putres vnda extinxere lacunæ:
Siue ipsi pluuijs maduere rigentibus artus.
Cumq; adeò spirant sublimi à vertice Cauri,
Aut Hypanim, aut gelido tranarunt flumine Tigrim:
Constrictæq; gelu sese immersere paludi.
Quin & cùm pingues nusquam educuntur in agros
Venatum, clausæq; immundis otia degunt
In stabulis, traxere luem, quæ protinus acta
Serpit, & in miserum spargit contagia vulgus.
Primùm igitur procul ablegant, factisq; maniplis
Ad viuum vsque fricant tonsam: post capnon, & acres
Immergunt lapathi caules, hederamq; Cilissam
In latices acidos corpus tenuantis aceti,
Inq; maris salsos amnes, vndamve nigrantem
Si quam olim ferri massæ infudere Cyclopes.
Quas postquam victas æstu feruentis aheni
Viderunt, partem inde lauant, quæ prima latentem
Eiecitq; foras, & in aera traxit apertum,
Quæ pestis medijs adoleuerat abdita venis.
Tum verò cytisos, stomachoq; nocentia tundunt
Sesama, tũ liquida miscẽt pice: & omne, quod vsquã est,
Illinitur vitium, atque arescit putridus humor.
Atque hæc si magnum medicina expellere morbum
Non poterit, tum cedri ardens succedat odoræ
Et liquor, & Cyprij mordax ærugo metalli,
Sulphuraque, belleboriq; graues, scillæque, bitumenq;
Et pinguis resina, & versicoloribus Iris
Floribus, indocilesq; vagi durescere guttæ
Ar-

Argenti:tristesq; fraces liquentis oliui.
Ante tamen venas omneis aperire memento
Ima inter crura:& causam præcidere morbo.
Namque illinc vnà putri cum sanguine pestis
Erumpet:tum,quem nocitura insederat intus;
Destituetq; locum,fibrasq; emissa relinquet:
Præsertim inserto latices in guttura cornu
Perniciem toto expulerint si corpore:& vnà
Viscera concipient succos vacuata salubres.
Interea prudens imbres,pluuiasque,Notosque,
Et multum rigidæ glacialia frigora Brumæ
Aufuge. non vmquam lentum tam proderit vnguen,
Quàm miseris oberit sæui inclementia cœli.
Hinc febris.segnisq; lues immissa veterni
Sæuit,& angustas tussis quatit arida fauces.
Hinc rabies delapsa,(canis cùm Sirius agros
Percoquit,& magnos tenuat feruoribus amneis.
Non illa labes,non illa tetrior vmquam
Pestis ab inferna sese extulit acta palude,
Tisiphone quoties vltrix letumque,metumq;
Præ se agit:& facibus terras funestat apertis.
Id verò certis poteris cognoscere signis.
Nam seiuncta loco quartum si forte manebit
Certa mori extremo surgentem ex æquore Solem,
Et Cererem interea,atque alias fastidiet omneis
Ore dapes:tum nulla vsquam medicina furenti
Iamdudum amissam reparauerit arte salutem.
Quæq; etiam temerè è stabulis egressa vagatur,
Atque vlulat rauca perrumpens atria voce:

*Inq; hanc, inq; illam partem micat ore perinde,*
*Atque importunæ circumstent ilia muscæ:*
*Nec non letaleis affigens improba morsus*
*Inter adulandum cauda blanditur amica,*
*Et labra exerta lambit spumantia lingua:*
*Hanc rabies, hanc atra lues, hanc horrida Erinnys*
*Carceribus tum primùm vmbrarum egressa profundis*
*Incipit exágitare, & cordi subdere flammas.*
*Ah, tibi ne tunc se forsan ferat obuia eunti,*
*Arripe tela puer properè, morsuq; petentem*
*Passim homines, passim & pecudes, interfice, & omneis*
*Solue metus: nec te pigeat, virtute quòd illi,*
*Quàm multæ in stabulis, cedunt: quòd nulla ferarum*
*Ocyor insequiturq; fugam, reperitq; latebras.*
*Scilicet vnius est animæ iactura ferenda:*
*Ne mox diræ lues vulgò dispersa pererret:*
*Omniáq; informi afficiat pecuaria leto.*
*Sed si fortè tamen quauis ratione mederi*
*Cura erit, & sociam gliscenti auertere morbo:*
*Subducenda Ceres primùm, pinguisq; ferina,*
*Et quicquid secum bilem fouet: atque ea porrò*
*Profuerit tenui sorbenda apponere mensæ,*
*Quæ pestem assiduè crescentem educere suerunt:*
*Stœchadas, Assyriasq; nuces, tenuesq; polentas,*
*Narcissosque, ebulosque, & ferro stringere venas*
*Vtrinque, aut stagnum in medium demittere vinctam,*
*Plurima vbi exhausto consedit corpore hirudo,*
*Atque ita detonsam liquido circùm vndique oliuo*
*Vngere, Palladia quod amara ex arbore bacca*
*Stilla-*

Stillauit: moxq́; excoctum feruentis aquæ vi
Infecere rosæ, quarum fastigia sese
Angusti iam tum incipiunt aperire obelisci.
Sunt & qui iam inde à teneris radicitus omnis
Euellunt elementa mali, causamq́; furoris,
Postmodo quæ miseram stimulis agit improba mentem.
Ergo iis purpureum cùm sexta impleuerit orbem
Luna suum, vincla iniiciunt intorta magistri,
Inseriturq́; ori baculus transuersus, & inde
Quà patet inferior nodo coniuncta tenaci,
Finditur in longum non longo vulnere lingua
Subter, & immisso diuellitur impia lino
Pernicies, siue informis sit glandula, siue
Vermiculus, certè ipsa mali causa vna latentis.
Atque ita post numquam diro exagitata sub æstu
Sæuit. namque aliter veluti sublimis ab arce
Virus, & occultos in venas ventilat ignes,
Et toto permiscet ouans incendia corde.
Inde autem virides rutas contunde, salemque,
Hyblæisq́; adsint præsto collecta salictis
Mella, atque annosæ seruata axungia porcæ:
Hæc autem sensim corpus confundere in vnum
Perge celer, totumq́; manu superilline vulnus.
Mox commistam adipi, taleis quem magnus ad vsus
Condit auus quondam, Cerealia liba, placentam,
Atque alias itidem medicatis frugibus offas
Obiice languenti: nec longum tempus, & omne,
Quodcumque est ferro patefactum, occalluit vlcus.
Ast illa allatrans mensæ blanditur herili,

 Con-

Consuetasq; dapes petulanti efflagitat ore.
Si tamen alterius fœdarit vulnere corpus,
Dum rabie furit occulta, dum fortè pererrat
Mista aliis, atrosq; impresserit improba denteis:
Tum verò plagæ (nec rem differre necesse est,
Namq; incerta vrgent rerum momenta, vicesque,
Atque ars nulla vmquam penitus perspecta medendi,
Quando etiam suprema dies mortalibus instat,
Atq; improuisa miseris superaduenit hora)
Imponenda nouæ, quæ ventre inclusit operto
Vulcanum tenui conflata cucurbita vitro:
Hauriat infusum simul vt cum sanguine virus.
Allia dehinc, cepasq; acres, & sectile porrum,
Vrticasq; minutatim concidimus: hisq;
Addimus; in primis hostis quæ ruta veneno est.
Mox acidos Bacchi latices, stillamq; liquentis
Palladis, & densum, quod sensim à lacte seroq;
Pastores ouium sueuere excernere, pingue
Miscemus, tenuemq; vnà versamus ad ignem:
Bisq; die cura purgatum ex arte fouemus
Vlceris os: donec sæui vis atra veneni
Exacta est, certaq; ægram lux nona salutis
Nuntia luctifica soluit formidine leti.
Quin etiam medio captos in flumine cancros
Torrendum sensim Cypria sartagine, donec
Vertuntur leuis leues in pulueris haustus,
Cum iam post decimam radios octaua minores
Luna effert, totoq; oriens Canis æthere sæuit.
Inde decem partes parti confundere turis,

His-

*Hisq; adeo, quantum sat erit, superaddere perges*
*Graminis Illyrici, quod quondam in montibus altis*
*Gentius inuentum proprio de nomine dixit,*
*Dimidiumq; addi iussit. neque enim vllius vmquam*
*Certius auxilium membris ex omnibus egit*
*Immissam rabiem, Dirasq; in corde sedentes.*
*Atque hæc nam cæli nequicquam è vertice Pœan*
*Despicit interdum: medicasq; auertitur arteis,*
*Vnum illud tibi sæpe puer, præq; omnibus vnum*
*Præcipiam, atq; animo documenta æterna relinquam.*
*Si qua tuum tristi fœdauit vulnere corpus,*
*Nostrorum primùm precibus cole numina Diuùm,*
*Nostrorum Diuùm: non quos in vota vocabant*
*Secla olim, quos & numeris vt rite fauentes*
*Implorant dulces etiamnum carmine vates:*
*Sed proceres humilis cælo venerare receptos:*
*Qui quondam effuso dulcem cum sanguine vitam*
*Liquere, & summi sedem per tela per ignes*
*Appetiere Dei: nunc autem in pace quieti*
*Aeternum in terris certa pietate coluntur.*
*Illi aderunt, rabiemq; manu, morbosq; leuabunt:*
*Incola præcipue fluuiorum Ardæque, Tarique,*
*Vertice quem summo pater arduus Apenninus*
*Sæpe videt clari delapsum ex ætheris oris,*
*Templa, & fumanteis inuisere protinus aras,*
*Votaque, sollicitasq; preces audire vocantum.*
*Tu verò, templum ingreditur dum ritè sacerdos*
*Augustum, lucentq; sacris altaria flammis,*
*Dumq; animo supplex, verbisq; potentibus ipsum,*

*Ipsum*

*Ipsum inquam presso ore Deum, cui pontus, & æther,*
*Cui parent elementa, vocat, venit ille vocatus*
*Cælestem in Cererem, & donum (admirabile) Noæ,*
*Tolle manus, humilesq; oculos, & numen adora,*
*Et tecum tacitus diuinum heroa precare.*
*Da sæuam vitare luem, da ponere pestem*
*Ingentem, & toto grassantem corpore morbum:*
*Morbum acrem, immitem morbum, & letale venenum.*
*Et fessæ dignare libens succurrere vitæ.*
*Atque hæc interea curuo suspensa sacello*
*Accipe dona heros; meriti quæ semper honoris*
*Esse tui possint ventura in secula testes,*
*Proq; anima insonti mentem sine labe, doloq;*
*Respice, & amoueant fœdas obliuia culpas,*
*Quarum ego nunc causa tantum discrimen adire*
*Cogor, & afflictis miserè diffidere rebus.*
*Quòd si te tua magna fides, tuaq; inclyta virtus,*
*Magne parens, insontem animam profundere suasit,*
*Affer opem, & dubiam præsens tutare salutem.*
*Omnibus hic subitò (dictu mirabile) membris,*
*Si lætusque, volensq; suis ille affuit aris,*
*Excessit rabies, & aquæ metus. ipsaq; nuper*
*Cæca, amens, ignara sui, mens libera sese*
*Miratur, supplexq; ingentem heroa salutat,*
*Usque adeò Superis pietas accepta bonorum est.*
*Sed neque propterea morborum examina desunt*
*Plurima: queis oppressa canum vis fida labascit,*
*Et turpes blattæ, & muscæ, sordesq; nocentes*
*Auribus, atque allapsa oculorum quæ obstruit vna*
*Lumi-*

*Luminibus membrana: & odoris improba pestis*
*Naribus, illuuies cerebro demissa fluenti:*
*Quæq; adeo fauceis angina inuadit obesas:*
*Quiq; cutem denso depascitur agmine pulex:*
*Et turpes podagræ, atque innoxia damna veterni.*
*Omnia quæ medica meliùs vincentur ab arte,*
*Si vitio iam tum venienti obstare parabis,*
*Atque infirma sines nusquam mala sumere vireis.*
*Id quoq; profuerit: stabulum si ponè iacebit*
*Area, quæ passim vestita recentibus herbis*
*Gramina suppeditet canibus, roremq; recentem,*
*Et Solem medio spectet tepidissima cælo.*
*Ergo etiam lata pateat substructus in aula*
*Amplior, assiduo qui, dum glacialibus auris*
*Horret tristis hyems, resplendeat igne caminus.*
*Inde quoque & palea valli obducantur inani,*
*Altaq; defixi passim sub tecta locentur*
*Propter demersos ima tellure canaleis,*
*Qui sordem stabulis collectam educere suerunt.*
*Iam verò, quoniam Aonides, quæ maxima vestra est*
*Gratia, marmorei præter vada cærula ponti*
*Euecti dubios vndarum euasimus æstus*
*Incolumes & tandem oram, portumq; tenemus,*
*Quæ nostri superest etiam pars vna laboris,*
*Tempus equos canere, & paucos superaddere versus.*
*Quandoquidem illorum freti virtute fugaceis*
*Interdum damas, interdum sistimus apros.*
*Nec tamen, hic spatijs nam se effudere reclusis*
*Andiades quondam Musæ, describere formas*

*Atq;*

Atq; habitus cuiusque ausim: ne fortè canoro
Garrula cum cycno frustra contendat hirundo.
Illum ergo præstantem animis, & viribus acrem
Cuius pressit Arabs forteis temerarius armos,
Quemq; inter Scythicas cautes, & saxa Daycis
Horrida Hyperboreas suetum perferre pruinas
Orgasus, & vicina colens iuga sæpe Coraxus
Præcipitem cursu, pedibusq; sonantibus egit,
Laudarim. non illum vmquam genibusve labantem
Videris, aut animam fessum vix ore trahentem.
Verùm importuno potuit superesse labori
Acrior, atque nouas currendo acquirere vires,
Velocem quandoque fuga præuertere ceruum,
Et premere immanes animis optauimus apros.
Quid tibi nunc referã, multo quos gramine Taurus,
Quosq; suo rapidos pinguescere vidit Orontes
Flumine? non illis alius magis aptus ad vsus
Bellandi, aut forma melior fuit. Ergo age, ni te
Diana ex alto nequicquam spectat Olympo,
Inde adeò ingenti præstantem robore, & ausis
Sume ferum, magna qui bellum ex arte ministret.
Nam reliquis, aut robur iners, aut mollia sensim
Crura fluunt, præcepsve ardescit pectore virtus
Incassum, & syluas crebris hinnitibus implent.
Quòd si, quæ nobis Romana potentia quondam
Claustra, atque obstanteis disiecerat obiice moleis,
Opposuit rursus Scythiæ, Thracumq; tyrannus,
Quominus huc illis nunc è regionibus acres
Conuectemus equos: quorum vi fretus auitos

*Proferat ipse suos fines: ac funditus omneis,*
*Quæ superant, euertat opes, & regna ruentis*
*Europæ, nobisq; iugum crudele minetur,*
*Cùm primùm à tergo Parthos pacauerit hosteis,*
*Quæ vestra est tandem miseri dementia reges?*
*Quis furor? Aut Stygijs quæ vos agit improba ab oris*
*Tisiphone? inter vos vestras absumere vires*
*Pergitis, atque odijs tantùm certatis iniquis?*
*Ille autem sedet interea, crescitq; sedendo,*
*Perq; ipsas vestrum sperans vtriusq; ruinas*
*Aeneadum victor sublimem euadere ad arcem,*
*Obseruat rerum intentus momenta, vicesque.*
*Sic sedem imperij Byzantia mœnia quondam*
*Aggressus deiecit humi: sic antè feraces*
*Bithynorum agros, orasque, vrbesq; beatas*
*Ceperat: & naues Ligurum depactus auaras*
*Intercurrentem tranauerat Hellespontum*
*Impiger. inde Hebrum, atq; Hebri frigentibus vndis*
*Confundentem vndas in vincula iecerat Arsam.*
*Nec pudet oblitos regnorum Orientis, & vnà*
*Antiqui decoris (prò qua mercede?) furenti*
*Bella manu gerere, atque animas tot dedere leto:*
*Præstantes animas, animas melioris egentes*
*Fortunæ, & sæuum quæ tanta è sede tyrannum*
*Deijciant: si vos percusso fœdere dextras*
*Iungere, & vnanimes videant sociare phalanges,*
*Et simul incepti tamquam duo fulmina belli*
*Irruere, & ruptis Europam soluere vinclis.*
*Non ne Rhodum imperij iam propugnacula vestri,*

Ioniumq; omnem, nonne Istrum, & Dalmata quicquid
Accolit, atque arceis Pelopis, sedesq; vetustas,
Illyricosque, & Chaonios in iura videtis,
Inq; potestatem cessisse illius: & oras
Ausoniæ trepidas horrescere iussa, minasque?
Scilicet hinc Latium, atque illinc Germania cùm iam
Victrici superata manu subsederit: ipsi
Otia securi molli ducetis in vmbra,
Inq; triumphali dites regnabitis aula.
Hæc vos flamma petit miseros: hæc irruit in vos
Tempestas: hæc vna in vos tormenta parantur.
Nos animæ viles, & turba assueta malignum
Ferre iugum, & nostri miseranda incommoda secli,
Iamdudum clades animo spectabimus æquo,
Quas ventura dies, quas vestra superbia, quasq;
Inferet (heu) partis olim discordia regnis.
Ergo agite, ò miseri, si vos immensus habendi
Tangit amor, si vos regnandi insana cupido
Exagitat, dirisq; accendit pectora flagris,
Ingenteis animos, & magnos ponite fastus.
Ponite quæ toties tristis vos egit Erinnys
In ferrum, flammasque, & sanguine miscuit atro
Quascumque Oceanus terras refluentibus vndis
Alluit, & celsus disterminat Apenninus,
Tyrrhenusq; ingens flauentibus ambit arenis,
Et pater Adriaco supra lauit æquore Nereus.
Quæq; adeò nobis tanti stetit ira, rebelleis
In Turcas, Medosq; animum iam suscitet. illic
Diuitiæ ingentes, ingentia regna supersunt,
Cui

*Cui virtus aditum patefecerit æmula. quòd si*
*Illa etiam nimium vobis angusta videntur:*
*Ite animæ illustres, stimulis quo gloria ducit*
*Ardua, & immensæ laudis male sana cupido.*
*Ite: nouas monstrauit opes audacia patrum*
*Nostrorum, atque alia aduerso quæsita sub axe*
*Imperia, & rutilo fulgentia tecta metallo.*



# PETRI ANGELII BARGAEI CYNEGETICON

## Liber sextus.





Os mihi, quæ colitis campestria rura Napææ,
Et tutæ altorum nemorum succeditis vmbris,
Dum mea syluestreis iuuenem deducere in agros
Musa parat, lustrisq; ciet genus omne ferarum,
Este duces: facilemq; viam substernite: nec me,
Si vos rite colo, si vestras commodus arteis
Edoceo, & latebras omnes, atque antra recludo,
Linquite iam summos cingentem indagine saltus.
Tu quoque, quæ nostros olim fidissima cursus
Direxti ignotas semper comitata per oras,
Affer opem Diana. tuus iam retia ponit
COSMVS, & inflexo iuuenum vocat agmina cornu.
Iam voces iterat medijs in montibus Echo.

*Et vigil aerias fertur latratus ad auras:*
*Eq; suis excita ruunt animalia lustris.*
*Quare ades ò felix, & me tutare canentem.*
*Atque, ego si tenui sulcare immensa carina*
*Aequora, & ignotas ausus peruadere Syrteis,*
*Optatas tandem tetigi lætissimus oras:*
*Mecum etiam, quacumq; via est, rege carbasa vento:*
*Dum terræ in manibus, dum iam tenet anchora portũ.*
*Non equidem vt Libycas iterum permensus arenas,*
*Et latos Asiæ campos, Gangeticaq; arua,*
*Et nemora Hercyniæ latè frondentia syluæ,*
*Edoceam quo quæq; dolo capiatur, & armis*
*Bellua: nec, voces imo si pectore centum*
*Ipse meo rumpam, nec, iam si carminis auctor*
*Cynthius, aut omnem pandant Helicona Camœnæ,*
*Ausim audax tantum promittere: sat mihi nostras*
*Ferro vrgere feras, & fallere cæde recenti.*
*Qua tamen arte capi soleant violenta leonum*
*Pectora, & immites tigres, pantheraq; multis*
*Clara notis, monimenta docent æterna parentum.*
*Multiplices primùm laquei, foueæq; profundæ,*
*Et fallax aditus caueæ irremeabilis error:*
*Septaque, quæ vallis circùm contexta salignis*
*Densentur, multaq; assurgunt ilice crates.*
*Præterea Aethiopes dextrarum viribus vsi*
*Speluncas adeunt, strepituque, & voce latentem*
*Irritant, magnisq; acuunt clamoribus hostem.*
*Illum autem, sæuis simul insonuere flagellis*
*Contecti clypeo, cælo ceu fulgur ab alto*

*Cùm*

Cum ruit, & dira resonant iam tecta procella,
Ingentiq; globo ventorum, & turbine passim
Sternuntur syluæ, stridentibus vndique loris
Excipiunt venientem, atque ore, oculisq; micantem,
Irarumq; acri reuomentem pectore flammas.
Et nunc ille armos, nunc verberat ilia flagris,
Nunc studet imposita fessum compescere plaga.
Quare ita verberibus multis demittere cogunt
Ingentes animos, & subdere colla catenis.
Mox humeris sublatum altis in tecta, domosq;
Exportant hilares, & cæco carcere claudunt.
Ipse autem interea manibus tractatur amicis
Impunè, & partes circum versatur in omnes:
Non secus, atque aries si quando vulnere tardus
Excidit ore lupi, nota intra limina fertur.
At vero, Armeniæ campos quicumque patentes
Inter, & Euphratem medij, Tigrimq; pererrant,
Cingentes rara summos indagine saltus
Scuta gerunt, tedisq; manus ardentibus armant,
Inde feram tardis cedentem passibus, & se
Paulàtim in montes, atque auia lustra ferentem,
Aggressi strepitu, & magnis vlulatibus vrgent.
Hanc tamen ingenti numquam discrimine pugnam
Experti caruisse ferunt. nam bellua sæpe
Contemptoque canum latratu, hominumq; corona,
Supra ignes saltu, supra & venabula fertur.
Tutius illud erit: quod non audacia primùm
Inuenit, metus ille fuit, metus ora coegit
Contegere, obiecta flammataq; lumina veste:

*Getulus dum pastor oues, hirtasq; capellas*
*Pascit: & immanem vasto videt ore leonem*
*Vnguibus exertis minitantem, & dira frementem.*
*Nimirum vis tanta oculis versatur in ipsis:*
*Quippe quibus tenui quamuis velamine tectis,*
*Prò pudor, euincti media capiuntur arena.*
*Profuit hoc etiam venantibus, ilice multa*
*Constrauisse solum, & scillam sparsisse virentem,*
*Magnanimus quà sæpe viam leo pergere sueuit.*
*Torpet enim, annosæ quoties vestigia ponit*
*Ilicis in foliis, aut scillæ proximus hæret.*
*At varias Bacchi lynces (namque has quoque vidit*
*Roma Asiæ imperio quondam, Libyæq; potita)*
*Occultis captare dolis, atque arte magistra,*
*Et laqueis, scrobibusq; cauis multo ante paratis,*
*Non aliis quàm, quæ fallunt genus acre leonum,*
*Possumus: & captas duro vincire capistro.*
*Tu modo latratus catulam suspende cientem,*
*Quæ fleat, & longum nocti deserta queratur.*
*Est &, arundinibus, compactisq; ostia cannis*
*Septorum (sunt hæc Libycis magalia campis)*
*Qui claudat, rimasque inter contexta relinquat*
*Vimina: per patulas quoniam meat aura fenestras,*
*Et putrescentem longè diffundit odorem.*
*Illæ autem, circùm dum claustra occlusa pererrant,*
*Et caueæ obiectos tendunt perrumpere clathros,*
*Ceruicem implicitæ laqueis impune tenentur.*
*Præterea magna est illorum gloria, magnæ*
*Susceptiq; operis laudes, fructusq; laborum.*

*Vina*

Vina ferunt latè veteri fragrantia odore,
Quæ iam pressa diu cellis senuere Falernis,
Atque ea sub primam properant inuergere noctem,
Sicubi stagnantem riuum, vel sicubi fontem
Aspiciunt scatere, & tenuem manare liquorem.
Quò potum se manè feræ, cum lumina Solis
Nuntiat exoriens gelido Venus aurea cælo,
Ferre solent. (etenim nondum consumpta calore est
Vnda nouo, nondum bibulis epotus arenis
Exigui ros occuluit vestigia fontis.)
Nocturno has igitur viuas humore lacunas
Inficiunt, tectiq; procul sub vestibus artus
Expectant. illæ Bacchi dulcedine captæ
Epotant latices, effusáq; flumina siccant.
Tum verò in numerum cunctas saltare videres,
Plaudere tum pedibus Baccho impellente choreas,
Littoreq; in medio membra exercere palæstra:
Non aliter, quàm, cùm sub dio rustica pubes,
Lydia multiforem cecinit si tibia cantum,
Ludit, & in numerum celeri pede pellere terram
Cuncta simul pergit, tum pulchræ leuia miris
Flectunt colla modis, & cerea membra puellæ:
Circùm autem fusæ spectant longo ordine matres.
Ac tandem molli, dum dant sua corpora somno,
Deponunt caput: & media sternuntur arena:
Ingenti accepto vix vt de vulnere surgant.
Tantus amor vini est, veteris vis tanta Lyæi.
Nec minus, informeis quoties venaberis vrsos,
Ducendæ foueæ, texendæ ex ordine sepes
Quáq;

*Quaq; patent aditus, nodique, hamiq; parandi.*
*Qui tamen imbelleis fraudes odere, dolosque,*
*Atque audent dubij tentare pericula martis,*
*Vere nouo, gelidæ cùm iam tepuere pruinæ,*
*Horrida perpetua circumdant lustra corona*
*Custodum delecta manus, qui viuere rapto*
*Assueti gestant lato venabula dente.*
*Et primùm impellunt placidis hortatibus hostem,*
*Retia quà tereti deducta ex cannabe saltum*
*Multa tenent, curuantq; sinus laqueata tenaceis:*
*Namque ita limborum nodis vtrinque reductis*
*Excipiunt artè villosa in terga ruentem.*
*Tum circùm densati hostes glomerantur in armos,*
*Et vocem extollunt, quà montibus vndique ab altis*
*Responsant valles, fallaxq; resultat imago,*
*Et fugiunt excita suis animalia lustris.*
*Ille autem magna iuuenum impellente caterua,*
*Siue acrem quadrupes magno discrimine pugnam*
*Committat: siue arrectum se tollat, & oris*
*Rictum immane premens, dentes denudat acutos,*
*Atque ita letales plagas nunc accipit aluo,*
*Nunc errore malo prætenta in retia fraudum*
*Tantarum ignarus, venantumq; inscius artis*
*Labitur; & dura simul vt se compede sentit*
*Implicitum, curuis furit vnguibus, ipsaq; sæuus*
*Retia dilacerat lino contexta tenaci.*
*Tu verò, si tanta subest audacia cordi,*
*Dextrum necte pedem laqueo. cadet ilicet olli*
*Ira omnis, visq; effreni violenta furoris.*

Præterea quà se pater Apenninus ad auras
Erigit æthereas, Tuscorumq; arduus oris
Imminet, & tumidas Aquilonem immittit in vndas:
Vidi ego deserto nemorosi montis in antro
Venatorem armis. & duro robore fretum
Sternere humi validis præstantes viribus vrsos
Sæpius, atque ingens paruo discrimine lucrum
Fecisse, & sumpti laudem cepisse laboris.
Hic etiam, si quid credis, plus iuuerit astus,
Quàm, tibi gestandæ dentur si robora clauæ
Herculeæ, atque humeris Nemeæi tergora monstri,
Quamuis & cupidis venantibus hoc quoque multùm
Proderit, & validæ spectata audacia dextræ.
Nam simul ac rutilo circum caput ære decorum,
Brachiaque, & pectus thorace armatus aheno
Aggrederis dirum summis conatibus hostem,
Quà faciles aditus persæpe hastilibus offert
Molle femur, vibrans quæsitum ad talia ferrum
Munia confossi penetrabis ad vsque latebras
Pectoris. ille animam multo cum sanguine fundet.
Nec minus hunc possis fido comitatus Achate
Sternere humi, ne quid dubites. nam certa sequetur
Incultos ornata hederis victoria crineis.
Tu modò sume locum pugnam subiturus, & vnà
Ictibus alternis mediam concludite prædam.
Namque ea dum præceps accepto vulnere in hostem
Irruit, illatos omneis vt vindicet ictus,
Extemplo percussa retro vestigia vertet,
Cæcaq; letali rursus rapietur ab ira.

*Atque ita vulneribus demum confoſſa quieſcet,*
*Ardentesq́; animos inimica in morte relinquet.*
*Heu, iræ miſeranda lues, quid tanta furentem*
*Robora, & inuictis adiuncti viribus vngues,*
*Et durata iuuant hyberno frigore terga?*
*Ille cadit, totoq́; ingens extenditur antro,*
*Et largo madefacta tepeſcit terra eruore.*
*At iuuenes vnà villarum ad tecta reuerſi,*
*Inter ſe alternis conuiuia grata frequentant:*
*Et facta exponunt timidis malè tuta puellis*
*Quisque ſua. hic dubiæ ſubijt diſcrimina pugnæ*
*Comminus: hic rabido comprenſum ex ore verutum*
*Eripuit: manibusq́; audax auellit ab vncis.*
*Tum ioca, tum riſus, tum dulces ore cachinnos*
*Fundunt, & cunctos laſciuia læta pererrat.*
*Atque ita, quàm longa eſt, noctem inter pocula ducunt:*
*Donec ab Eois coniux Athamantia terris*
*Læta redit, panditq́; diem Matuta, nouiq́;*
*Solis equos curſu longè præcedit, & aſtris*
*Imperat excelſo paſſim decedere cælo.*
*Illa autem, ceu iuſſa, abeunt, atque omnia ſenſim*
*Eripiunt oculis ſeſe occultantia noſtris.*
*Tum iuuenis, quem venandi cura excitat vna,*
*Mollibus è ſtratis graciles exſuſcitat artus:*
*Atque abiens canibus leporem veſtigat odoris,*
*Sicubi lactenti ſegetes floreſcere ariſta*
*Nouit, & excultum tum primùm herbeſcere campũ,*
*Aut milio, aut vicia, aut Cerealis mergite culmi.*
*Namque illic, dum rore madent ſata culta recenti,*

Pascuntur, donec primi subit hora diei
Altera, & ingentes Sol aureus excitat æstus,
Omniaq; argutæ rumpunt arbusta cicadæ.
Tum deceat canibus blandiri, & frigus opacum
Quærere, quà patula diffundit ab arbore ramos
Fagus. & æquoreis abies pulsanda procellis
Iucundam fessis præbet venantibus vmbram.
Antè autem passim, quà sæpe in pascua gressus
Fertque, refertq; suos, & noto signat odore,
Insistant campo vestigia pressa virenti:
Donec pascentem, aut latitantem in cespite opaco
Jnueniant, prodantq; suis latratibus hostem.
Idq; adeo melius, cum cælo albente cubile
Deserit, & certo ingrediens it tramite passum,
Eueniet, quàm cum serus discesserit alto
Jam manè, & dubia fallet regione viarum.
Dum saliens redit, aut pronus dum considet, & se
Perpolit, & multo catulos errore fatigat.
Tu verò scrutare vias, scrutare recessus
Paulatim, & sumpto virgulta sonantia ramo
Discute, nec quidquam intactum, immotumq; relinque.
Nam sæpe incautè venantibus, ille salutem
Repperit, occultis dum se tenet vsque latebris,
Siue mori certus, seu certa euadere ab arte.
Præcipuè fessus celerem si forte canum vim
Fugerit in vacuum cursu properante cubile:
Ah, tibi tum forsan teneræ ne pressa capellæ
Confundant, turbentq; ipsæ vestigia vaccæ,
Et certo catulos deerrare à tramite cogant.

Namque aliter vel ponè legant fragrantia passim
Signa pedum, vel longè auras sectentur odoras,
Aut gyro interiore premant sata læta, vepresque
Circumdent ve acres longis anfractibus agrum,
Non vmquam cursu, latebra ve elapsus abibit,
Dum fugit, aut redit, aut arrectis auribus adstat.
Quòd si forte piger stratis surrexeris alto
Iam manè, & libeat venatum exire per arua:
Ipse sine antè calor primo se vespere frangat,
Et ruat Oceani iam Sol decliuis in vndas.
Namque die, cùm rura æstum sensere furentem,
Omnia consumpto pereunt vestigia odore.
Ergo age solue canes, læti quà sepibus agri
Horrescunt, segetemq; rubis fruticantibus vmbrant:
Quàq; adeò rauco labuntur murmure riui:
Rosidaq; humectant gelidi violaria fontes.
Atque, illic leporem pascentem in gramine læto
Ni forte & noctis captantem frigus opacum
Inuenias, reuocare gradus ad limina villæ
Iam poteris, raras ve plagas, & retia tecum,
Quæ tuleris prudens, circumdare callibus, & mox
Certus in insidias catulis vrgere latentem.
Ille ruet, tenebrisq; adeò confisus opacis
Occultos cadet in laqueos, mæstoq; vlulatu
Incusetq; homines, & furta inuisa, canesque.
Atque hæc cum longis procedit mensibus annus.
Verùm bruma madens rapidas vbi contrahet horas,
Asperaq; hybernæ superabunt tempora noctis
Venatu indulge assiduo: dum Phœbus ab ortu

Sur-

Surgit, & obscuris circumtegit arua tenebris.
Tum tellus, impressa semel quem ceperat antè,
Seruat, & assidue notum diffundit odorem.
Tum defessa canum nusquam vis fida labascit
Aut cursu, aut aura medij feruente diei.
Adde, quòd ex omni ceciderunt arbore frondes
Iamdudum, & nusquam occultant impressa ferarum
Signa virescentes medijs in collibus herbæ.
Adde quòd & tellus nullos expirat odores,
Qui passim vernis afflantur floribus, & qui
Perturbare canum nares sueuere sagaces.
Tempore quo timidas etiam venabere vulpes:
Præsertim Eoo cùm dorsum ex æquore delphin
Sustulit, & Solem excepit Capricornus aquosum:
Donec nocturnis æquantur tempora lucis,
Atque ipsæ arbustis vmbræ inducuntur opacis,
Et passim latebris texunt vmbracula rami.
Tu modò, si libuit pestem deperdere ruris,
Et spectare oculis dubiæ certamina pugnæ,
Dum medijs vrget tenebris sua plaustra Bootes,
Dumq; diem Veneris præcedit amabile sidus,
Et celeri Phœbus curru sata læta reuisit,
Vade age, quò fossa secreta cubilia terra
Incolit, horrenti surgunt vbi densa corona
Spineta, & rupem circumdant vndique sepes:
Atque aditus latebrarum omnes, atque ostia multis
Fascibus occlude herbarum, filicumq; maniplis,
Omniaq; humenti solers post obrue creta.
Vtq; dolos putet occultos, fraudesq; paratas,
Adijce

*Adijce transuersos foribus sine cortice ramos.*
*Illa aderit, multamq; ferens ad limina prædam*
*Attollet mirata oculos, gressumq; recedens*
*Sistet, & occultos aditus scrutabitur omneis.*
*Interea iuuenes quà sunt asperrima campi*
*Dumeta, & spinis cliuus consurgit acutis,*
*Obsedere vias, alij quà manè tepenti*
*Flamine in aduersos auras fert Eurus odoras,*
*Veloces tenuere canes: turbamq; sagacem*
*Immisere, premant patulis quæ naribus hostem*
*Obscænam, & dumis sese occultare parantem,*
*Conantemq; animam tristi subducere leto.*
*Quam postquàm certo latratu vrsere propinquam,*
*Soluuntur canibus curracia vincla Lacænis.*
*Illæ autem rapidis longè pernicius Austris*
*Exiliunt, morsuq; acres, & voce lacessunt.*
*Hic iucunda oculis committitur vndique pugna*
*Spectantum: rigido nam sese ea comminus ore*
*Defendit congressa animis, & robore dispar,*
*Vulneraq; imponit canibus liuentia, donec*
*Labitur infelix vitales saucia fauces.*
*Sunt, qui conclusis stuppamque, ignemque, cauernis,*
*Vnde fluit, penetratq; leuis specus aura profundum,*
*Subijciunt, myrrhamq; addunt, ferulæq; liquorem*
*Assyriæ, & Siculi viuacia sulphura ponti.*
*Ostia tum laqueis, per quæ datur exitus, arctis*
*Auersa impediunt. Nam dum formidine, & atra*
*Exanimata fugit picei caligine fumi,*
*Corripitur, scelerumq; graues luit improba pœnas.*

*Obser-*

*Obseruabis item teneros vbi vinea ramos*
*Implicat, & densa sese tegit vndique sepes*
*Aut vbi fœcundæ præcluditur area villæ,*
*Hirsutaq; virent pomaria septa corona,*
*Quà gressus tacitæ per amica silentia Lunæ*
*Inferat, atque aditu fallax succedat aperto.*
*Illic fraxineasq; sudes, vallosq; nocentes*
*Occulimus, ferroq; omnes armamus acuto,*
*Et lino, & manuum vi multa adducimus, agri*
*Sint vt ab occlusi parte interiore remissi,*
*Vnde feræ magno redeunt in pectora nisu*
*Obuia & effractas letali vulnere costas*
*Transadigunt; limenq; effuso sanguine fœdant.*
*Nec minus obscuras quoties venabere meles,*
*Contemplare suo cùm lumine cuncta retexit*
*Aurato fulgens curru Latonia Phœbe:*
*Atque ante ingressum latebræ contende tenaces*
*Vinclorum pedicas, & in ipso limine nodos.*
*Deinde acres immitte canes quà sentibus aspris*
*Horret ager, tellusq; vepres educit acutos.*
*Namque illæ non longè aberunt: subitoq; pauore*
*Perculsæ referent ad certa cubilia gressus:*
*Et sese occultis laqueis innectere pergent.*
*Quamquam etiam medio deprensæ in tramite cliui*
*Interdum pugnamq; cient, animasq; tuentur*
*Ignauas, neque se lædi patiuntur inultæ:*
*Atque illos, quibus implicitæ plerumque tenentur,*
*Dilacerant rabido casses, & retia morsu.*
*Gloria nulla tamen iuuenem, nulla inde voluptas*

*Consequitur, qualem capiunt, qui cæca Lycæi*
*Antra, & inaccessos audent peruadere saltus,*
*Comminus aggressi canibus genus acre luporum:*
*Postquam illos cæcæ videre cubilia syluæ*
*Liquisse, & campos noctu petijsse patentes.*
*Antè igitur quà se dumis syluestris opacat*
*Densus ager, spinisq; horret paliurus acutis*
*Plurimus, & gelidæ vis multa emanat aquai,*
*Ipse locum, si quem esse vides, cape prouidus, vnde*
*Mænalium sat longo absit nemus interuallo.*
*Atque illic venatrici iugulare Dianæ*
*Annosamve bouem, seu quem spatiosa senectus*
*Tardat equum morbo penitus grassante, memento,*
*Panaq; sollicitus Tegeæum in vota vocare.*
*Ipsa autem precibus castis placata fauebunt*
*Numina, & ingenteis addent in pectora vires,*
*Cùm letale canes ineunt certamen, & vnà*
*Inuadunt præstantem animis, & viribus hostem.*
*Tum verò, postquam medio collapsa iacebit*
*Aspreto, atque ipsas subter madefecerit herbas*
*Victima, dissectos humeris subeuntibus artus*
*In nemora alta ferant comites, queis talia curæ,*
*Digressi non vna omnes ex parte, viasq;*
*Syluarum varias (dum post se putrida tabo*
*Frusta trahunt loris per terram) & compita circùm*
*Commaculant, multisq; illuc, vbi cæde recenti*
*Terra, ipsiq; madent effuso sanguine vepres,*
*Tramitibus redeunt, distractaq; viscera ponunt.*
*At lupus, occultum media cùm nocte cubile*

Linquit venturæ metuens ieiunia lucis,
Aduertitq; vias fuso rorare cerebro,
Rectà aderit, cæsæq; auidus se tergore vaccæ
Pascet, nec multo in lucos nisi manè recedet.
Quamquam alij, quibus est notũ, quàm bellua vafro
Pectore sit, timeatq; omnes casusque, dolosque,
Exiguam mactant pecudem: tum ponè relinquunt
Quadrupedem, cui longa dies exhauserit omne
Corpus, & eduros mollinerit improba neruos.
Namque feræ prædam noctu cùm fortè paratam
Videre, atque auidas penuria adegit edendi,
Securæ inuãdunt, dapibusq; recentibus explent
Viscera, nec facta procul vnquam à cæde volentes
Secedunt: sed nocte locum, sed luce tuentur,
Quem semel effuso iam conspersere cruore.
Ergo alacer, tenebris cùm primùm Aurora fugatis
Fulserit, & lætæ ludunt in vallibus agnæ,
Densa iube cingant comites dumeta corona,
Quaq; adeò egressum certa vestigia tractu
Ostendent altæ latebras repetentia syluæ,
Insistant tecti arboribus iuuenesque, canesque:
Quos positæ certo disiungant ordine sedes
In longum, multis fugientem vbi protinus hostem
Includant spatijs, mediaq; morentur arena.
Tum verò vocem pubes, quæ terga tuetur,
Effundat, feriatq; micantia sidera clamor.
At prouectus equo iuuenis sublimis in alto
Tendat ad expositas tepefacto in gramine mensas
Certus iter, secumq; canes deducat odoras,

*Ipsaq́; raucisonis inflet sua cornua bombis.*
*At fera ab auersa conata euadere parte,*
*Unde instat clamorq́; virùm, sonitusq́; tubarum,*
*Conuertetq́; fugam, quaq́; insedere Laconum*
*Agmina sæua, ruens ad certa cubilia certum*
*Perget iter, seq́; insidias fugisse putabit,*
*Cùm subitò exurgens hic terga inuadit, at ille*
*Obuius ora petit morsu, ruit ilicet omnis*
*Turba canum, atq; atrox committitur vndiq; pugna.*
*Sed ne fortè tibi pereat solertia, neve*
*Dumeta incassum, saltusq́; indagine cingas,*
*(Nam lupus insidias veritus persæpe latentes*
*Nocturnus discedit, & in nemora auia gressum*
*Antè refert, syluis quàm lux inimica propinquet,*
*Aut abit è pastu lusum iam plenior, aut se*
*Inde procul sistit, radios vbi Solis apricos*
*Expectet satur, & longas edormiat horas)*
*Accede, & catulo vestigia pressa sagaci*
*Scrutare, aut syluas implens vlulatibus altas*
*Duc longum in fletum voces imitatus amicas,*
*Et querere amissos socios: nam protinus ille,*
*Si quis adest nondum mensis, dapibusq́; relictis*
*Respondet falsæ deceptus imagine vocis.*
*Nec te etiam pigeat sublimem ascendere quercum,*
*Et multùm hesterna dumeta tepentia cæde*
*Perlustrare oculis, sociorum vt certus ad aures*
*Nuntius aduenìens, quæ videris, omnia narres,*
*Nec dubiæ ducas ad spes, & præmia prædæ.*
*Sin studium magis est ceruos, capreasq́; fugaces*

*Venari, & celerem ramoso dorcada cornu,*
*Assignare opus est primùm auxiliaribus armis,*
*Quæ quisque aut tueatur habens loca deuia syluæ,*
*Vndique contigua concludant terga corona:*
*Quive adeò egressum obseruans insidat iniquis*
*Tectus in insidijs. nam primi in limine cursus,*
*Inq; ipso stadij, dubiæq; in carcere metæ,*
*Abde canes, rapidis socias quæ protinus omnes*
*Cursibus anteuolent: alias tum rursus eodem*
*In spatio circùm clausas horrentibus vmbris*
*Interualla suo discludant longa recessu.*
*Nec lateant solùm, ne quà difletur odoris*
*Aura leuis, naresq; feræ contingat acutas,*
*Sed multùm tacitæ seruare silentia discant,*
*Donec in insidias, quà se latum explicat æquor,*
*Deuenisse vident, penitusq; intrasse secundas,*
*Atque interiecti spatium decurrere campi.*
*Tum verò exiliant, pronæq; in aperta ferantur,*
*Inq; canes obuersi adigant postrema morantes*
*Effugia, & fauces, atque ora inimica petentes.*
*Illud item te parue puer, meminisse decebit,*
*Dum surgis, canibusq; tuis dum vincula laxas,*
*Ne subitò gressum cæcæ in contraria vertant,*
*Decursiq; legant celeres vestigia montis:*
*Idcirco ceruus si forte abscessit ab ore*
*Longiùs, atque oculos nusquam fugere ante videtur:*
*Veloces duc ipse canes quà cornea certum*
*Pressit iter, rectamq; fugam grauis vngula signat:*
*Et procul hortatas dimitte in terga ruenteis.*

*Ast ille interdum, quà flectitur orbita circùm,*
*Mille fugit, refugitq; vias, ne sedibus actus*
*Destituat notas secreta in valle quietes.*
*Atque ita (diuersos namque impedit orbibus orbes*
*Agglomerans) varia fallit regione sequentes,*
*Et retro obseruata legit vestigia cursu.*
*Tum iuuenis noti diuortia proxima cliui*
*Occupat, & cornu, multisq; hortatibus acres*
*Irritare canes, & circùm impellere tendit,*
*Nunc hinc, nunc illinc, quacumque recentia monstrant*
*Signa fugam, & verso describunt tramite flexus*
*Multiplices. quamquam si se semel inter amicos*
*Torserit anfractus, quà læua obuertitur, aut quà*
*Dextera, mox semper partem petet actus eamdem,*
*Expletosq; orbes iterumque, iterumq; retexet,*
*Veloci relegens eadem spatia intima cursu.*
*Ergo age, & assiduè fissæ vestigia plantæ*
*Obserua, & catulis ostende sagacibus vsque*
*Dum norint illac hostem fugisse ruentem.*
*Namque iter vt populi fugiens premit, aut loca rastris*
*Versa legit, cineresq; atros vbi flamma reliquit,*
*Ingentesq; vago syluas ardore cremauit,*
*Ipsaq; percoxit violentis ignibus arua,*
*Tum nullus cerui notas persentiet auras.*
*Fragrat enim proscissus ager, restinctaq; nuper*
*Nidorem ex sese dare magnum incendia fuerunt.*
*Dumq; canis redditq; animas, atque attrahit, acri*
*Inter odorandum replentur puluere nares.*
*Sed tu, nequa fugæ pateat via, sepibus amnes,*

Sepibus ingentis nemoris diuortia claude
A tergo, & tela campum disclude perenni:
Quæ multo candore feras in aperta repellat
Aequora: vbi tacitæ iuuenum sedere cohortes:
Et procul ad cursum fusi patet area campi:
Aut matutinis custodibus omnia comple,
Ordine qui denso fines perrumpere, & vltrà
Ire vetent, altisq; premant clamoribus hostem.
Atque ideo, cùm quisque locum iam ceperit, ignem
Excitet ingentem, & sæuos deploret amores:
Inq; ipsos socios, ceu grata licentia suadet,
Argutus iaciatq; iocos, salibusq; lacessat,
Dum sibi, dum reliquis multo quatit ilia risu,
Syluaq; clarisona longè sonat auia voce.
Quandoquidem strepitu perterrita cerua loquentum,
Aut caprea, aut etiam ramoso vertice dorcas,
Inde iter auertit præceps, grauiterq; rudentem
Aggressi inuadunt non æquo marte Lacones:
Tergaq; diripiunt auidi, rictumq; cruentant.
Hic iuuenes prædæ passim ferrique, trahiq;
Permittunt catalis caput à ceruice reuulsum.
Deinde laboratæ Cereris cum sanguine frusta
Miscent: atque alacres direpto in tergore ponunt:
Præmia latrantum quæ sunt gratissima turbæ.
Dumq; ea vernanti positis in gramine mensis
Pascitur, atq; epulas properans manditque, voratque,
It puer, & , quæ iam vicino in flumine lauit,
Intestina manu sustollit: & omnia clara
Agmina voce vocat: dapibus tunc illa relictis
Pro-

*Protinus accurrunt: medioq; iacentia prato*
*In partes rapiunt varias: rursusq; recurrunt*
*Iussa illuc, vbi relliquias liquere priores:*
*Et quicquid superest epularum absumere pergunt.*
*Hac doctæ mercede canes, hisq; artibus olim*
*Venanti parent iuueni, durosq; labores*
*Inuictæ subeunt, tolerantque & frigora, & æstus:*
*Nec, nisi iam capta, norunt requiescere præda.*
*Perq; vepres, perq; actam amnes, per stagna sequũtur,*
*Perq; ipsos tenui manantes flumine riuos,*
*Et nemora horrificis latratibus omnia complent.*
*Sed fugit interea tempus, meq; ipsa canentem*
*Fallit, & in longum producit blanda voluptas.*
*Idcirco inuitus canibus si iam pecus vrges*
*Innocuum, atque humilem refugis committere pugnam,*
*Quæ tibi nec mortem, nec vulnera sæua minetur:*
*Et celebrem laudas venatu, & fontibus Idam:*
*Arua coralliferis petito nemorosa Grauiscis:*
*Ipsa ve deletæ campestria pascua Cossæ:*
*Et, Volaterrani quà se subducere montes*
*Incipiunt, proniq; iugum demittere ad vndam.*
*Illic & valles, illic fontesque, lacusque,*
*Et dumeta virent humili frondentia sylua.*
*Aequora nec desunt culti latissima campi:*
*Nec spatia ad rapidos ceruum inuitantia cursus.*
*Quæq; fugam sistat, refluens maris alluit vnda*
*Littora limoso vada conficientia tractu.*
*Occultantq; apros canna, iuncoq; palustri.*
*Vndique collectæ riuis, atque imbre lacunæ,*
Et

*Et nemora impendent multos illæsa per annos*
*Ilicibus, fagisque, & quercubus horrida sacris:*
*Quæ thoës, quæq; una lupos educere suerunt*
*Immanes, multumq; animis præstantibus acres.*
*Hic virtute potens iuuenis, cui maxima quondam*
*Paruit, & patrios concessit libera fasceis*
*Roma suos (ceu fama refert) lætissimus egit*
*Otia: percipiensq; beatæ plurima vitæ*
*Gaudia, cum duris venatibus indulgeret,*
*Atque ipsos iam tum sæuos assuesceret hosteis*
*Vincere, & austeros belli tolerare labores,*
*Sæpe sitim, duramq; famem: mala frigora, & æstus*
*Pertulit, insomnisq; diem, noctemq; peregit.*
*Ergo illum haud multo post tempore sensit & Afer*
*Armipotens, Marsusq; ferox, durusq; Sabellus:*
*Quiq; potens Asiæ quondam bis dena regebat*
*Imperia, & populis in regia tecta vocatis*
*Iura dabat. sensere etiam Præneste sub alta*
*Tristia victrici miscentem funera dextra,*
*Rumpentemq; acies Volsci quæ sæpe secutæ*
*Signa ducis victo duxere ex hoste triumphum.*
*Scilicet haud alias nobis durata per artes*
*Membra vigent æquè: nec, quæ tam firma senectæ*
*Tradat, & exclusis tueatur corpora morbis,*
*Vita agitur melius miseris mortalibus vsquam.*
*Ille ratem pelago fragilem committit, & Euris,*
*Littoraque, tractusq; maris percurrit, & audax*
*Nunc vrbeis adit, Eoa quæ merce beatum*
*Dimittant: nunc terrarum toto orbe reuulsæ*
*Insulæ*

*Insulæ Oceano in magno dispersa per undas*
*Saxa procellosas, Syrtesq; vagæ Alacranum*
*Luctantem miserè aspiciunt furialibus Austris:*
*Sedantemq; sitim phocarum sanguine, & æstu*
*Deprensum medio, & iam rerum omnium egentem:*
*Vt, cùm quærit opes inhians, auroq; fluentem*
*Ammericem parat ire auersam à limite Cancri,*
*Atque alio penitus gentes sub Sole repostas,*
*Channibalum ingluuiem saturet miser: aut sua linquat*
*Ad scopulos, ad saxa undis refluentibus ossa:*
*Aut intempesto confectus corpora morbo*
*Exigat infelix annos, quicumque supersunt.*
*Atque alius fasces rursus miratus, & ostrum*
*Sarranum, penetratq; aulas, atque intima regum*
*Limina, nec patiens nutus non seruat heriles:*
*Non noctu, non ille ausus discedere luce.*
*Ac sæpe incautæ nimium post acta iuuentæ*
*Tempora, inops animi, lapsisq; inglorius annis,*
*Fortunamque, suasq; miser deplorat inaneis*
*Spes multum, & reliquæ perfert incommoda vitæ,*
*Curis, atque atra pectus consumptus ab ira:*
*Dum veras ignominias, dum turpia secum*
*Ludibria, & falsos recolit mentitus honores.*
*At iuuenes, omnem quibus olim degere vitam*
*Contigit in syluis, ditesq; auertere prædas,*
*Innocuos inter lusus, gratosq; labores*
*Angustum vitæ traducunt leniter æuum.*
*Haud illos vmquam rapit intempesta cupido*

Seu sit opum, seu sit plena vt regnemus in aula,
Et miseri seruos inter dominemur inertes:
Sed parco assueti victu, pinguiq; ferinæ,
Læti agitant annos, aut longe à finibus hosteis
Expellunt, patriasq; boni defendere sedes
Nulla vltrò oppugnant alienis oppida terris.
Verùm illi potiùs iustique, æquiq; tenaces
Angusta imperij dilatant limina auiti:
Et rerum domini tandem moderantur habenas.
Sic Medi creuere olim: sic Græcia victis
Iura dedit: sic omnem armis, animisq; subegit
Roma orbem: patrios sic fortis Hetruria fines
Protulit, èq; suo nomen de nomine fecit
Tyrrheno, Adriacoq; mari, quod secula nulla,
Nulli vmquam Geticis quamuis è montibus orti
Mutauere. manent veteris vestigia regni,
Gallia quà fusa est: quaq; altas explicat Alpeis
Rhætia in antiquam nimium malè grata parentem.
Quin etiam has arteis olim, & documenta secutus
Expulit audaces patrijs è sedibus Vmbros
Porsenna: & regni iustissimus auctor Hetrusci
Depulsum cælo Saturnum accepit, & armis
Tutando primus certam affectauit Olympo
Ille viam, & miseris mortalibus vnus eamdem,
Ostendens, aditum Diuùm patefecit ad oras
Ianus, præteriti & venturi prouidus æui.
Tu quoque venando perferre incommoda suetus
COSME potens bello patriæ sua iura tueris:

Regna-

*Regnáque, quæ fuerant in multas didita partes,*
*Instauras iterum, & vireis componis in vnum*
*Hetruscas: quarum celebris mox gloria sese*
*Tollat, & in longo quæcumque amisimus æuo*
*Iam tua Tyrrhenis virtus adiudicet armis.*
*Verùm age quandoquidem velis subducere ventum*
*Tempus, & optato tandem consistere portu:*
*Quod superest Nymphæ Aonides Iouis aurea proles,*
*Aonides Nymphæ cœptum percurrite carmen,*
*Et mecum densa lætæ considite in vmbra.*
*At non & generi est idem venatus aprorum.*
*Nam neque eos lato terrent venabula ferro:*
*Nec Spartana canum spectatæ ad prælia turmæ.*
*Vidi ego fulmineis frendentem dentibus aprum*
*Persæpe in medios hostes, inimicaq; tela*
*Irruere: & iuuenum discerpere membra, canumque.*
*Tu tamen vt primùm lucos ingressus iniquos,*
*Perge celer quò pressa solo vestigia ducent.*
*Atque ibi lectorum iuuenum fortissima prestò*
*Pectora sint dubijs persæpe exercita pugnis:*
*Et densa circumsideant nemus omne corona:*
*Retiaq; obducant certum cingentia callem:*
*Quæ quondam irriguis Alabandica cannabis hortis*
*Nutrita in tantos demum contexuit vsus.*
*Tum propè habere canes iubeo de more Laconas*
*Quemq; suas, validaq; manu nodosa veruti*
*Robora, quæ nequeat duratum ad prælia pectus*
*Frangere apri, dum flammato furit improbus ore,*

Atque huc, atque illuc celeri contorta rotatu
Non vnquam in rimas abeunt, aut victa fatiſcunt.
Inde aliquis ſyluam ingreſſus ſpeculabitur antrum:
Antrum, quo fera ſus tantarum neſcia fraudum
Aut æſtum, aut canæ fugiet mala frigora Brumæ.
Nec niſi ſaxa illinc, aut longo haſtilia conto,
Aut quæ fumiferis Cyclopum ducta caminis
Aenea Vulcanus bello tormenta parauit,
Tormenta & tonitrus, & dirum imitantia fulmen,
Exigere, & notis poterunt extrudere luſtris.
Hinc paribus ſpatijs, rarus ne ſe implicet ordo,
Quiſque locum capiat canibus ſub prima ſolutis
Prælia: nec temere vnà omnes glomerentur in hoſtem,
Dum ſtat, & antiqua defenditur ilice tergus:
Aut rapitur præceps multo ſuccenſa furore,
Quò denſatæ acies intentant vndique vulnus.
Inconſulta etenim plures audacia lædit,
Quàm timor, aut duris prudentia cognita rebus
Seruet, & in tutum per tanta pericula ſiſtat.
Sæpe etiam excutiet validæ venabula dextræ,
Atque animi dubium ſummo in diſcrimine rerum
Deſeret: aut miſerè cunctantem, & nulla parantem
Auxilia inuadet, ſubitò ni pronus in ora
(Si qua fides) ſternaris humi: tum parua tenaces
Comprendant virgulta manus: & pectore inhærens
Ilicet ipſa ſolo terræ coniunxeris ora.
At pugnæ ſocius, ſublato vt fortè veruto,
Conſtiterit propior (nam ſoli hæc prælia non ſunt

Ten-

*Tentanda) irritet trepidanti, & multa timenti*
*Assimilis, quo dura hostem sub genua iacentem*
*Linquat aper celerem dum vertitur actus in orbem,*
*Ardescitque furens, conceptaq; irruit ira*
*In ferrum, & , ni lata vetent dentalia conti,*
*Prouolet, & toto transfixus corpore lignum*
*Accipiat penitus: misereq; per ima volutus*
*Robora, vulnificæ latam prope pectora plagam*
*Cuspidis, & leti sortem vlciscatur acerbam.*
*Quòd si vectus equo dubiam committere pugnam*
*Forte paras, tantumq; manu petis vnus honorem,*
*Quo res ipsa loco sese ostentatque, iubetq;*
*Prouidus adductas collo moderator habenas,*
*Dum gladio ruis infestus, dum cernuus ense*
*Terga fodis, sæuumq; manu iaculare verutum:*
*Neu ventrem, neu crura feri sus concita rumpat,*
*Neu iaculum summa fixum tellure ruentis*
*Transadigat costas, teq; vnà sternat, equumq;*
*Purpureos latè fundentem pectore riuos.*
*Quin etiam multo deuictus membra labore*
*Sæuus aper, medium cùm iam Sol igneus orbem*
*Hausit, & arenteis laxat calor improbus agros,*
*Aut fessus procumbit humi, penitusq; fatiscit,*
*Cùm iam pertæsum est belli, aut in retia sese*
*Præcipitans, animam tenues expirat in auras.*
*Hæc me, dum magno laudis perculsus amore*
*Exigere æternæ monimenta insignia famæ*
*Conor, & obscuro nomen subducere leto,*

Per-

*Percurrentem Æsar sæpe auscultabat, & Arnus*
*Findit vbi medias sinuoso flumine Pisas:*
*Quo sibi finitimos subigebat tempore Hetruscos,*
*Et patrias sanctis ornabat legibus vrbes*
*Componensq; iras magnorum, & fœdera regum*
*Ipse optata diu nobis dabat otia, pacis*
*Aeternum decus, & belli noua gloria* COSMVS.

FINIS.


# AD FRANCISCVM MEDICEM MAGNVM PRINCIPEM HETRVRIAE.



*PRoles inclyta maximi parentis*
*Franciſce, en tibi candidum libellũ*
*Offert Angelius, catus ſagaxq́;*
*Auceps perpetuæ bonæq́; famæ.*
*Doctorum cupidas qui ineſcat aures*
*Concentu vario, nimisq́; dulci.*
*Hic idem rapido tuum volatu*
*Mox nomen feret ora per virorum.*
*At tu, quem Itala ſuſpicit iuuentus,*
*Te dignum aucupium, nouamq́; laudem*
*Pro tua egregia benignitate*
*Noli ſpernere, nec putare parui.*

Marius Columna.

# PETRI ANGELII BARGAEI
## AD FRANCISCVM MEDICEM MAGNVM PRINCIPEM HETRVRIAE
# IXEVTICON
## LIBER PRIMVS.



*HINC quibus insidijs auceps instructus & armis*
*Decipiat volucres: quæ pascua quæq; secutæ*
*Mistæ alijs cætus celebrent, solæve vagentur:*
*Quantus & accipitrum generi labor instet habendo;*
*Præcipere, ac tantas aperire nepotibus artes*
*Incipiam: nostris propior si fauerit orsis*
*Cynthius, &, quæ me nuper comitata per altas*
*Syluarum latebras, & iniquo tramite montes*
*Cantantem patrijs Erato deduxit ab oris,*

*Et reducem flauas culti prope Tybridis vndas*
*Constituit medio in Latio; viridemq; coronam*
*Intextam ex hederis simul, & Parnasside lauro*
*Passa est tum demum lætæ circumdare fronti.*
*Hanc ego si cura insomni, assiduoq; labore*
*Partam iure tuli: si nunc quoque dignus eamdem*
*Ipse idem repeto: Vos ò præsentia ruris*
*Numina, quæ sedes auium, dulcesq; recessus*
*Nouistis, vestrosq; vnà cecinistis amores*
*Panes, & humentis Nymphæ telluris alumnæ,*
*Dum nemus, & varijs resonat concentibus æther,*
*Et rapido inuitat decedere sylua calori,*
*Ferte iterum nunc Panes opem, Nymphæq; puellæ;*
*Et me per scopulos, inflexaq; littora ponti,*
*Perq; amnes, ripasque, & stagna herbosa vagantem*
*Sistite, vbi aerij prærupto in vertice montis*
*Arduus apprendam manibus quas fulua satelles*
*Dictæi regis: vel quas genus acre volantum*
*Præcelsas rupes insedit Apollinis ales.*
*Tuq; adeò, o iuuenum princeps decus, o noua gentis*
*Spes columenq; tuæ, Tusci cui debita regni*
*Sceptra, & cunctarum rerum concessit habenas*
*Ante, suos quàm maturos compleuerit annos*
*Longæuus genitor, Diuumq; reuiserit oras,*
*Huc ades o* FRANCISCE*, meis bonus annue cœptis.*
*Non ego nunc primùm, quà vatum incedere nullus*
*Est ausus, nulla vsquam extant vestigia, nulli*
*Ingressus, aditusq; patent: immo omnia clausa,*
*Omnia sunt obstructa, & sentibus obsita densis,*

*Ire paro, ſuetus duras multo ante ſalebras,*
*Exuperare, iterum ignotos recludere calles*
*Aggredior, curſumq́; nouo contendere campo.*
*Et, modo conanti tam pulchra, atque ardua præſens*
*Tute mihi affueris, cœptumq́; aſpexeris ingens,*
*Ingentem ſternam ipſe viam, cædam obuia ferro*
*Septaque, & impexis obſtantia robora truncis.*
*Nec me ſuſcepti vis vlla immenſa laboris,*
*Quæq́; nouis animum verborum in rebus egeſtas*
*Angit, & obſcuris præclara inuenta tenebris*
*Sæpe tegit, turpi victum formidine franget,*
*Dulcis vt expertem laudis traducere vitam,*
*Quæ mihi reſtat adhuc, ignaua per otia malim.*
*Ergo age, & Aonio quos nunc dictamus in antro*
*Da faciles numeris aures: fortè hic quoque præter*
*Res geſtas, veterumq́; tibi decora inclyta patrum,*
*Inuenies partam ventura in ſecula famam.*
*Principio volucrum varia eſt natura ferarum.*
*Namque locis alijs aliæ diuerſa ſequuntur*
*Pabula, nec nidos vnis in ſedibus omnes,*
*Et ſtabiles poſuere domos: campeſtria partim*
*Culta tenent, pinguesq́; legunt iactata per agros*
*Semina, & arentes ſegetum populantur ariſtas.*
*Partim autem, quos exacto iam pomifer æſtu*
*Pertulit autumnus, fructus depaſcere, & vua,*
*Et ficu, & viridi ſuerunt pingueſcere oliua.*
*Sunt etiam, piſcoſa colant quæ ſtagna, lacusque,*
*Aequore & in medio merſent caput: inq́; profundi*
*Fluctibus Ionij prædas ſectentur opimas.*

*Nec non flumineis docta succedere ripis*
*Herbarum fibras, & quæ tellure sub alta*
*Tecta latent multa passim rimantur, & oua*
*Ore legunt, quæcumque imis peperere cauernis*
*Gurgulio, & sudo gaudentes Vere locustæ.*
*Omnibus his certas anni pro tempore fraudes*
*Texendum, certosq; dolos: neque tenuia tantum*
*Retia, sed pedicas etiam, viscumq; parandum,*
*Et teretes laqueos, distinctaq; licia nodis*
*Tortilibus; quæ ceruices implexa volucrum*
*In medijs vmbris hederarum; in sepibus ipsis,*
*Ante escas, dulcesq; dapes, mensasq; fideles,*
*Palladias inter baccas, gratosq; corymbos,*
*Frangunt hinc illinc ramo religata tenaci.*
*Omnia quæ multa tute ipse parauerit arte*
*Jampridem, tantosq; domi seruaris in vsus,*
*Temporibus diuisa suis: neque enim omnia semper*
*Omnibus opportuna horis, atque apta feruntur.*
*Ergo auidas si forte anates captare libebit,*
*Atque alias, liquidis quascumque paludibus vlua*
*Delectant molles, captiq; in gurgite pisces*
*Palmipedum genus alituum: torpentia propter*
*Stagnaque, velocesq; amnes, deducere fossam*
*Perge celer, tenui refluentem leniter vnda.*
*Atque ea bis septem lato se margine in vlnas*
*Proferat, in longum duplo spatiosior, inq;*
*Turbinis effigiem sensim procurrat acutam*
*Vtrinque, & teretis fastigia summa obelisci*
*Aut cymbam, aut tenues imitetur imagine lembos*

*Arne tuos; summumq; caput scrobs altera pressis*
*Faucibus excipiat, per quas egressa volantum*
*Agmina, contextas linove, aut cannabe nassas*
*Intrent, & diti repleant caua retia præda.*
*At iuuenis, quem nulli vsquam tardare labores,*
*Nulla queunt gelidæ remorari frigora brumæ,*
*Substructa è ferulis, ramisq; arentibus vlmi*
*Straminea latet vsque casa; quam scilicet alter*
*Angulus occultam foueæ discludit iniqua.*
*Insomnisq; illic peragens noctemq; diemq;*
*Expectat, dum turba ingens illapsa ferarum*
*Inuolet, occlusasq; lacu simul innatet vndas,*
*Vt proiecta legant variarum semina rerum;*
*Et zeæ, & milij, multumq; albentis oryzæ:*
*Quæq; etiam tristes immittunt somnia lentes;*
*Somnia terrificis animos agitantia monstris.*
*Lætaque, quæ varios depellunt hordea morbos.*
*Tum verò innitens pedibus consurgit, & omnes*
*Intendens neruos magno trahit impete funem.*
*Vtq; trahit subito, collectaq; retia pandit,*
*Extremo quæ fortè iacent super aggere ripæ*
*Quisquilijs occulta, hamisq; tenacibus apta;*
*Illa ruunt, captasq; tegunt bipatentibus alis.*
*At miseræ cum se insidijs, multisq; petitas*
*Fraudibus esse videt, ac iam fuga libera nusquam est,*
*Nando abeunt: quaq; angustus patet exitus, omnes*
*Proripiunt se se, & fossa impediuntur inani.*
*Accurrit tum demum auceps, & lætus, ouansq;*
*Ora manusq; ambas miserarum in cæde cruentat.*

*At si tantus honos, tantæ si gloria laudis*
*Te manet, atque huius non præmia parua laboris*
*Consequeris, tum tu circùm longo ordine sepem*
*Horrentem intexe, atque hirsutis vepribus omnes*
*Claude aditus, ne fortè malæ vulpesque, lupiq́;*
*Septa, & lucifugæ subeant auiaria meles,*
*Collectasq́; fugent volucres. tum ponè lacunam*
*Area comparibus spatijs excurrat vtrinque,*
*Quà densa extremo discluditur aggere sepes,*
*Aequato quantum sat erit comprendere campo*
*Ingentes alas, expansaq́; brachia retis.*
*Præterea sit chortis anas assueta paludi,*
*Quæ voce illiciat reliquas ad pabula, seu sit*
*Mane nouum, seu sit nox intempesta, ferasq́;*
*Inter eat, plumam variata coloribus ijsdem.*
*Quin etiam multi tabulis ad retia pictis*
*Exponunt similes imitati fraude volucres,*
*Et passim nantes sinuoso in gurgite linquunt.*
*Quas simul atque aliæ fortè inspexere, gregales*
*Esse ratæ, dum stagna super, pigramq́; paludem*
*Vnà omnes abeunt ad pascua nota volantes,*
*Demittunt, sociasq́; ollis se protinus addunt.*
*Hos tamen, atque alios magna occultare necesse est*
*Arte dolos. absint tacitæ vestigia fraudis:*
*Absint & culti ferro paliq́ue, sudesq́ue,*
*Et nusquam tanti signum moliminis extet.*
*Namque aliter, procul inde omnes facto agmine cedent;*
*Suspectasq́; oras, atque insidiosa lacunæ*
*Littora, & expositas medijs in fluctibus escas,*

*Quam-*

Quamquam dira sitis, quamquam imperiosus edendi
Cogat amor, mensasq; ostentent septa paratas,
Aufugient tamen; & socias clamore monebunt,
Si quæ illic aut mane cibos, aut vespere quærent.
Ipsæ autem capientq; fugam, celeriq; volatu
Aera tranantes immensum, ad flumina sese
Sistent longinquis latè stagnantia terris;
Et iuuenem parui latitantem in stramine culmi,
Tendentemq; manus, oculosq; ad sidera, & vni
Plurima Neptuno facientem vota relinquent.
Sed quid agat? tacitus ne irrisa insidat arena
In cassum? an repetat mæstas inglorius ædes,
Et secum aucupij damnet genus? omnia cura
Sunt vincenda acri, & duro superanda labore.
Ipse aliquot noctesq; tibi patiare, diesq;
Prætereant prædæ immunes, sine farris aceerui
Diripiantur aquis: volucrum sine turba natantum
Assuescat stagno, & ripæ confidere discat
Paulatim, & septum formidinis innolet expers.
Mox etenim (mihi crede) aderũt quàm plurima prȩstò
Agmina, & innumera cõmplebunt alite fossam.
Dumq; alijs aliæ læto clamore per vluam
Signa dabunt, aliæ longis è finibus actæ
Aduenient pastum. nusquam tibi cesserit æquè
Seu mare, seu terram, seu concita flumina tentes,
Aucupium felix, festiuaq; copia prædæ.

Nec desunt astus alij tamen, innumeræq;
Insidiæ, vnde auibus læti vescamur inemptis,
Et nulla omnino miseris loca fida sinamus.

Non

Non nemora, aut agros, non quæ moderator aquarum
Regna pater Neptunus habet: non aeris oras
Ingentes voluit coniux Iouis aurea Iuno
Perfugium præbere ollis, tutumq; receptum.
Omnia sunt infida, & certo exposta periclo.
Nec tamen has pœnas, hæc ipsa ingentia nobis
Supplicia insontes nullo pro crimine vitæ
Vana superstitio veterum persoluere quondam
Credidit: & sceleris potuit damnare, quòd essent
Euentus ausæ obscuros aperire futuri:
Tempore quo celsæ dominator Iupiter Idæ
Sedibus è superis Saturnum in tartara pulsum
Egerat, & solus regnandum inuaserat orbem;
Vinculaque, & cædes patrijs fautoribus atras,
Atque alijs triste exilium molitus, ahenis
Iapetionidem raptum religarat ob ignem
Compedibus, saxoq; dolentem affixerat alto.
Nec quisquam sæuis aderat finisve, modusve
Consilijs, ni voce prius, ni præpete penna
Alituum moniti, veniam per dona, per aras
Expeterent. placuere Ioui rata vota, precesque:
Atque inde in volucres pœnas auertit. at ipsi
Mortales, quibus innumeræ pestesque, luesq;
Instarent, lætumq; ferax, quem sponte quotannis
Terra ministrabat nullis inuersa iuuencis,
Fundere desisset victum, cultuq; frequenti
Vita per immensos esset ducenda labores;
Cœpere in pecudes auidi sæuire, ferasque;
Et nil tale prius meritas captare volantes.

Quæ ceu vana ferunt: ceu sunt mendacia passim
Dìdita, nec fictis debetur gratia factis,
Sic merito argutæ potuerunt dulcia vocis
Carmina vernantis per densa vmbracula syluæ,
Perq; agros, ripasq; vdas repetita tueri.
Nunc autem neque secreta sub valle quietes,
Nec pennis variatus honos, nec in aere nidi
Profuerunt miseris. mortalia pectora cæcus
Vrget amor prædæ, luxusq; expulsor honesti.
Quare age, & ad reliquas confer te prouidus artes,
Quæ superant: lentisq; tenax inducere viscum
Funiculis, iunco è tenui, spartove, genistave,
Et capita ad stagni ripas religare memento.
Vt, quà parte cauam medij iunxere paludem,
Immissi fluitent strata super æquoris vnda:
Et volucres summo nantes in gurgitis alueo
Impediant, filoque alas, & glutine tardent.
Hic tamen haud omnis fidum tibi præbeat vsum
Viscus, & humentes contemnat protinus vndas.
Optimus è quercu legitur, cerroque, cauaq;
Ilice, nodoso nec non è robore. at illum
Reijce, quem viridi nascentem in cortice pinus,
Abietibusq; altis risere impune volucres.
Nec tibi, qui surgit spinis paliurus acutis,
Quæq; humiles fundunt viburna tenacia ramos,
Quiq; rosis similem florem producit ibiscus,
Auxilium tulerint: licet ijs tellure sub vda
Putruerit cortex radici exempta latenti.
Nam numquam manibus quamuis versatus habendo,

Numquam & tundendo poterit lentescere, & , in se
Si quid inhærescet, filo retinere sequaci.
Commodior multo, & tantas magis aptus ad artes,
Quem Pelusiacus Nilo ab stagnante Canopus
Confectum è prunis ad nos per cærula misit
Aequora, præsertim liquido si melle subactus,
Pinguibus & stillis multum dilutus oliui,
Aut funem, aut teretes illeuerit vnguine virgas.
Nam neque tum cælo obscuro, neq; flantibus Austris
Virtutem amittet: non, si demersus in vndis
Aeternùm rores, & densos perferat imbres.
Est etiam, hirsutæ passim qui grandia lappæ,
Quiq; venenato flauentia semina succo,
Inter diuersis immistas frugibus escas
Spargat hyoscyami, Graio quæ nomine dicta est
Herba: soporatam neque enim velocius vlla
Vis agit exturbans mentem, & vertigine tentat.
Hac olim Alecto rabiem coniecit in atram
Aeoliden; Ino letum fabricata nouercæ.
Hac quoque præclari pulcherrima filia Solis
Impatiens ira, odioq; immanis & ardens
Succinxit Scyllæ latrantibus inguina monstris.
Quid? qui vina ferunt quo se densissima potum,
Agmina ferre solent auium, veteriq; falerno
Inficiunt latices, aut fæcem fontibus addunt,
Quæ depressa cadis olim subsedit in imis.
Scilicet illi etiam persæpe ad pabula, & amnes,
Insidijs quas numquam alijs vicere, dolisque,
Ceperunt volucres somno, vinoq; sepultas.

*Vt quondam extremo venientes Thraces ab Hebro,*
*Sæuus vbi vites incidit falce Lycurgus,*
*Massica si dulcis hauserunt pocula vini,*
*Prosternuntur humi. venas pater obsidet Euan,*
*Et sensim irrepens vinctos bacchatur in artus.*
*At verò aucupij si fortè adduceris in spem*
*Inde aliam atque aliam tentando, ac proximus amnis*
*Labitur inter agros: amnem pete. plurimus illinc*
*Quæstus, & implacidis curis inimica voluptas*
*Præstò aderit, mentemq; alacris tibi leniet ægram,*
*Si cuius facies, oculiq; immitis amicæ*
*Perculsum assiduè stimulis ardentibus vrunt.*
*Tu modò decliui geminos in margine ripæ*
*Erige, qui medio dirimantur flumine, malos*
*Inter se aduersos, gradibusq; ad sidera crebris*
*Ardua surgentes, & cælo vtrinque minantes.*
*At vertex trocleis ambarum & funibus aptus*
*Demittat lino, maculisq; intexta dolosis*
*Retia, quæ, quantum latè patet amnis in alueum*
*Vitreus, explicitas tantum pandantur in alas.*
*Mox comites, tecum si quos eduxeris vrbe,*
*Pernices pedibus, primaq; ætate valentes*
*Ire iube, obsessi totam qui fluminis oram*
*Scrutantes, vallemq; omnem clamore replentes*
*Maturent lentos ad retia tendere gressus:*
*Et pedibus strepitum, & manibus per littora plausum*
*Dent clarum, volucrumq; greges consurgere cogant,*
*Pascua quæ circum ripas fæcunda tenebunt,*
*Strymoniæq; grues, atque inter stagna, lacusq;*

Mollia dulciloqui carpentes gramina cycni.
Illi autem siue aduerso, siue amne secundo
Diffugient, splendorem vndæ, lucemq; secuti,
Tenuibus implicititi capientur in aere textis.
Atque hæc cum toto sparguntur nubila cælo,
Et certam eripiunt iam sera crepuscula lucem.
Namque aliter, celerem tollunt sublime volatum,
Quantum non vllæ iactu potuere sagittæ.
Quòd tibi si fruges, & iam nascentia farra,
Cum gelidus spirat Boreas à vertice, cumque
Bruma riget, tenuesq; hyberno Sole pruinæ
Liquescunt passim, puluisq; excitur in agris,
Garrula prædetur perdix, ruat improbus anser:
Accipe, raptores qua nam ratione voraces
Vlcisci, & socijs possis ostendere captos;
Raptores astu insigni, & prudentibus ausis.
Tempore quo primum serus se vesper opacas
Induit in tenebras, & Solem mergit in vndas,
Insidijs, tacitisq; locum lege fraudibus aptum.
Et sine, quæ radijs terras Aurora retexit,
Efferat ex oriente caput: nam mane sequenti
Extabunt nusquam vestigia tecta pruina:
Tum verò, si quis pressis odor hæserit aruis,
Frigore dilutus tenues discedet in auras.
Ipse igitur cedente die tua retia tecum
Effer, & in longum, quantum se porrigit inter
Iam tum nascentes segetes, & gramina sulcus,
Extende, & medio compone occulta canali
Sollicitus: limbumq; super collecta tenacem,

Fac

*Fac lateant herbis, & multo puluere tecta.*
*Nec minus ingentis saxi librata, trabisve*
*Pondere per sese subito surgantque, cadantque,*
*Non animaduersa volucrem oppressura ruina.*
*Namque bis octonos spatium prætendere passus*
*Cum soleant, senasq; altè consurgere in vlnas,*
*Nullius adductis vel pectus adusque lacertis*
*Sustollentur humo raptim suspensa, ruentque.*
*Præterea medio in spatio propè retia, quà sunt*
*Insidiæ fraudesq; omnes, eat vnus & alter*
*Assimilis pennam, collumq; domesticus anser,*
*Voce vocans, strepituq; feros. illi imbribus atris,*
*Frigoribusq; acti brumalibus ad sata culta*
*Aduenient, densoq; implebunt agmine campum:*
*Et procul insidijs læta inter farra volatum*
*Sistentes ima fibras tellure reuellent,*
*Spem prouisam anni. tum, qui te fidus Achates*
*Consequitur prædæ socius, gratiq; laboris,*
*Tempora arundineo gestans contecta galero,*
*Aut marram, aut rastros, aut sarcula, durave rutra*
*Prouidus arripiat manibus, sensimq; propinquans*
*Hostibus à tergo simulet se vertere terram.*
*Et voce, & cantu duros solatus amores*
*Inter opus secum assiduè permulta loquatur;*
*Securosq; sui paulatim ad retia cogat.*
*Namque illi, quamquam ingenijs sint acribus, vnde*
*Sæpe dolos, fraudesq; vident instare paratas,*
*Confident tamen, atque agris ducentur apertis*
*Huc illuc, quacumque dabit se copia frugum.*

Ac

*Ac tum præcipuè, rigidas cum nulla pruinas*
*Decussere pedum vestigia. namque vbi mane,*
*Cum primum gelidos constringunt frigora rores,*
*Turbatum est campo, nusquam mora. protinus omnes*
*Excessere, satis cæloque abiere relictis.*
*Nec solum his meritas sueta est persoluere pœnas,*
*Fraudibus ex alto quæ nunc sibi prouida casus*
*Præcipites metuit perdix, humiliq; volatu*
*Tollit humo corpus, cultisq; vagatur in aruis,*
*Verùm alias etiam crebro delusa per artes*
*Irretitur, & in casses festinat apertos:*
*Vadentesq; vnà secum male callida natos*
*Induit in maculas media inter farra latentes.*
*Continuò tali quicumque optauerit astu*
*Versare insidias, patulum contexat in orbem,*
*Et longo in primis deducat retia tractu:*
*Retia quæ laxos tenui de vimine circlos*
*Intus habent, tereti turgentia ventris hiatu:*
*Quæq; adeo properant spatiosa prodiga cauda*
*Turbinis in morem calcem decurrere ad imum,*
*Vnde queant lentis, quoties ita postulat vsus*
*Aucupij, segetesq; vocant, & pabula læta,*
*Funiculis fracto religari in stipite quercus:*
*Ingentesq; vteros, auidasq; expandere fauces,*
*Hinc illinc sese in longum fundentibus alis.*
*Non aliter quàm cum chelas vtrinque minaces*
*Scorpius incuruans caudam protendit acutam.*
*Tum tu autem excisam capiti circumdare sepem*
*Doctus, & horrentes præ te sentesque, rubosq;*
*Ferre,*

Ferre, vel effigie segetem pascentis aselli,
Siue bouis, siue acris equi componere totum
Corpus, in aprica cupidum te siste nouali;
Et quære occultus densis in vepribus vsque
Ante obseruatum campis dum videris agmen,
Et sensim impuleris prætenta in retia: quando
Nullam illæ latitare ratæ sub imagine fraudem
Anteferent gressus, & , quò tibi cumque libebit,
Dum ponè incedis faciem contectus, agentur.
Interdumq; etiam, quamuis iam proxima carpas
Gramina, iam paruo procul absis interuallo,
Subsistunt, interq; pedes versantur euntis,
Ignaræ quantus miseris dolus instet. at ipse,
Ipse manu tum parce aliquam violare: repente
Aera per liquidum sociæ nam territa casu
Cederet alituum passim quæ turba vagatur
Arentes inter segetes. pascentibus ergo
Insiste a tergo: nec te suscepta morantem
Tædia moliri quicquam properantius æquo
Acribus impellat stimulis: quin protinus omnem
Disce moram potius, quæcumque est, ferre (nec vlla
Longior esse tamen poterit mora) retia donec
Ingressæ angusto videant se carcere clausas.
Obseruabis item summo quem vespere campum
Insideant, somnoq; legant quæ castra petendo.
Vt, cum primùm altas induxit Luna tenebras,
Rustica nocturnus linquas tua limina villæ;
Quemque locum prima tenuerunt nocte, reuisas
Præportans faculam; tales quam factus ad vsus

Inclu-

Inclusam alueolus ferro, cretave tenaci
Gestat, & in mediis secreta cubilia campis
Detegit, ac dulces læta inter farra quietes
Alituum. non ille tamen, qui ponè profundat
Lucem, teq; ipsum, sociumq; expansa ferentem
Retia, fulgenti prodat pellucidus igne.
Quandoquidem densas volucres dum fortè per vmbras
Miratæ splendorem oculis hausere, neque vllum
Comminus ire vident, illic, vbi Sole sub vndas
Demerso placidæ se composuere quieti,
Stant immotæ omnes, claroq; à lumine nusquam
Declinant, flectuntq; aciem; tum tu ipse propinquos
Siste gradus: noctisq; comes, blandiq; laboris
Circumiens verso reti superobruat agmen.
Præterea, si te lætæ spectacula pugnæ
Vlla trahunt, sequiturq; animum iucunda voluptas,
Dum mores, astusq; acres miraris, & iras
Alituum; ac saltus ideò, desertaq; rura
Vrbe procul, cœtuq; hominum colis; & bona captas,
Quæcumque vmbriferæ præbent solatia syluæ:
Continuò instituenda tibi multa arte volucris,
Priuatimq; domi cultu educenda frequenti
In quoscumque dolos. nimirum vt retibus adstet
Assidens, aliasq; in cæca pericula voce
Alliciat: nam si fuerit mas, obuius exit
E grege, qui contra certet, pugnamq; lacessat.
Ille autem sensim ficta formidine gressum
Inde refert, donec riualem occluserit arctis
Cassibus, & pœnas dantem conspexerit acres.

Mox

*Mox redit, atque alios victor vocat. ilicet illi*
*Impulsi stimulis, atraq; libidine cæci*
*Accurrunt non vnà omnes. pudet agmine facto*
*Irruere, atque hostem non æquo inuadere marte.*
*Pro se quisque audax funesta in prælia fertur*
*Solus, & ingentem molem certaminis vnus*
*Suscipit, & laudem vana spe præcipit, ac se*
*Vltorem fore promittit: verum exitus idem*
*Quemque manet; repetitq; domum lætissimus auceps.*
*At verò tantas fuerit si fœmina fraudes*
*Docta tibi, maculasq; inter ponatur inanes,*
*Vt canat, & miserè tamquam captiua queratur,*
*Ipse salax voce audita dux agminis ibit*
*Impatiens, circùmque plagas errabit apertas.*
*Nec prius absistet, quàm rara in retia sese*
*Induerit, secumq; gregem male sanus amicum*
*Perdiderit: quamuis aliæ pertundere rostris*
*Affusæ captum soleant: quòd victus amore*
*Coniugis externæ, stimulisq; immanibus actus*
*Vitare occultas nesciuerit aucupis artes.*
*Idcirco quidam manibus crepitacula passis*
*Percutiunt, auium notos imitantia cantus:*
*Deceptosq; sono simulatæ vocis amantes*
*Retibus impediunt: alij multo ante tenaces*
*E setis (setas cauda ex vndante reuellunt,*
*Quæ sese ad talos, & crura extrema profundens*
*Acris equi, postrema pedum vestigia verrit)*
*Funiculos faciunt, atque ijs certo ordine multos*
*Intexunt laqueos nodis currentibus aptos.*

Quaq; adeò pedibus volucres incedere norunt
Per medias segetes, densæq; per auia syluæ,
Prætendunt, turpiq; absumunt morte vagantes.
Præterea latos quoties contendis in agros
Prædaturus aues, quarum Latona tuetur
Alma genus: seu sit regum gratissima mensis
Coturnix, magno quondam dilecta Tonanti:
Siue sit, inuentæ primum cui lamina serræ
Attulit exitium miseræ, male prouida perdix:
Ipse tibi aucupij catulus dux, ipse magister
Anteferat celeres gressus, passimq; pererret.
Cumq; adeò steterit campis immotus, & ore
Respiciens crebro caudam vibrarit: inanes
Rumpe moras omnes subitò, & caua retia pande:
Quæ tecum sublata manu comes vnus, & alter
Sustollant, raptimq; tegant volucresque, canemque.
Est etiam ille modus (Libycas dum pergit ad oras,
Et fugit Odrysiasq; niues, Scythicasq; pruinas,
Aruaq; Hyperboreo grus infœcunda sub axe)
Strymoniam visco volucrem captare tenaci.
Nam, quà se in latum spatiosa cucurbita ventrem
Spargit, & exili tollit fastigia collo,
Frangitur, inq; ipso rursum fit vulnere vulnus,
Angustum velut os, grauida quod viscera ab aluo
Euomat, & vento vacuam dimittat inani.
Inde linunt totam pingui circùm vnguine visci:
Et clausum exhausto volitantem in ventre relinquunt,
Perpetuis volitantem alis: cui cornea pennas
Crusta tegit tenues, corpus color inficit ater.
Quale

Quale solet medijs hebenus Mareotica syluis;
Cum deiecta solo cuneis rescinditur actis;
Artificumq; manu varios formatur in vsus.
Et modo sublimis curua in testudine templi
Stat simulacrum ingens populis, cultuq; perenni
Visitur, & denso circùm nigrore coruscat:
Et modo regales inter mensasque, dapesq;
Implet potantum dextram scyphus: & modo pendet
Baccatum è pulchræ rosea ceruice puellæ,
Discretumve auro, gemmave ardente monile.
Tale nitet, seu quadruplices expandat vtrinque
Ille alas, siue expansas compresserit, & se
Commendat fusco per compita læta colore;
Inclususq; intus rauco dat murmure bombos.
Tum verò accurrit properans Threissa volucris,
Ceruicemq; cauo, quam longa insertat, obesam
Captatura feram, cæco quæ mugit in antro:
Inq; Canopæo procerum glutine collum
Hæret, & inducto præcludit lumina visco.
Iam verò ruri vacuam si fortè per vmbram
Vsurpare oculis spectacula dulcia tendes,
Cum volat, inq; globum teretem se plurima versat
Nigra pedes, nigris velata monedula pennis:
Aera seu sturni densa impleuere caterua:
Ilicet è manibus raptim volet vnus, & alter;
Asperso filum visco qui ponè trahentes
Aeream repetant turbam, & se pluribus addant.
Namque illos medio redeuntes agmine læti
Dum fortè excipiunt alij, circùmque, supraque,

*Et nunc subter eunt, filo retinentur, & alas*
*Impliciti cœlum magnis stridoribus implent.*
*Nec mora: ceu summo demissus ab æthere turbo,*
*Infima præcipiti labuntur in arua ruina.*
*Quid? qui cornicem, si quam cepere, supinam*
*Exponunt agro in medio, quem durus arator*
*Proscidit, & solidas inuertit vomere glebas?*
*Namque ea dum queritur, vocesq; integrat amaras,*
*Accurrunt aliæ, & sortem execrantur acerbam;*
*Ac partim circumuolitant, partim eminus adstant,*
*Hortantes se tollat humo, celeresq; per auras*
*Auolet, & tristes terras festina relinquat.*
*Ac dum omnes clamant, dum se versantque, feruntque,*
*Est aliqua interdum, quæ sic miserata iacentem*
*Accedit propius: nodosq; vt rumpat iniquos,*
*Constrictam quibus esse videt, super insilit audax,*
*Nec sese vana pietatis imagine falli*
*Aspicit incautam: nam mox religata tenaci*
*Illius amplexu clamoribus omnia rumpit:*
*Et scelus incusans sociæ obluctatur, & omni*
*Qua pote vi tantos conata euadere casus*
*Poscit opem, & frustra volucres implorat amicas.*
*Nec tamen, hæc cum sint oculis gratissima nostris,*
*Oblectentq; animum, nullam tibi Palladis ales*
*Ferre voluptatem poterit, partemq; diei*
*Fallere: ni paruas pigeat spectare volucres*
*Certatim densis in sepibus insultantes,*
*Mirantes & noctis auem prodisse relictis*
*In lucem, Solemque, atque arua exculta tenebris.*
*Tu mo-*

*Tu modo permultas in tantam impellere fraudem,*
*Et virgis circùm occultis hærescere visco*
*Si cupis, & socijs captas apponere prædas*
*Alituum, villæ sub noctem in tecta reuersus:*
*Reijce marem. nusquam tales maris vsus ad astus*
*Aucupij: ac matri similem lege. fœmina namque*
*Commodius multo mira tibi seruiet arte.*
*Illa domi facilis victu educetur, & illa*
*Exuet agrestes animos, amitemque, globumq;*
*Insidens omni volucres a parte vocabit:*
*Dum saltu defertur humi, dum rursus in ipsa*
*Sede manens magnum iactat caput. & modò toto*
*Corpore contrahitur; modò collum extollit in auras.*
*Atque ita ludicros omnes agit æmula gestus.*
*Vt cum diuersas per scenam, & pulpita se se*
*Induit in facies, & turbam oblectat inanem*
*Ludius ille inter pagos, & compita doctus*
*Ad varios habitus animi componere vultum.*
*Nec nobis leniora dabit solatia bubo:*
*Infelix olim bubo mortalibus omen:*
*Nunc autem augurium Scythicis regale tyrannis,*
*Et galeæ, celsæq; ingens decus addita cristæ,*
*Virtutem inspirans animo, & præstantibus ausis.*
*Ergo illam nido detractam, intraq; penates*
*Eductam proprios, quoties libet, effer in agrum,*
*Quem sterilis platanus, seu frondens vlmus opacat:*
*Et ramis sub proceris in cespite summo*
*Expositam dimitte. aderunt huc protinus acli*
*Et picæ, & corui, & raucisonæ cornices;*

Et crimen pergent vetus exprobrare, quòd olim
Ipsa suo indicio natam Cererique, Iouiq;
Abstulerit, nigrisq; Erebi damnauerit vmbris.
Nec prius absistent circumuolitare pauentem,
Versantemq; caput, vultumq; informe mouentem
Huc illuc, quàm fessæ alta super arbore sidant:
Et visco implicitæ, & virgis, quas callidus vlmo
Addiderat, ramos interq; locauerat auceps,
Labantur, vitamq; graui sub verbere linquant.
Sed tibi præcipuè rectis stet consita sylua
Tramitibus, mollem longè quæ iactet odorem:
Quæq; adeò duram bacca turgente volucres
Inuitet sedare famem. sit plurima laurus
Scilicet, & dulces hederæ viridante corymbi:
Sit quæ fœcundos fundat labrusca racemos:
Nec non & Cereri, pariterq; accepta Dione
Myrtus; & haud vnquam cariem passura senectæ
Iuniperus: nimiumq; breui quæ flore iuuentæ est
Sambucus consueta frui: sit grata voraci
Ante omnes turdo plantæ syluestris oliua:
Et salices, semperq; graues, semperq; virentes
Lentisci, triplici solitæ grandescere fœtu:
Tum quæ purpureo fiunt matura colore
Arbuta, tum fuscis corna immiscenda ligustris,
Quiq; suum frutices duxere à sanguine nomen:
Quæq; ferunt planas viburna nigrantia fruges:
Et circùm suaues pergant inolescere ficus.
Hæc nullam prouisa tibi sine diuite præda
Autumnique, hyemisq; sinent discedere partem:
Seu

*Seu tu viscatis fraudes componere ramis,*
*Seu densos inter frutices, syluamq; virentem*
*Curraces laqueos, pedicas've intendere malis.*
*Ergo age, & è lino, tenui've è stamine Serum*
*Retia texe manu, maculis quæ densa minutis,*
*Et limbis, nodisq; sinus collecta fluentes*
*Tendantur, dirimantq; nemus transuersa, suisq;*
*Suspensa antemnis cunctas vtrinque volantes*
*Excipiant dum mane, iterum dum vespere cogis*
*Et voce & strepitu dulci discedere ab esca,*
*Inq; dolos cæcas spatijs incurrere apertis.*
*Hos casses, has ipsa plagas, hæc retia quondam*
*Ante alias omnes telam contexere docta*
*Inuenit, dixitq; suo de nomine Arachne.*
*Et nunc, si quis honos, siqua est ea gloria Lydæ*
*Virginis, immotum post longa obliuia rerum,*
*Post miseras hominum clades, tristesq; ruinas,*
*Nomen adhuc patria conseruat Hetruria lingua.*
*Si verò aucupium in turdos moliris edaces:*
*Atque ideo nemus vmbriferum, lucumq; virentem*
*Ipse tibi educis, leni tum vertice collis*
*Sat fuerit, si sylua nigra circumdata buxo,*
*Consitaq; ilicibus densis surrexerit, vnde*
*Aerias liber pateat prospectus in oras:*
*Quæ tamen haud spatiosa fluat, sed finibus inter-*
*Clausa suis ter centenas circùm ambiat vlnas.*
*Hic, vbi iam mediæ cedentem ab limine Libræ*
*Scorpius excepit Solem, sese occulit auceps*
*Frondibus, & ramis cum primùm frigida mane*

*Discutiens tenebras, venturaq; lumina pandens*
*Exoritur Venus, & terras illustrat opacas:*
*Atque hinc alituum voces imitatus amicas*
*Sibilat, &, caueis quas ante inclusit opertis,*
*Inuitat lenes effundere pectore voces,*
*Et tempestiuum garrire, ac flectere cantum.*
*Quas inter tibi si quis erit, qui stridere acutum*
*Turdus amet, hunc tu cerebro compescere fracto*
*Ne dubita. iubet iste alios discedere longè*
*Proditor, & tutas cursum contendere ad oras.*
*Illum autem lautè baccis nutritor & vuis,*
*Quemcumque esse vides, dulci qui gutture carmen*
*Et modulatur, & inspecta semel alite castæ*
*Palladis insultans strepit, atque allectat euntes*
*Immensum per iter cæli, & sublime volantes,*
*Scrutantesq; nouas oculis atque auribus escas.*
*Ergo auidæ, cæcæq; ruunt, & ab æthere summo*
*Præcipites quocumque ciet vox cognita, raptim*
*Demittunt sese, & patula super ilice sidunt:*
*Ilice; quæ virgis ramos obsessa recisis*
*Implicat incautas lento medicamine, & altè*
*Corporibus captarum auium sternit sola terræ*
*Ac iuuenem immenso prædę iam ditat aceruo,*
*Iam beat elatum studio, rebusq; secundis.*
*Inde igitur, quamcumque dedit rex ætheris alti,*
*Dulcia producens inter solatia vitam,*
*Abijcit ex animo curas, totumq; quieti*
*Se tradit, mentemve vno inflammatus amore*
*Pieridum, studijs indulget amabilis otij.*

*Atque ita syluestres Dryadas, Faunosq; bicornes*
*In prædam, partemq; vocat: vel supplice cantu*
*Ad dulce aucupium surdam vocat vrbe puellam.*
*Huc ades ò mihi cara, potes si fortè superbas*
*Temnere opes, & picta tui laquearia tecti,*
*Auratasq; trabes, Parioq; è marmore sedes.*
*Huc ades ò mea Chlori, oculis mihi carior ipsis,*
*Chlori meæ mihi vel dulci prælata iuuentæ,*
*Et fortunatis vitæ iucundior horis,*
*Huc ades, & quamuis nulla hic palatia, nullas*
*Regales mensas, nullas miraberis ædes*
*Ingentes, nulla æra suis suffulta columnis,*
*Non signa, & viuos imitantia marmora vultus.*
*Non spatia, & Circos, non & splendentia multo*
*Auroque, electroque, argento, atque elephanto*
*Atria, & obscuræ tenebras vincentia noctis:*
*At spectare lacus dabitur, fluuiosq; perennes,*
*Lætaq; non iisdem vestiri frugibus arua:*
*At vesci innocuis inter conuiuia pomis:*
*Et Pana, & Nymphas humili coluisse sacello:*
*Et nunc primitias segetum, nunc pinguibus agnis*
*Pacasse, & varia frontem vinxisse corollas;*
*Tum mites legisse vuas, rubicundaq; fraga,*
*Et dulces cerasos, atque autumnalia pruna*
*Fas erit: atque epulas inter sine fraude paratas*
*Versari, lymphaq; sitim sedare recenti,*
*Nare amnem egelidum, molli requiescere in vmbra:*
*Egressamq; domo sub lucem ad tecta reuerti,*
*Cum tenebris agros serus iam vesper opacat,*

Cum villam repetit pastor, tenerasq; capellas,
Balantes & oues stabula ad vicina reducit,
Et gratum dulci carmen modulatur auena.
Huc ades ò mea Chlori, tibi nemus omne virescet,
Lenè fluent amnes, viuo liquidissima fonte
Ibit aqua, & somnos suadebit inire susurro
Murmur ad irriguum labentis ab aggere riui.
Hic tibi cum vili nusquam commercia vulgo
(Si quicquam mihi credis) erunt: hic puriter æuum
Degere, tranquillamq; per otia ducere vitam,
Otia perpetuam semper comitantia pacem.
Hìc me etiam poteris (si qua est ea cura) canentem
Audire, & manibus numquam interitura parantem
Serta tibi, quæ posteritas miretur, ametque.
Nec certè non ante meum dignatus Apollo est
Carmen, & Aoniæ per deuia rura sorores:
Cum genera, & formas canerem, moresq; ferarum,
Et quo quæque modo, quaq; exciperetur ab arte,
Magnum opus, &, flauens dum se Tyberinus in vndas
Inferet æquoreas, Tyrrhenaq; littora findet,
Erga te, & genus omne tuum (si viuere fama
Aeternùm, & seclis celebrem superesse futuris,
Si quicquam post mille annos ad sidera ferri
Laudibus, & passim claris addi Heroinis,
Esse putas) nostri monimentum & pignus amoris.

MA-

# MARII COLVMNAE CARMEN AD PETRVM ANGELIVM BARGAEVM.



*Magnorum thalamum heroum, dulcesq; hymenæos.*
*Tusce Maro, æterno dum scribis carmine, Floræ*
*Gaudia felicis crescunt præsentia, quantum*
*Troiæ Mæonio crueerunt funera cantu.*

# PETRI ANGELII BARGAEI EPITHALAMIVM IN NVPTIAS FRANCISCI MEDICIS

*Magni principis Hetruriæ,*

## ET IOANNAE AVSTRIACAE

Reginæ Sereniſs. Ferdinandi F. Imperatoris.





*V AM precibus votisq; Deum perſæpe rogarat*
*Gens Hetruſca, dies aderat lætiſſima, qua ſe*
*Finibus è patrijs Tyrrhenam inferret in vrbem*
*Ingreſſura viri ſedes, thalamumq; iugalem*
IOANNA *Auſtriadas inter pulcherrima natas,*
*Cum Venus, albarum curru deuecta volucrum,*

*Idxi*

Idæi fontis latices, vrnamq; petebat
Fundentem largos sinuoso flumine rores.
Ipsa suos quibus & laueret spectanda capillos,
Et lympha niueos felici spargeret artus.
Scilicet (hospitio nam paulo acceperat ante
Læta Iouem, & media venientem in sede locarat)
Ibat, vt innumeros natiuæ frontis honores,
Nec non & puræ decus inuiolabile formæ,
Et crines, nullisq; genas medicata venenis
Ostentaret ouans, roseoq; occurreret ore
Visenti Idalium patri, & iuga grata tenenti.
Ergo ea, cum primum puro se flumine lauit,
Et circumfusis corpus demersit in vndis,
Vtraque Tyrrhenis defixit lumina terris:
Et læta, accipiens medio de vertice olympi
Vocesque, plaususque, & festæ gaudia lucis;
Aligeros ad se cunctos accersit Amores
Atque ait. O generosa phalanx, cui lucidus æther
Ridet, & æterno labentia sidera motu
Dulce canunt, choreasq; vnà certo ordine ducunt;
Cui mare fluctiuagum paret, cui Dædala tellus
Fundit odoratos nonnullo semine flores.
Si quando dulci mortalia pectora flamma,
Et cæco rigidas hausistis vulnere mentes,
Nunc certè, o vestræ dulcissima pignora matris.
Tempus adest, cum coniectis in corda sagittis
Heroum, læto quoscumque alit vbere tellus
Itala, & excultis nutrit Germania campis,
In cælum laudesq; meas, nomenq; feratis.

Tem-

Tempus adest. vos ite leues. ego protinus hinc me
Abripiens epulis adero: mensisq; paratis
Pocula Acidalio ponam spumantia succo.
Hæc Venus. & contra est placido sic ore locutus
Filius, inuictum soli cui cura Tonantem
Vrere, & in varias rerum conuertere formas,
Taurumque, pluuiumq; aurum, cycnumq; canorum.
O mater, totum impendi multo ante laborem
Hunc tibi, perpetuumq; decus, laudemq; paraui
Egregiam, & magnum ventura in secula nomen:
Dum iuuenem clara Tuscorum ab origine regum
Obseruans, sequor assidue: siue ille pererrat
Ausoniæ regna alta suæ: siue ille per vndas
Aequoris euectus celeri rate fertur ad oras
Hesperias: latis vbi sese Hispania campis
Explicat: & centum præstanti corpore nymphas,
Centum habet egregia natas à stirpe puellas,
Et forma, atque animis ingentibus heroinas:
Diuitijs omnes, omnes & sanguine claras.
Quarum in nulla animum (dictu mirabile) quiui
Flectere, nec duros longa assuetudine sensus
Mollire, ac sæuam paulatim frangere mentem;
Et blandum iuueni tandem perfundere amorem.
Et fateor, mea magna parens, rediisse pudebat
In Tuscos, frustraq; meas consumpse sagittas:
Nec iuuisse acri quicquam, quòd tincta veneno
Tela manu iacerem, flammisq; ardentibus aptas
Multarum ex oculis in corda rigentia tedas:
Quãquam illũ innumeræ, quarũ celeberrima forma est,

*Et genus illustre, expeterent noctesq́; diesq́;*
*Certatim concorde tori sibi fœdere iungi.*
*Ergo vbi conatus frustra cecidere, nec vsquam*
*Omnia tentanti mihi vis ita cessit, vt illa*
*Victor ego è pugna victricia signa referrem:*
*Confugi ignotas (quid enim superesset?) ad artes,*
*Insolitosq́; dolos, quaeq́; ipsa fatebere mater*
*Consilia haud sæpe euentus habuisse secundos.*
*Vrbs erat hibernis celebris stationibus inter*
*Oppida iucundo regum delecta recessu:*
*Haud procul auratis populos vbi ditat arenis,*
*Et vitreas secum defert Tagus impiger vndas,*
*Vix dum etiam riuis, & primis amnibus auctus.*
*Hic vrbe in media consurgit ad astra columnis*
*Innumeris suffulta domus, trabibusq́; superbis*
*Tecta, & marmoreo consistunt limine postes*
*Aerati, atque Indis spectanda sedilia baccis:*
*Et multo in primis laquearia flaua metallo.*
*Centum intus thalami, centumq́; tapetibus aureis*
*Strata pauimenta, & gemmis distincta coruscis*
*Hinc illinc latè splendent, ceu lumina Solis,*
*Aut Lunæ, liquidus nullis cum nubibus aer*
*Densatur, sudumq́; oculis patet vndique cælum.*
*Ast vbi consuerunt epulæ seu mane parari*
*Tunc, cum Sole nouo terræ lustrantur apertæ:*
*Vespere seu sero cum iam vaga sidera fulgent,*
*Et passim è cælo densæ incubuere tenebræ,*
*In quadrum spatiosa fluit sublimior aula.*
*Quam circùm Pario ducti de marmore vultus,*

*Austriadum effigies viuas imitantia signa*
*Adstant, & pueri simul, innuptæq; puellæ.*
*Quarum vni, quæ visa mihi pulcherrima forma est,*
*Bis septem vix nata annos, occultus ocellos*
*Insedi, laqueosq; illic, & vincla paraui.*
*Et Medicem simulacra animum per cuncta ferentem,*
*Mirantem genus egregium, formasq; decoras,*
*Implicui, magnoq; reclusi vulnere pectus.*
*Arsit amans nondum perspecta virgine, & vnà*
*Suspirans, dulcemq; trahens è corde querelam,*
*O felicem (inquit) iuuenem, cui nupta marito*
*Ipsa tui similem certo pòst tempore prolem*
*Ediderit, animi quæ iam virtute paternis*
*Certet auis, atauisq; suis: nec plura locutus*
*Conticuit, totusq; hæsit defixus in vno*
*Obtutu, dum se ipse nequit explere tuendo.*
*Nam quid agat? neq; enim quidquã superesse videbat,*
*Expressa cupidos quàm pascere imagine sensus,*
*Et specie ignotæ sese oblectare puellæ.*
*Tot montes, vallesq; cauæ, tot flumina, tantum*
*Terrarumque, marisq; æquor prohibebat amantem,*
*Quo minus & veras voces audiret, & idem*
*Redderet; inq; ipsis sua sisteret ipsa puellæ*
*Lumina luminibus, neque ab oribus ora moueret.*
*Ergo insperato mentem iam saucius ictu*
*Ibat, & occulto consumebatur ab igne:*
*Inq; dies magis atque magis graue vulnus alebat:*
*Dum facies simulata animo, dum nomina gentis,*
*Factaque, & innumeri simul obuersantur honores*

Virginis Austriacæ: cui nec domus vlla, nec ætas
Progenuit similem virtute, & corpore formam.
Quin etiam patrias illinc reuocatus ad oras,
Non modo susceptam non vmquam è pectore curam
Deponit: verum multo magis acribus vsque
Vrgetur stimulis, & corde incendia voluit,
Illa quidem clara iam se prodentia flamma.
Namque vt fortè suo narrat loca visa parenti,
Oppidaque, & gentes vnà describit Iberas,
Immensas & opes, atque alta palatia regum,
Natarumq; addit viuos è marmore vultus
Austriadum, & meritos lætus percenset honores:
Constitit, ac vocem medio in sermone repressit.
Ipsaq; purpureus sparsit pudor ora, genasque.
Quale rubet cælum, cæcæ cum mane tenebræ
Discessere omnes, nec dum tamen auricomus Sol
Flammiferum nostro veniens iubar extulit orbi.
At pater indicia hæc, atque argumenta secutus,
Flagrantem magno iuuenem persensit amore:
Lætaq; magnanimo concepit gaudia corde.
Aduenisse diem, cuperet cum filius vltrò
Connubio, & teda sese vincire iugali:
Post illà innumeris vnde ipse nepotibus auctus
Imperiumque, domumq; omnem florere videret.
Ergo ait. o generosa mei mea dulcis imago
Ne dubita, nam vera loquor. confecimus ipsi
Ante tibi, quæcumque cupis: socerumq; cubilis
Legimus, æternos tecum quæ transigat annos.
Hoc gemini, quorum fortis Germania, quorum

 Auso-

Ausonia, atque audax obseruat Iberia nutus,
Annuerunt fratres: & certo pignore certas
Iunximus vnanimes ipsa hæc in fœdera dextras.
Nunc autem, te si quis amor, te si qua videndæ
(Cura tuæ (namque ipsa tua est pulcherrima virgo)
Coniugis impellit stimulis ardentibus actum,
Germanorum oras, & Norica regna petendum est.
Vade, age, care puer, teq; haud mora longa retardet,
Quo minus alipedum cursu delatus equorum
Saxa super, gelidasq; alpes, & lata feraris
Flumina, quo citius speratæ ad virginis ora
Peruenias, fratremq; adeas: qui maximus vnus
Inter magnanimos nunc imperat Europæos.
Carpe viam. neque tu lentus tua gaudia differ
In longum. solet esse leuis labor omnis amanti.
Hæc ille. At iuuenis iamdudum accensus amore,
Rumpendiq; moras, studioq; impulsus eundi,
Quàmprimum magni peragit præcepta parentis.
Atque vnà ingenti procerum comitante caterua,
Quos Tiberis, Latiumq; potens, quos Tuscia, quosque
Cænomani, quos & Ligures, quos Gallia misit,
Lætus abit, volucremq; fuga præuertitur auram.
Non illum glacialis hyems remoratur euntem:
Non imbres, densæq; niues, non amnibus aucta
Flumina ab innumeris, Athesisque, Padusq; profundo
Vortice: non ripas Scythiæ qui dissecat altas:
Oraq; diffusus per septem erumpit in æquor
Ister, & Euxino regnat vetus incola Ponto.
O quoties sternacis equi per deuia saxa,

Per iuga, per cliuos, per præcipites conualles
Terga fatigantem, & duris calcaribus armos
Frangentem hinc illinc, rumpentemq; ora lupatis,
Viderunt Nymphæ, & felix iter ire precatæ
Arserunt tenues flamma rapiente medullas.
Nec prius inceptos potuit finire labores,
Coniugis ante suæ lætus quàm constitit ora.
Hic ego multiplices iuueni comes vnus honores
Afflaram, inq; oculis arcumque, ignemq; pararam:
Vt, si quà sineret series ignota futuri,
Armatam patria pectus virtute puellam,
Inq; Deum cultu, atque omni pietate potentem
Captarem, & cura torrerem ardente medullas.
Ergo illa, vt primum venientem aspexit, ab imo
Suspirans, auido tenuem bibit ore fauillam;
Et tota in viuas abijt lætissima flammas.
Mox, vbi conuenere vnà, & data copia fandi est,
Sola illum alloquitur, soli iam pendet ab ore,
Iam se nulla potest oculis explere tuendo.
Ast ego, namque ambos pariter flagrare videbam,
Alterum ab alterius perculsum pectus amore,
Discessi, o mater, properè, cælumq; petiui:
Vt tibi, dum Medices patrijs è finibus heros
IOANNAM in Tuscos felix expectat euntem,
Narrarem, quantos terraque, mariq; labores
Pertulerim, quantumq; meis accesserit actis
Inde decus: tum quæ te laus, nomenq; sequatur:
Nec non, vt reliquos mecum longo agmine fratres
Elicerem, cunctiq; vnà peteremus Hetruscos:

Et

*Et tua permultis ornarem regna trophæis.*
*Hæc effatus Amor finem dedit ore loquendi.*
*At pueri, quorum densum conuenerat agmen,*
*Iamdudum rapuere faces; rapuere sagittas,*
*Vinculaque, & laqueos, solidoq; adamante catenas:*
*Atq; hinc, atq; illinc fratri agglomerantur ouantes:*
*Seq; ad Tyrrhenam cuncti demittere pergunt*
*Vrbem animis, opibusq; virùm, imperioq; potentem,*
*Et Diuùm auspicio, & tedis regalibus auctam.*
*Effulsere ignes subitò, & lux maior oborta est.*
*Purior & solito circùm resplenduit aer.*
*Namque illi effusa complerunt omnia turba*
*Desuper, atque auidas alta in præcordia vulgi*
*Lampadas, & dulci iecerunt tincta liquore*
*Tela Citheriaco. mox & fragrantia latè*
*Lilia, Pæstanis nuper selecta viretis,*
*Purpureasq; rosas, immortalesq; amaranthos,*
*Omnia quæ secum extulerant, gremiumque, sinusq;*
*Repleti, in faciem labentis ab aere nimbi*
*Sparsere, & gyros passim, cantusq; dedere.*
*Interea casti genitrix pulcherrima Amoris*
*Surgit, & Aonios sua sub iuga cogit olores,*
*Et currum læta ascendit: seq; æthere ab alto*
*Demittens, Phœbo & Musis loca sacra petiuit:*
*Accessu loca difficili, munitaq; circùm*
*Rupibus, & cunctis mortalibus inuia, præter*
*Quas Citherea Venus, Musæque, & Phœbus amarunt.*
*Hic nemora in cælum latè frondentia surgunt,*
*Atque huc, atque illuc ramis spatiantur apertis:*

Quæ cariem numquam, numquam perpessa senectam
Degunt perpetuos horis labentibus annos.
Hic fructus non vlla suos non arbor odoros
Parturit, æternos syluæ immortalitatis honores.
Quos neque flammatis torrens feruoribus æstas,
Nec gelidi Boreæ penetrabile frigus adurit.
Hic tepidas semper Zephyris afflantibus auras
Palladiæ numquam baccæ, numquam aurea desunt
Mala, nec effracto turgentia cortice poma
Punica: & apricis pendentes vndique vites
Arboribus: quarum partim maturuit vua
Tota coloratos ostentans Sole racemos:
Partim autem vix dum nascens defloruit, & se
Abdit pampineam frondosæ matris in vmbram:
Nec prodire palàm teneras in luminis oras
Audet adhuc: alijs viuos fundentibus amnes
Implentur dulci spumantia labra liquore.
Nectare quo nullum gens interitura per æuum
Diuorum ad mensas cœlestia pocula miscet.
Parte alia platanos inter, laurosq; comantes
Lene fluunt alti per prata virentia fontes:
Quos circùm, supraq; volant longo ordine cycni.
Ac ripæ assuetæ volucres, & fluminis alueo
Doctiloquum suaui modulantur gutture carmen.
Ergo Ile verticibus cœli delapsa sereni
Se se huc demisit, currumq; inuexit apertum.
Incessere vnà secum risusque, iocique,
Gaudiaque, & dulces rixæ, & sine fraude susurri:
Et Charitum chorus, & certa sub lege lepores.

Tum

*Tum verò latè nubes discedere, & aer,*
*Ipsa suam quacumque viam perrexerat, altum*
*Sternere iter: spirare auræ, ac ponere venti.*
*Iamq; adeo sedesq; pias, & amœna vireta,*
*Parnassi iuga summa biuerticis, antraq; cœtu*
*Nympharum, Satyrumq; choris celebrata tenebat.*
*Arrisere illi syluæque, vndæq; perennes,*
*Inq; sacros nemorum Nymphæ excepere recessus.*
*Tum Venus. O patris ætherei Iouis inclyta proles,*
*Et Diuùm decus, & cœli omniparentis alumnæ,*
*Quæ quondam curasq; graues, durosq; labores*
*Lenire, & tristes animos mulcere soletis:*
*Quæque adeò laudes, præclaraq; facta canendo*
*Aeternùm gratæ memori committitis æuo.*
*Non (equidem reor) ad vestras modò peruenit aures*
*Fama, vt magnanimos Medicùm gens inter Hetruscos*
*Nobilitate potens, opibusq; insignis auitis*
*Iunxerit inuictos certo sibi fœdere reges*
*Jamdudum, & natos illorum à stirpe crearit.*
*Hoc Arar, audaces placido qui flumine Celtas*
*Dissecat: hoc duræ nouit regnator Iberus*
*Cantabriæ: Latijq; potens Tiberinus, & ipse*
*Ticinus: qui perspicua pulcherrimus vnda*
*Labitur, & culti ripas disterminat agri,*
*Insubrumq; caput magnam circumfluit vrbem.*
*Hoc etiam Eridanusq; rapax testatur, & ingens*
*Danubius: qui nunc patrijs dimisit ab oris*
*Egregium Austriadas inter decus heroinas*
*Ioannam, auspicio iungendam, atque omine dextro*
*Re-*

Regnanti in Tuscis iuueni, & pro patre tenenti
Imperium, sceptrique ingens onus usque leuanti.
Coniugium felix, placido cui Iupiter ore
Mecum unà innumeram ventura in secula prolem
Annuerit. cuius magnis virtutibus Arnus
Crescet agens liquidas maiori flumine lymphas.
Ergo agite ò cœli Nymphæ decus, ite sorores,
Ite citæ, mecumq; viam contendite ad vrbem
Tyrrhenam: neque enim vobis locus esse solebat
Gratior, & Phœbi gens obseruantior: & quæ,
Ipsa ego si recte recolo iam lapsa retrorsum
Secula, tantundem vestros òrnarit alumnos.
Sic illa. Aonidum sed enim pia turba sororum
Sic contra est affata. Tuis Venus aurea iussis
Obsequimur, cunctæq; tibi paremus eunti.
Ac tecum Hetruscos, dulcemq; reuisimus Arnum,
Carminibus celebrem nostris, magnumq; fluentem:
Ac iam vix Tiberi, vix iam Permessidos vndis
Cedentem primas, seq; ijs conferre parantem.
Hæc vbi dicta, leuem rapuere per aera gressum,
Et mensis, quas & niueis mantilibus omnes,
Et dape constructas regaliter, vndique magni
Cingebant pulchris flectentes sedibus artus
Heroes, lectæq; ex omnibus heroinæ,
Adstiterunt lætæ: atque inter se alterna canentes,
Talia clarisona fuderunt carmina voce.
O decus, o columen, Tuscæ spesq; altera gentis
Francisce, Austriaci cui nunc iunxere secundis
Auspicijs gemini terrarum lumina reges,
Ter-

*Terrarum reges gemini iunxere sororem:*
*Salue ò magnanimi proles generosa parentis.*
*Et tecum innumeros coniux tua transigat annos.*
*Voluite constantes vaga sidera voluite cursus.*
*Tu quoque magnorum fortunatissima regum*
*Progenies: fratrumq; soror, quorum alter Iberis*
*Imperat, atque Italùm certas moderatur habenas,*
*Ammericemq; domat toto procul orbe reuulsam,*
*Ignotamq; diu mortalibus: Alter ad Arcton*
*Quà patet, & latos profert Germania fines,*
*Sceptra gerit, populisq; ad se dat iura vocatis,*
*Imperiumq; ingens omnis regit arbiter orbis:*
*Sis felix, coniuxq; tuus tibi deditus vni*
*Tecum vnà in longa degens ætate senescat.*
*Voluite constantes vaga sidera voluite cursus.*
*Illum olim placido prospexit Iupiter ore*
*Nascentem, & Venus est risu dignata sereno:*
*Cui dulces thalamos iuueni desponderit, & cui*
*Regalis Nymphæ mentem inflammarit amore.*
*Qualem adeò Nympham, quales modo nactus amores,*
*Tyrrhenæ ò robur, flos ò* FRANCISCE *iuuentæ,*
*Gratus amor Nymphæ, Diuùm gratissima cura es.*
*Voluite constantes vaga sidera voluite cursus.*
*Illam olim gremio blandi excepere parentes:*
*Quam gressu vnanimi Charites comitantur euntem:*
*Qua cum se dulces confert Hymenæus ad ædes:*
*Cuius non lites thalamus, non iurgia lectus*
*Pertulit: at potius venientes maior in annos*
*Creuit amor thalami, creuit concordia lecti.*

*Qualis habet nunc vos ambos bonus ardor amantes.*
*Voluite constantes vaga sidera voluite cursus.*
*Felix o tanto virgo coniuncta marito.*
*O felix tantæ iuuenis coniuncte puellæ.*
*Vos ne Ducum, & gnauæ mater Germania pubis,*
*Vos ne potens belli, pacisq; Hispania legit,*
*Queis tantum decoris, queis tantum afferret honoris?*
*Voluite constantes vaga sidera voluite cursus.*
*Vt iubar Oceani cum lætum ex æquore vultum*
*Sustulit, & toto radios diffudit olympo,*
*Si se se fortè æthereus comes addidit ignis,*
*Aethereus Iouis ignis, & ore affulsit honesto,*
*Incedit rutilans, tenebrasque, & nubila vincit.*
*Sic iuuenis, pulchræ medio cui flore iuuentæ*
*It comes, & teda virgo sociata iugali est.*
*Voluite constantes vaga sidera voluite cursus.*
*Vt cum discussis cælo è fulgente tenebris,*
*Ostentat croceos coniux Tithonia crines,*
*Et faciem claro spectandam in lumine præbet,*
*Optatamq; diu lucem mortalibus affert:*
*Sic virgo, cum læta domum, patriosq; penates*
*Linquit, & in cari thalamos ingressa mariti est,*
*Ostentat decus ipsa suæ inuiolabile formæ,*
*Et iucunda viri pertentant gaudia mentem.*
*Voluite constantes vaga sidera voluite cursus.*
*Quale suum gelidæ post tristia tempora brumæ*
*Extulit os aucto iamdudum lumine Apollo:*
*Quale intempesta Phœbe nitet aurea nocte:*
*Aut cum purpureum rediit Ver: lilia circum*

Alba caput, mollesq́ꝫ rosas cui texere Nymphæ,
Et varijs pergunt distinguere tempora sertis:
Tale nitet iuuenis primæ pòst acta iuuentæ
Tempora, post solas dulci sine coniuge noctes,
Cum patrias cupidus primum deduxit ad ædes
Florentem forma, florentem ætate puellam.
Voluite constantes vaga sidera voluite cursus.
En tibi, quæ cælo Nymphæ deducimus ortum,
Parnassiq́ꝫ vnà colimus iuga summa sorores,
Fæcundam, & nullo morituram tempore laurum
Ponimus irriguas Permessi ad fluminis vndas.
Vt ripa in media, passim quà læta virescunt
Arbusta, & crebræ surgunt ad sidera plantæ,
Ex se se innumeros edat bene culta nepotes:
Et latè fundens ramos totum occupet amnem.
Voluite constantes vaga sidera voluite cursus.
Salue igitur virgo Austriadum pulcherrima, salue
Grande tuis iuuenis Princeps decus addite Tuscis.
Vobis progeniem, veteri ceu sanguine claram,
Sic testem laudis, testem virtutis auitæ
Det Deus, optati quæ pignus amabile lecti
Crescat, & amborum seræ post acta senectæ
Producat longæ felicia tempora vitæ.
Voluite constantes vaga sidera voluite cursus.
Ipsa etiam, stimulis quæ pectora versat amantum,
Curarum expertes iubeat procedere noctes:
Mutuus extremos comitetur vt ardor in annos
Semper: & alterius magno flagret alter amore:
Idem animus sit vtrique: eadem sit vtrique voluntas.

*Nec vestrum inter vos quid sit discordia norit*
*Alteruter: sed lite torus sine sentiat ambos*
*Degere perpetuam nota inter gaudia vitam.*
*Voluite constantes vaga sidera voluite cursus.*
*Ipse etiam Diuûm genitor, quas vndique dites*
*In vestros effudit auos, effusior in vos*
*Pergat opes opibus largè cumulare vetustas.*
*Imperiumq; ingens, quod iam percellere nulla*
*Vis queat, immotum ventura in secula firmet:*
*Et prolem egregiam longum propaget in æuum.*
*Voluite constantes vaga sidera voluite cursus.*
*Hæc Musæ. At varium cepit Venus aurea cestum,*
*Quo stabiles olim mentes deuincit amantum:*
*Atque illo iuuenemq; vnà, claramq; puellam*
*Iunxit: & ex æquo teneras vtriusque medullas*
*Accendens, blandos animis perfudit amores.*

FINIS.

# PETRI ANGELII BARGAEI
## ECLOGA PRIMA
## DAMON
### AD LAELIVM TORELLIVM.

# PETRI ANGELII BARGAEI ECLOGA PRIMA: DAMON.

## AD LAELIVM TORELLIVM.



*FLAGRARAT magno quondam Damonis amore*
*Chloris Hamadryadum non vltima: quam pater Aegon*
*Doctus arundinea modulari carmen auena*
*Erudijt, multaq; insignem reddidit arte:*
*Seu cantu certare velit, pedibusq; choreas*
*Plaudere: seu celeri Nymphas præuertere cursu:*
*Letaliq; procul iaculo transfigere capras,*
*Imbelles capras, summis dum rupibus hærent:*
*Aut sese ex alto reuolutæ in cornua librant.*
*Flagrabat Chloris: tristesq; miserrima curas*

*Leni-*

*Lenibat mœstis animum solata querelis.*
*En mihi contemptiq; arcus, spretaq; pharetræ*
*Ante pedes, dum me ipse fugis pulcherrime Damon:*
*Deflentemq; tuo numquam dignatus amore*
*Et nemorum latebras, & inhospita lustra ferarum*
*Me sine solus obis: & in acres irruis vrsos,*
*Aggrederisq; apros: ah, te ne vulnere lædant,*
*Ah, tibi ne validæ frangantur dentibus hastæ:*
*Certè ego fida comes, nec tanti ignara pericli*
*Hærerem lateri: atque illatos comminus ictus*
*Acciperem, gremioq; tuo exanimata iacerem.*
*O, mihi contingat prædulci occumbere leto,*
*Optato leto, quo nec felicius vllum*
*Esse genus possit vitæ. tum denique Damon,*
*Et mea magna fides, & amor tibi cognitus imo*
*Tristia nonnumquam eliceret suspiria corde.*
*Forsan & extinctam tecum miseratus amantem*
*Extrueres mœstum summa sub rupe sepulchrum,*
*Inuida prætoriens quà quondam filia Mopsi,*
*Inscriptum legeret vicino in cortice carmen.*
*Haud tota interÿ Chloris: nam maxima nostri*
*Semper erit pars, incolumi Damone, superstes.*
*Sed quid ego, heu miseræ mihi ludicra somnia fingo?*
*Somnia, quæ tenues venti dilapsa per auras*
*Dispergunt. illum frustra optauere puellæ*
*Naiades, Ausoniis quamuis è regibus ortæ:*
*Non Dryope, non læta Thoe, non candida Protho,*
*Non & Callirhoë Tyberi genitore superba,*
*Non Ephyre, atque Opis soror, Eridanitides ambæ,*

Ambæ auro, & pecudum præstanti vellere dites.
Sed mihi quid prosunt hæc omnia? perditus ille,
Ille puer, nostros toto qui pectore sensus
Abstulit, & cæco patefecit vulnere venas,
Insidet assiduè cordi: nec talia curat
Sæuus amor, magnos in me dum suscitat ignes.
Quamquam, ò: sed Nymphas nobis licet heroinas
Prætuleris: etiamne tuo prohibebis amore
Crudelis Damon? etiamne arcere parabis,
Quo minus in syluas vestigia nota sequamur?
Certè ego, cùm libuit nostras deducere in oras
Auribus ignotos Latijs numerosque, pedesque,
Sæpe tuas lyrico percurri pectine laudes.
Tum docui quibus insidijs, quibus artibus olim
Decipias acresq; feras, pictasq; volucres,
Quoq; modo informes medijs in vallibus vrsos
Ipse queas solus prosternere tutus, aprosque.
Nec me carminibus Phyllis, nec blandior Aegle
Aequiparat: quamuis tenues inflare cicutas
Docta Aegle: quamuis celebris per compita Phyllis
Agrestem querula moduletur arundine musam.
Inuidus (& memini) cùm me tua facta canentem
Eridani ad ripas sæpe audiuisset Amyntas,
Agrorum quondam, & pecudum prædiues Amyntas,
Pinguia cui gelidi parebant pascua Sarni,
Inarimeq; ferax, latisq; Insubria campis,
O, mea si tali celebres decora inclyta cantu
Nympha (inquit) comites inter non vltima nostras
Ipsa eris, & Beroë cedet tibi, Phyllodoceque.

Ipse

*Ipſe tui ſedenim iam tum me ceperat ardor,*
*Jam tum flamma vorax penetrarat ad vſq; medullas,*
*Intonſis vt ſola meos teſtarer amores*
*Montibus, & teneris incidere ſalce iuuaret*
*Arboribus laudesq; tuas, tua nomina Damon.*
*Quin ego cum calathis olim tibi lilia plenis,*
*Purpureasq; roſas, immortalesq; amaranthos,*
*Narciſſumque, crocũque, & ſuaue rubentẽ hyacinthũ,*
*Horrida dum ſæuis Aquilonibus arua rigerent,*
*Auſa offerre tuum veniſſem credula ad antrum,*
*Sic perij, ſic ipſa meo de pectore ceſſi,*
*Hæſerit vt medijs vox faucibus: & , mihi quæ iam*
*Ipſa diu mecum verſans blandiſſima noram,*
*Immemori exciderint toto de pectore verba.*
*Sed vos, ò Dryades, blandiſſima turba, ſorores,*
*Delete ò Dryades, quæcumque notauimus altè*
*Carmina corticibus, noſtros delete furores.*
*Forſan & vnà illum memori de mente fugabo.*
*Hæc ſimul ætherias Chloris iactauit ad auras*
*Oblita infelix ſeræ decedere nocti:*
*Accurrere piæ non vna è valle Napaeæ:*
*Et ſecum mœſtæ duxere in tecta dolentem.*

# GLYCE ECLOGA II.

## AD BACCIVM VALORIVM.

*EXTVLERAT medio iam se nox frigida cælo;*
*Lætaq; fæcundo ſpargebat gramina rore:*
*Cùm ſua formoſæ perculſus amore puellæ*
*Limina deſeruit Lycidas venator, & illa,*
*Illa, imo quæ corde prius celauerat, altis*
*Montibus, & cæcis detexit vulnera ſyluis.*
*Tu verò, tu, cuius amor mihi creſcit in horas*
*Valori, & noſtro ſolus iam pectore regnat:*
*Ceu quondam arentes ſtipulas cùm corripit ignis,*
*Exiguus ſerpit primùm, mox clarus ad auras*
*Effert ſe victor, lateq; incendia miſcet:*
*Accipe, & hæc Lycidam mecum miſerare dolentem.*
*Hos, ò, qui luctus referat tibi ſomnus ad aures*
*Sæua Glyce, meq; ante tuos nunc ſiſtat ocellos,*
*Horrida flebilibus rumpentem ſaxa querelis?*
*Certè ipſam diræ non te peperere leænæ,*
*Non tibi præbuerunt immites vbera tigres,*
*Vbera, quæ ſæuos accendant pectore ſenſus.*
*Quin ego, te quoties venientem lætus ad antrum*
*Ipſe meum vidi: noſtri ne hanc vlla doloris*
*Cura habet? an ne alios: dixi, ſuſpirat amores?*
*Ac, niſi me miſerum iam tum præcideret ingens*
*Verba timor: formoſa Glyce miſerere furentis,*
*Dixiſſem, miſerere. tuum mors, ò, mea certè*

*Crimen erit:crimen tantum non vlla tacebunt*
*Secula,non vllæ terrarum,atque æquoris oræ.*
*Hoc ipse,intonsos quoties indagine colles*
*Venator,quoties canibus lustra horrida cinget,*
*Inscripta tantum testabitur ilice crimen:*
*Hunc syluæ,hunc montes,hunc saxa, amnesq; loquẽtur*
*Interitum: & Lycidam flebunt thoesque, lupique,*
*Flebunt & pharetræ,flebunt & retia,& arcus.*
*Sed tu,scilicet,has lachrymas contemnere sueta,*
*Has voces,atque hæc imi suspiria cordis,*
*Nil ò dura,preces,nil,ò,mea munera curas,*
*Munera,quæ multæ frustra cupiere puellæ.*
*Quin etiam ingenti fastu nos despicis,omnem*
*Quòd vitam in syluis inter spelæa ferarum,*
*Noctis & insomnes sub dio ducimus horas.*
*At non cultorem nemorum Venus aurea Adonim*
*Spreuit,& amplexus,setosaq; brachia fugit.*
*Nec tamen ille suas celebrauit arundine laudes:*
*Quas canerent olim summis in montibus ipsæ*
*Et Dryades.Nymphæ,& Satyrorum incondita turba.*
*Me verò in primis dulces aluere Camœnæ,*
*Cinxeruntq; hedera,felici & baccare frontem.*
*Ac tu,si verax non est mentitus Amyntas,*
*Nescio quẽ Dorylan tamen(hei mihi)credula præfers,*
*Idæum Dorylam:cuius mendacia linguæ*
*Turpia tam multas iam decepere puellas.*
*Eheu,sæua Glyce,nostræ te sibila cannæ*
*Nulla mouent,nostræ solam te carmina Musæ*
*Nil capiunt ingrata. tuas ego marmore laudes*

*Incidi: & longum victuræ in cortice quercus*
*Ipse meos iterans questus, & verba notaui:*
*Quæ legisse queant longo post tempore Nymphæ,*
*Dum venantur apros, dum ceruum ad retia trudunt.*
*Atque eadem vt canerem de se, quid non mihi Leuce*
*Pollicita est? Leuce flauos exculta capillos,*
*Nigra oculos Leuce, niueas Leuce alba papillas.*
*Quid non Arctobali, quid non formosa Lycotæ*
*Filia? pelliti quid non Amaryllis Iolæ?*
*Diuitijs omnes, omnes & sanguine claræ.*
*Nec minus Autonoë, qua doctior vlla Camœnas*
*Non colit, vnum ardens me me admiratur, & vnum*
*Suspirans, versusq; meos, mea carmina laudat.*
*Et tibi (quis credat?) nunc inuidet æmula, seq;*
*Iactat, & ante omnes te despicit illa puellas.*
*Tu tamen (heu) nimium confidis imagine formæ:*
*Nec fore iam credis, facies vt candida rugas*
*Contrahat, & flauum mutent tua tempora crinem.*
*Et rosa, purpureo quæ se commendat honore*
*Manè virens, multo languescit pallida Sole.*
*Languescunt violæ, languescunt lilia, cùm se*
*Extulerunt primùm, & canas liquere pruinas.*
*Sic etiam, forma quæ nunc anteire Napæis*
*Diceris, amisso flebis mox flore iuuentæ.*
*Et veniet (mihi crede) dies, cùm te quoque sæuus*
*Vret amor, cùm te dolor vlciscetur amantem.*
*Sed quid ego hæc surdis nunc conqueror irritus auris,*
*Irritus & ventis tantùm mea vulnera pando?*
*Illam, illam infelix, illam, dum sola vagatur*

*Montibus, & suaues beneolenti è gramine flores*
*Sola legit, sola & gelidi prope fluminis vndam*
*Nunc dulces somnos, frigus nunc captat opacum,*
*Illam (inquam) aggressus molli prece flectere nitar.*
*Heu quid agam? Hyrcani iam nunc libet orbis ad oras*
*Ire mihi, atque vltro sæuas inuadere tigres,*
*Quæ diram ingluuiem venantum sanguine pascunt.*
*Tum mecum morietur amor, tum denique, quæ me*
*Paulatim absumunt, incendia sæua quiescent.*
*Ah, Lycida, Lycida quoties, dum pectore curas*
*Voluis, & ingratos deflès malè sanus amores,*
*Hæc eadem suesti tibi fingere somnia, quæ mox*
*Ventorum rapidæ ferrent abolenda procellæ?*
*Quin potius, si vis vrget te sæua, iacentem*
*Hic abicis, dirasq; tuo de sanguine fauces*
*Magnorum infelix pergis saturare luporum?*
*Tu lætare Glyce nostra sæuissima morte,*
*Lætare, & quoties alta sub rupe sepulchrum*
*Aspicies: dic, iste locus mea gaudia seruat:*
*Sæuitiæ locus iste meæ monimenta tuetur:*
*Iamq; vale: atq; alium, qui te canat, improba quæras.*

EVA-

# EVAGEE, ECLOGA III.

## AD PHILIPPVM MELIORIVM.

*ABDIDERAT montes sese venator in altos,*
*Atque inter densas nemorum mæstissimus ornos,*
*Quà rude frigenti stringit latus Alsula riuo,*
*Innixus scopulo lachrymas fundebat Amyntas:*
*Et pulchram Euageen secum plorabat ademptam.*
*Euageen magnum Lygurum decus: & cui quondam*
*Aesis, & æterno deuinctus amore Metaurus*
*Paruit, & rapido subsedit flumine Tybris.*
*Ipse eadem cùm manè, eadem cùm frigida terris*
*Nox erat, infelix gelidas iterabat ad auras,*
*Et nemus, heu, miseris conquestibus omne replebat.*
*Lugete ò Dryades mecum, ò, lugete Napææ:*
*Crescat & è vestris lachrymis ipsa Alsula, & ipsæ,*
*Ipsæ orni crescant, quercusque, & gramina, & vda*
*Virgulta vmbrosa protendant brachia valle,*
*Cunctaq; testentur nostrum depasta dolorem,*
*Dum pratis insuetus oues auertit amaror,*
*Dum mutata dolent teneræ dumeta capellæ,*
*Atque infelicem referunt in lacte saporem;*
*Dum mirantur apes casiamque, crocumq; rubentem,*
*Atque thymum, atque alio saturata sisymbria succo:*
*Et pressas tristi distendunt nectare cellas.*
*Lugete ò Dryades mecum, ò, lugete Napææ.*
*Occidit Euagee pulcherrima Neptunine.*

Euagee nostræ spes vna, & sola senectæ
Occidit: & ruris, quicumque erat, huius honorem
Abstulit, euertitq; omnis mihi gaudia vitæ.
Scilicet id fuerat, bis sex quòd mensibus actis
Suasit ab Alphæa discedere protinus vrbe,
Vt te lugubri aspicerem miseranda feretro
Efferri, atque tui pars maxima funeris essem,
Contegeremq; atro frigentia membra sepulchro.
At non hæc olim nobis promissa dedisti
Euagee, non hæc durissima tempora, non hos
Tum mihi prædixti luctus, cùm magnus Acestes
Mitteret, æquoreas quà labitur Arnus in vndas,
Tuq; tuo inuitum discedere ab ore videres,
Præceptisq; meum munires prouida pectus,
Quasq; dabas prudens, ceu sancta oracula, voces
Obseruarem omnes, & singula mente notarem
Consilia: ex animo quæ numquam obliuia, numquam
Eluet vlla dies, quamuis longissima, nostro.
Non ego tum tantos potui mihi fingere casus
Euagee: non tantum vmquam sperare dolorem.
Quamuis certa mihi luctus præsaga futuri
Signa daret Therapon: cùm densos abiete lucos
Cęderet, & piceas alto de vertice pinus
Deijceret, montisq; ferus iuga pulchra comantis
Vastaret, nostris qui plurimus imminet aruis.
Quin potius nil illa timens portendere triste
Omina, Cælitibus faciebam vota: meaq;
Sæpe manu cumulans ingrata altaria donis
Spondebam innumeros posthac tibi credulus annos.

*Atque adeò demens tempus iam iam affore rebar,*
*Cum tibi, quos olim fœcundos abstulit agros,*
*Redderet insonti, Latijs qui præsidet oris*
*Pastor, & ingentes rerum moderatur habenas,*
*Atque volens, facilisq; omnes tibi linqueret arces,*
*Munitas arces, & pinguia regna Camertum.*
*Et nunc ipsa iaces, nec iam dignare vocantes,*
*Tendentesq; manus populos ad sidera vtrasque,*
*Dum miseris miseras implent vlulatibus vrbes:*
*Et vocem montes, vocem nemora alta remittunt.*
*Te variæ Bacchi lynces, te sæua leonum*
*Semina: & hirsuti lugent in saltibus vrsi,*
*Aprique, & thoes, nec non fera pectora damæ.*
*Flent fontes, flent stagna tuum, flent flumina tristem*
*Interitum, & lachrymis tellus madefacta tepescit.*
*Hinc seges incultis squalet mœstissima campis,*
*Squalent fœcundum sitientia pabula rorem:*
*Amissumq; decus passim violaria mærent.*
*Mærent tota suis virgulta exuta corymbis,*
*Et pecus infelix deserta in valle pererrat:*
*Vbera nec referunt sera iam nocte capellę*
*Plena: nec ad caulas redeuntem lęta moratur*
*Ipsa suam, atque alijs secernit bucula matrem.*
*Omnia sunt macies, sunt omnia luridus horror,*
*Sunt tenebrę, & tristis leti pallentis imago.*
*Ipsa hęc, quę quondam mihi frigida rura placebant,*
*Nunc odi: & , dulces obij quos sępe recessus,*
*Dum medium curru Sol aureus occupat axem,*
*Omniaq; argutis resonant arbusta cicadis.*

Odi orno, odi & platano, odi æsculo alta
Contecta, & radijs non peruia lustra coruscis.
Sordent & viuo confecta sedilia saxo:
Sordet &, annosa quæ sese ex ilice fundens
Cum strepitu raucum ciet vnda è margine murmur.
Quin ego, iamdudum posui quas ordine fagos
Ipse tibi: & teneras conseui, heu, nescius alnos,
Euertam immeritas imis radicibus omnes,
Et syluam aggrediar crudelibus vrere flammis.
Ah, miser, ah, quò te mentis rapit æstus Amynta?
Nonne vides gemitus, lachrymasq; vt spargis inanes?
Quin igitur potius viua te fluminis vnda
Abluis? & precibus manes venerare sepultos?
Forsan & hæc olim venient ad sacra: tuiq;
Vanescent tristes illo post tempore luctus.

## VARCHIVS, ECLOGA IIII.

AD celebres Arni ripas, & littora Daphne
Nympha erat, Hetruscæ cultrix non vltima vallis:
Quam vetus è summo despectat Fæsula cliuo,
Et mediam inducta Minio secat auius vnda.
Illa quidem non apta colo tenuiq; Mineruæ
Iam tum, cum virgo primis floreret ab annis:
Vna sed Aonias inter celebrare sorores
Nata choros, totum Phœbo sacrauerat æuum,
Et Phœbo, & blandis dulcis comes addita Nymphis.
Hæc clari ad tumulum Varchij (namque ipsius atro

*Condiderant Varchij manes, atque ossa sepulchro*
*Pastores, Varchij manes deflebat amatos:*
*Et tristem Assyrijs spargebat odoribus vrnam*
*Ipsa suo fundens tales è pectore questus.*
*Heu quis tam duro supremam in funere vocem*
*Voce sua, & lachrymas lachrymis sociabit amicas?*
*Vos liquidi fontes, vos cultæ flumina vallis,*
*Vos auræ, ventiq; leues, qui, dum fera passim*
*Sæuit hyems, gelida spirantes amnis ab vnda*
*Editis vmbrosas inter vaga murmura syluas.*
*Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.*
*Hoc erat, hoc patula quod ab ilice garrula cornix*
*Prædixit persæpe, meum cum Phyllis ad antrum*
*Docta, nec hirsuti coniunx non culta Lycotæ,*
*Crinibus effusis in mollia terga, venirent:*
*Et mihi vernanti legerent de flore corollas.*
*Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.*
*Heu quis tum mẽtem miseræ furor abstulit? heu quis*
*Auertit sensus omnes mihi, cum tua, Varchi,*
*Instaret iam summa dies? quod numen iniquum*
*Offudit tenebras oculis? ne mæsta viderem,*
*Quam tibi Parca vicem, quamq; astrũ immite pararat,*
*Pro dolor, extremam vitæ irreparabilis horam.*
*Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.*
*Nec tamen, interea ni mens mihi læua fuisset,*
*Signa dabant obitus Superi non clara futuri:*
*Cum cælum assiduis operirent nubibus, & cum*
*Sole dies, astris nox intempesta careret:*
*Et pluuijs auctus flueret brumalibus Arnus.*

Du-

*Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.*
*Ah Daphne infelix, quid tum? si præscia luctus*
*Ipsa tui, tantos casus multo ante videres?*
*Nam nec rupta semel sæuæ subtegmina Parcæ*
*Instaurant nentes: nec quem statuere supremum,*
*Præuertit finem moriens, aut protulit vllus.*
*Orassem Diuos, cumulassem altaria donis,*
*Consumpsem totas illic ego perdita luces:*
*Atque oculos, iam iam media cum morte natantes,*
*Et Solem, & cælum, conuexaq; sidera linquunt,*
*Ah misera his saltem manibus componere possem.*
*Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.*
*Quis nunc, qui teneros imis in vallibus agnos*
*Cantet, & excelsa pendentes rupe capellas?*
*Quis rores, gelidasq; niues, quis frigora, & æstus,*
*Fluminaq; & fontes, refluentemq; æquoris vndam,*
*Et tonitrus, & præcipiti cum grandine nimbos,*
*Et rerum caussas, & primi exordia mundi*
*Explicet? heroasq; memor describat Hetruscos?*
*Quis Thyrsim ad fagos? veteres Amaryllida ad ornos?*
*Ad corylos Daphnem? ad myrtos inuitet Iolam?*
*Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.*
*Ipsa suis te, Varchi, etiam spoliata racemis*
*Vitis, & amissa laurus Parnassia bacca*
*Fleuit: & excultos hedera cingente capillos*
*Hinc atque hinc capiti tristes hæsere corymbi.*
*Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.*
*Ipse etiam frontem manibus percussus honestam,*
*Lugubresq; notas, vocesq; iterauit Apollo.*

Inq; cauis Nymphæ carmen scripsere comantis
Corticibus pini, atque aëriæ cyparissi:
Esset vt in cinerosq; tuos, & amabile nomen
Aeterni luctus, æterni testis amoris.
Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.
Te Satyri, Panesque, leues te candide Varchi
Suspirant Dryades, atraq; in veste Napææ.
Inq; antris, specubusque, imis in vallibus Echo
Muta silet: queriturque tacens secum ipsa, doletque,
Quòd nequeat dulces audire, ac reddere voces
Læta tuas: numerosq; alludere dulce canenti.
Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.
Nec tantum extremi delphin prope littoris oram:
Nec tantum in syluis sola philomela sub vmbra
Luget, & ereptos queritur mæstissima natos:
Nec quæ per scopulos, & saxa per auia ponti
Deplorant miseræ Halcyones Ceyca peremptum,
Quantum Flora tuos obitus diuine poëta.
Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.
Quas olim numeris volucres mulcebat amatis:
Quas olim in syluis versus cantare docebat
Luscinias; nunc illæ inter fruticeta sedentes
Certatim ad luctus, lamentaq; dura loquaces
Hortantur picas: quæq; in frondente palumbes
Consuerant quercu raucas iterare querelas.
Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.
Quis tibi? quis tantum, Varchi, certauerit vmquam
Præterea? quis labra tuæ malesanus auenæ
Admorit posthac? cui tantum audere licebit?

Nam,

*Nam, tibi quæ ſuaues edebat eburnea cantus*
*Fiſtula, Tyrrhenus quoties inflauit Amyntas,*
*Ante alios Nymphis, & Pani acceptus Amyntas,*
*Triſtè ſonat, numeros omnes exoſa, modosque.*
*Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.*
*Heu heu tecum vnà luſus periere, iocique,*
*Hetruſciq; ſales, & honos, & gloria linguæ:*
*Tecum vnà heu Varchi perierunt gaudia vatum:*
*Siue illos Tyberis, ſiue illos educat ingens*
*Permeſſus: ſiue Arnus alit liquentibus vndis.*
*Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.*
*Quin etiam gremium lugubri affuſa feretro*
*Alma Venus, nobis, nobis heu Varchius, inquit,*
*Occidit, & iamdudum vllo ſine corpore imago*
*Elyſios inter manes verſatur, & vmbras.*
*Non illic verſus, non dulcia carmina dictat:*
*Non Heliconiadum latices à fontibus haurit;*
*Vltima ſed Lethen obliuia potat ad amnem.*
*Ducite perpetuum mea carmina ducite fletum.*
*Hæc Daphne. at denſæ cælo cum fortè tenebræ*
*Inſtarent, ſummum ſecuit mæſtiſſima crinem,*
*Mitteret vt dulci memorabile munus amico:*
*Supremumq; vale, Varchi vale optime, dixit.*

FINIS.

PE-

# PETRI ANGELII BARGAEI

## EPIST. I.

## AD HENRICVM III. GALLIAE ET POLONIAE Regem Christianissimum.



*SI VACAT egregias laudes audire tuorum,*
*Claraq; facta patrum: si paulum ingentia regni*
*Pondera, quæ magnis onerãt tua pectora curis,*
*Ponere humi, facilesq; potes dare versibus aures:*
*Accipe perpetuus nostro quæ nuper ab ore*
*In Gallos expressit amor, Rex maxime regum,*
*Vel pietas ingens potius, dulcisq; cupido*
*Clarandi facinus: quo nullum maius in orbe*
*Terrarum audiuit quisquam, bella horrida postquam*
*Cæpere, & victo peperere ex hoste triumphos.*

Nam-

Namque, vt non desint, meritò quae maxima dicas:
Quaeque animo mirere tuo, cum facta Quiritum,
Pellaeive ducis Graiùm celeberrima chartis,
Aut portenta legis, quae confinxere poetae:
Multa tamen, si non risu dignissima, certè
Talia, quae fieri numquam potuisse rearis,
Inuenies. quid enim credas, dum magnus Homerus
Flumine tum Xantho luctantem scribit Achillem?
Aut Veneris saeua violatam cuspide dextram?
Eque acie accepto cedentem vulnere Martem?
Cyclopive oculum terebrantem stipite Vlyssem?
Seque sub extremo dum colligit ariete tectus
Velleribus densis, dias in luminis oras
Subducentem antro? & sociorum caede trementem,
Vitantemq; manus diri pastoris, & iram?
Aut inter fluctus, ventorum interq; procellas,
Nauigio amisso, pendentem è vertice saxi;
Ereptumq; alta caprifico ex ore Charybdis?
Vel cum monstra canit rerum speciosa nouarum,
Scyllamque, & Circen, Laestrigonas, Antiphatemque:
Inq; feras versos socios, canibusq; marinis
Absumptos, Ithacus quos secum auexerat heros?
Mira quidem, facili sed tantum credita vulgo:
Non illis, quorum munit sapientia pectus,
Et rerum multarum animus percalluit vsu.
Ilium enim lento tandem cecidisse duello
Euersum, atque armis direptum, igniq; crematum
Argolico, in cineres, atramq; abiisse fauillam,
Quid mirum? non longè aberant Lacedaemone Troum

*Pergama, Ledæaq; Helenes inuisus adulter*
*E patrio Graium spectabat littore littus.*
*Cumque his suppeteret cunctarum copia rerum,*
*Se tamen in decimum victoria distulit annum.*
*Quòd si quis Peliæ durissima iussa tyranni*
*Obijciat, iuuenesq; ausos irrumpere pontum*
*Cyaneas inter cautes, dum fluctibus actæ*
*Altera in alterius frontem concurrit, & imas*
*Suscitat in cælum pelago exultante procellas:*
*Incolumis tamen unde audax euaserit Argo,*
*Alitis emissæ celerem sectata volatum,*
*Ignotasq; vias, ignotaq; littora cursu*
*Emensa, Æetæ fuerit populata penates,*
*Et secum in luco suspensum auexerit aurum,*
*Cumque auro forma insignem, atq; ætate puellam,*
*Perdomitis primùm tauris, quibus ora, pedesq;*
*Ære reniderent, quiq; atros naribus ignes*
*Spirarent: turbaq; satis è dentibus orta,*
*Quæ sibi conscierit per mutua vulnera mortem:*
*Ingenium ipse equidem docti mirabor, & artem*
*Scriptoris: qui pertenuem rem, perq; pusillam*
*Tantopere inuentis ornauerit vndique monstris.*
*Namque hęc siquis erit qui secum expendere pergat,*
*Non modò reppererit veterum mendacia vatum*
*Esse, sed effictas per vana poemata nugas*
*Vela latrocinijs, furtis obtendere noctem,*
*Flagitijs nebulas offundere turpibus atras.*
*Cum quæcumque animi gerimus virtute, manusque,*
*Cuncta reformident vani figmenta poetæ:*

*Ne fortè occumbant mox vna oppressa ruina,*
*Dum cupiunt vero longè maiora videri.*
*Vt facie virgo ingenua, cui concolor ostro*
*Succus, & Alpina mistus niue, vitat & horret*
*Pigmenta & fucos, natiuum abolere colorem*
*Qui possint, cultu illa suo contenta decenti.*
*Adde superuacuis quòd siqua ornatibus vti*
*Cogitur, hæc formam deformem abscondat, oportet:*
*Queis deinde amissis dulces monet orba cachinnos.*
*Ceu, cum fortè sibi grandes dempsere cothurnos,*
*Subsedisse humiles vulgo ridemus Iberas;*
*Quas modò credidimus quasi quasdam à stirpe gigãtum*
*Procero magnas incedere corporis auctu,*
*Cum sint ancillæ similes, quæ paruula vestem*
*Ponè regit, ne tracta solum per compita verrat.*
*Ergo nec Graij, nec nostri habuere Latini*
*Dignum argumentum, quod mirarentur, & vnum*
*Sinceræ tamquam simulacrum ostendere possent*
*Virtutis, nisi figmentis, & anilibus omnia*
*Fabellis nuper variarent scripta repertis,*
*Et vani in vanas conferrent somnia chartas.*
*Tu ne igitur res heroum, & benefacta canentem*
*Ornatu spolias omni? nihil ipse relinquis,*
*Vnde argumentum diti se vellere Serum*
*Induat? & multis quasi picta coloribus Iris*
*In se oculos hominum passim conuertat & ora?*
*Immo ego, quæ veteres scripsere poemata docti,*
*Non vnquam laudata satis fateorque, voloq;*
*Tamquam propositum cunctis exemplar haberi*
*Scri-*

*Scribendi recte: vel tu verba ipsa, vel artem*
*Inspicias, certosq; velis ediscere mores.*
*Sed si detractis eadem se nuda videri*
*Fabellis, nugisq; suis patiantur, amentque;*
*Illa equidem vix apta legi, vix digna putabo,*
*Quæ quisquam miretur, & auribus audiat æquis.*
*At bellum confisa suis quod viribus olim*
*Intulit Abdaridum populis, Asiamq; nefando,*
*Ipsam Asiam, cæsis hominum tot millibus, vna*
*Seruitio exemit fortissima Gallia, quisnam*
*Pro rerum euentu satis admirabitur vmquam?*
*Primũ etenim exuperãs Alpes, Scythiamq; niualem,*
*Fluminaque, & varios non vno nomine tractus*
*Europæ, gentesq; adiens feritate tremendas,*
*Extremi ad fines se contulit Hellesponti.*
*Mox Asia in media Turcas aggressa feroces,*
*Annorumq; trium spatio, tot castra, tot arces,*
*Oppida tot munita loco, tot fortia cepit*
*Regna manu, quot vix olim cepere Quirites*
*Post ter septeni quinquennia condita lustri.*
*Et gens illa tamen sumptis metuenda pharetris,*
*Et victis consueta nouas imponere leges,*
*Oppressos stabili populos ditione tenebat.*
*Atque hæc ipsa quidẽ iam magna est gloria, magnus*
*Gentis honos: procul à patria regione profectam*
*Eiecisse suis diros è sedibus hostes.*
*Verùm alios fecisse eadem non legimus? esto.*
*Quid? quòd non vllis odijs, non exijt vlla*
*Acta lue, non pulsa metu, bellisve coacta*

*Externis, noua tecta sibi quæsiuit, agrosque?*
*Quid? quòd Christicolum pro libertate reliquit*
*Fœcundos patriæ campos, cœlumque salubre?*
*Regnatasq; suis etiam tum legibus vrbes?*
*O pietatem animi memorandam, o nobile factum,*
*O decus, o nullis felix legionibus ausum,*
*Præter eas, quas ipsa volens tum Gallia misit*
*Ex se delectas, bellumq; capessere iussit,*
*Quo neque nos maius, neque postera perleget ætas.*
*Salue magna Ducum mater, salue inclyta tellus*
*Virtutis vera cultrix, tibi debita tanta*
*(Tu modò læta faue) persoluere præmia palmæ*
*Ingredior, tenebrisq; tuos heroas ab atris*
*Eruere, & seclis memores mandare futuris.*
*Illa aderit pubes, felix genus; illa canenti*
*Non figmenta quidem, non & mendacia, quæ nos*
*Vel legisse semel pudeat, pigeatque, sed vltro*
*Suggeret ex sese vera ornamenta, dabitq;*
*Ipsa aliquid semper, quod tu mirere, probesque,*
*Et lætere tuos tantis heroibus ortos*
*Illustres proceres; quorum pulcherrimus ordo*
*Immortale decus laudum putat esse suarum*
*Imperio parere tuo, Rex maxime regum.*

# AD PETRVM VSIMBARDVM, EPISTOLA II.

*VERA equidem tecū loquar, Vsimbarde, nec vsquam*
*Transuersum dolor arripiet, nec blanda voluptas.*
*Consuetudo etenim vitæ diuturna, fidesq́;*
*Nostra, & amicitiæ veteris sic postulat vsus*
*Plurimus officijs, & honestis artibus aucta.*
*Hæc ergo ex imis penitus modo sensibus orta*
*Accipe: nec tibi me mendacia fingere credas,*
*Queis nusquam locus esse potest, vbi nulla sequuntur*
*Commoda, quæ nebulas animorum offundere suerunt*
*Candori, & vero titubantem auertere linguam.*
*Septima iam nobis æstas, quæ proxima Solem*
*Sublimem Cancri aspiciet propè limen, agetur,*
*Ex quo me communis herus iubet ire relictis*
*Protinus ad sese studijs, curisq́; docendi*
*Ingenuas artes, & vitæ certa beatæ*
*Præcepta, atq́; vias, aperit quas maximus inter*
*Scriptorum cœtus, populosq́; & regna regenti.*
*Atque ego, quamquam ipsos tercentum ex ordine mēses*
*Assueram illecebris Musarum, & amabilis oti,*
*Commodaq́; imbiberam gratæ captare quietis:*
*Hoc tamen à placito discedere tramite iussus*
*Discessi, atq́; audax Latium, Romamq́; petiui.*
*Quò simul atque hominum, rerumq́; ignarus, & expers*
*Aduena perueni: vix est, vt dicere possim,*
*Quantum pœnituit vitæ consueta prioris,*

*Atq́;*

Atq; Academiæ vnanimes liquisse sodales.
Quare vt auis, ramos quæ sueta est inter opacos
Edere dulcisonos non vno carmine questus,
Si fortè illa dolo iuuenis decepta latenti,
Mox cauea conclusa domi cohibetur eburna,
Muta diu silet: & frutices, syluasq; comantes
Cogitat, & fontes liquidos, atque antra requirit,
Quasq; adeò liquit secreta in valle quietes.
Sic ego Pieridum choreis subductus, & vmbris,
Et triturus heri solium, limenq; potentis,
Ac Romæ in media iam versaturus arena,
Scilicet obstupui: perq; alta silentia inertes
Ipse mei oblitus traduxi segniter horas.
Ac, nisi tu, quæ summa tua est prudentia, primus
Aduertens animo quæ nam fugienda doceres,
Quæq; sequenda forent, tum qua ratione colendus
Esset herus; prorsus iacuissem improuidus omnis
Consilij: aut animi mœrore absumptus obissem.
Hic igitur tum primum abs te mihi constitit vnus
Fructus amicitiæ, quo nec patientis Vlyssei
Senserunt comites dulcem magis, hospite quando
Littore detenti lotum carpsere virentem,
Pomaq; iucundo mentem vinctura sapore,
Et sese ad nauem non dimissura morantem.
Quin etiam perspecta à me integritate, fideque,
Queis te commendas, quas amplexaris, amasque,
Et quorum caussa Medici gratissimus omnes
Protegis ipse bonos, cum res, & tempora poscunt;
Sæpe ego sum tristes ausus tibi credere curas,

Læ-

*Lætitiasq; animi rursum impertire, metuq;*
*Protinus amoto tecum ridere: nec vsquam*
*Consilio, vultuq; tuo deceptus inanes*
*Sedaui motus, & iniquos pectoris æstus,*
*Quæq; animos spes extulerant moderatus, omisi.*
*Atq; ita post cum me dignum satis esse putares*
*Cui tua partem aliquam virtus conferret amoris,*
*Sæpe dies vnà totos, noctesq; perennes*
*Dulcia iucundo miscentes seria ludo*
*Siue domi, siue in mediis transegimus hortis,*
*Quos Medices sumptu ingenti, studioq; paratos*
*Substructis ornauit ad æthera molibus: & quos*
*Tum signis, tum picturis præstantibus auctos*
*Miratur Latium, nec eos præferre veretur*
*Omnibus, Ausonia quicumque coluntur in alta.*
*Ipse igitur tibi nominibus deuinctus, & vni*
*Addictus tantis, planè sim ferreus, & me*
*Ingrati fatearq; animi, damnemq; necesse est:*
*Ni te oculis his assiduè, ni pectore gestem;*
*Quemq; alii sanctè obseruant comemque, bonumque,*
*Nec minus interea rigidæ virtutis amantem,*
*Ipse omni obstrictus venerer pietate, colamque.*

# AD IVLIVM BATALLINVM, EPISTOLA III.

DVM te Parthenope patria dulcedine captum
Detinet, atque tuas varijs sermonibus aures
Affusi circum blandè remorantur amici:
Me lassum, & multis iam fractum corpus ab annis,
Languentem morbo, correptum frigore; & aura
Tentatum Boreæ gelido spirantis ab axe
Oblectant etiam, dictu mirabile, Musæ,
Et tristes properant longè depellere curas:
Dum statuo, quærens animus ne ex corpore noster,
An contra ex animo corpus pestesque, luesq;
Concipiat plures, maioraq; damna capessat.
Quale sit hoc autem, quod dicimus, accipe Iuli:
Et nos consilio, quantum potes, ipse iuuato.
Namque alias etiam cum spes abiecimus omnes
Erexti, & suauis reuocasti ad gaudia vitæ,
Subducens miserum leto quasi Pallas Vlyssem.
Vtq; adeò lis hæc præsens peragatur vtrinque,
Quo susceptam olim peragi decet ordine causam,
Tu facere hæc animum pro se iam verba putato.
En ego, quem nuper Superum pater ipse creauit
Æternæ tandem fruiturum lumine vitæ,
Pro dolor, hanc ægros miserè depressus in artus
Cogor habere domum, cæco quasi carcere clausus.
Et quasi conductæ pretio stationis iniquam
Soluere mercedem: quam protinus exigit a me

*Quotidie magis atque magis vis improba legis*
*Corporeæ. Quoties etenim pulcherrima rerum*
*Ipse egomet mecum meditor, cœtuq; beatus*
*Inseror æterno Diuorum, & mentibus addor*
*Aethereis, cœlumque, atque ipsa remetior astra,*
*Seu medio subitos contemplor in aere nimbos,*
*Et niuis, & pluuiæ, & crepitantis grandinis imbres,*
*Vnde auræ nascantur, & vnde tonitrua fiant,*
*Fulguraque, & semper diros quæ causa Cometas*
*Accendat: populis cur illi, & regibus altis*
*Exiliumque, famemq; atram, morbosq; minentur*
*Innumeros. quoties rursus perquirere visum est*
*Aequoris hic certos cur vnda reciprocet æstus,*
*Illic non iisdem littus circumtegat horis:*
*Quæq; adeò vis tanta altis in montibus aurum*
*Excoquat: aut ferri venas concrescere cogat:*
*Tum quot sint magni ponenda exordia mundi:*
*Quæ vis interitum rebus, quæque afferat ortum:*
*Hæc dum, inquam, mecum recolo: dum docta priorum*
*Assiduus monumenta lego, chartisq; seueris*
*Inuigilo admirans, & me me agnoscere conor;*
*Ilicet hinc, illinc cuncta facto agmine pestes*
*Corporeæ irrumpunt. mentis blandissima somnus*
*Desidia: & stomachi multum latrantis alumna*
*Sæua fames, & quæ bibulas sitis arida fauces*
*Asperat, ac vini paulatim inuecta cupido*
*Frigentis, calices audax siccare Falernos,*
*Seu fluat orta dies, seu nox sua sidera pandat.*
*Præterea impatiens hyberni algoris, & æstus*

Mollitiesq; acriq; iecur Venus improba flamma
Quæ stimulat: nec non oculis semel haustus amicæ
Oris honos, imoq; infixi pectore vultus.
Queis alia; atque alia accedunt opprobria, quæ me
Funditus euertunt: summoq; ex æthere raptum
Telluri affigunt, ludus, iocus, alea, lites,
Et quæ quis fando numerare incommoda possit?
His ego, ne stultus frustra contendere nitar,
Victas dedo manus, adsumq; ad iussa paratus.
Hæc animus. Tum quæ corpus responderit audi.
Non ego, namque aliquem dicentem abscedere vero
Fœdum & turpe reor, non me mortalibus inquam
Ortum è seminibus corpus mortale negabo,
Idq; tibi, perspectum vni cui debuit esse,
Scilicet imprimis æterna hac lege iugatum
Te mihi, vt imperio, quantum licet, vsus herile
Præciperes, quæ naturæ vis ferre caducæ
Imbecilla potest: & serui captus amici.
Curaresq; sagax, & valde sedulus hospes,
Ne pluuiæ tecto influerent: ne putridus Auster
Solueret ingressus patulis tabulata fenestris:
Ne paries vitium faceret: ne fornicis alti
Corruerent totæ ruptis compagibus ædes,
Dum studijs addictus obis ea munia tantum,
Quæ tua sunt, fruerisq; bonis cœlestibus, & me
Ire iubes tecum; quid possim oblitus: & exors
Dulcis amicitiæ solita fraudare quiete
Pergis, & indicens misero ieiunia ventri
Sæpe vnà cogis noctes vigilare, diesque.

Quin etiam somnos inter, mensasq́; salubres,
Cum vitalem auram, & tenuem reparare calorem
Est opus: aut aliquid tecum meditatus, omittis
Incepta: aut stratis surgens è mollibus acer
Ilicet in studijs crudum me me abdis, habesque.
Hinc hyemis gelidæ afficior glacialibus auris:
Hinc niuè frigentis potus malè sana libido
Prosternit vires, dirusq́; intercutis humor
Crescit aquæ: stomachoq́; natat delapsa supernè
Crudorum alluuies sensim concreta vaporum.
Hinc miseros laterum, & capitis dolor angit acutus:
Excruciant ventrem fera tormina: calculus asper
Vrit anhelanti vesicam; aut renibus hæret
Improbus: hinc oculis vertigo, inq́; auribus æris
Tinnitus, vociq́; omnis via clausa, sonoq́ue.
Hinc demum à cerebro largè distillat inerti,
Quod fibras salso pulmonum exulceret imbre;
Pectoris aut complens rigidas humore cauernas
Afflictet tussi, atque animam intercludere tendat.
Quòd si fræna manu, quæ sunt tibi credita soli,
Ipse regas vt oportet, & vt sibi postulat vsus
Fœderis antiqui, quo nos conuenimus vnà,
Nec me moliri quicquam, cui desit honestum,
Permittes: nec te læsum clamabis: & idem
Me vegeto vteris peragendæ ad munera vitæ.
Sin aliter te facturum arbitrare, putato
Euenturum illud, misero quod fertur asello
Euenisse: boui qui dum sociatus iniquo
Cogitur imparibus contendere viribus impar,

Succubuit. soliq; tibi graue (dixit) aratri
Nunc tu pondus habe. pacis me diues, & oti
Conteget immunem tanti iam terra laboris.

## AD IOSEPHVM BOCCAM, EPISTOLA IIII.

QVOD te Pierio laudum spes maxima thyrso
Percussit, miroq; animum calefecit amore,
Clare puer multo me me mihi carior ipso,
Lætor: & has imo nunc demum è pectore voces,
Quas ingens expressit amor meus, edere cogor.
Sic cum carceribus læti exiluere iugales,
Cunctorum primos inter comitatur euntem
Plausus equum: celeri sic in certamine cymbam,
Quæ prior effugit, metæq; anteacta propinquat,
Hortantur turbæ, & vim animis præstantibus addunt:
Aurea dum voces Diuorum ad limina tollant,
Virtutiq; omnes vnà plauduntque, fauentque.
Non te nobilitas ingens, non magna tuorum
Gloria, non clari virtus spectata parentis
Inflauit, ventoq; animum tumefecit inanem:
Quo minus & Musis, & Phœbo deditus vni
Tendere Parnassi salebrosa ad culmina gressum
Discuperes: vatumq; illic auidissimus omnes
Percipere æternas, & pectore condere voces.

Qua-

Quaq; alij lusu soliti se dedere inani
Aetate, & vigiles studiorum odisse labores,
Ipse vnus per te veterum monumenta virorum,
Carminaq; assiduè, multos seruata per annos,
Suspiceres, & noscendi rapereris amore
Quos pius Æneas captæ post vltima Troiæ
Excidia, & flammas totus quibus arserat orbis
Terrarum, Siculis cursus iterauerit vndis:
Quas cœli, pelagiq; minas erroribus actus
Pertulerit, diras quas ve ille accesserit oras,
Cum miseram Didonem igni consumpsit iniquo:
Cum subijt manesq; imos, atque infera Ditis
Regna, & felices potuit cum visere campos,
Elysios campos, sedes vbi certa, quiesq;
Nos manet, integrè quicumque exegimus æuum,
Et Lethem sine labe pij tranauimus amnem.
Præterea superas rediens vt sospes ad auras
Venerit in Latium, & Laurentia Tybridis arua:
Et miseri casus defleuerit vnus acerbos
Pallantis primo sublati in flore iuuentæ:
Vtq; atram mox iram vltus, magnumq; dolorem,
Et puerum Lausum, quo nec formosior alter,
Nec virtute animi præstantior induit arma,
Et Lausi genitorem, & Turnum occiderit hostem,
Exposcens meritas inimico à sanguine pœnas.
Sed quid ego hæc memorans primæ incunabula vitæ
Percurro, & notis iamdudum versor in actis?
Nam quis te potior culti Ciceronis alumnus
Aut fuit, aut certè posthac erit omnibus annis?

Quis fictas autem causas facundius egit?
Aut scripsit meditans ornatius? Haud tibi iam tum
Defuit ingenium puero: non culta supellex
Verborum: non delectus, non copia, non ars
Orantis, mentesq; hominum, sensusq; mouentis,
Ducentisq; omnem quoties libuisset in iram,
Clementemve animum. quæ fulmina Iupiter, & quas
Ipse faces, tonitrusq; oculis, atque auribus hausi?
Improba persequeris dum crimina sontis, & acri
Tristior exterres vultu, & sermone nocentes?
Aut cum virtutes, imitandaq; facta bonorum
Concelebras, cœliq; effers ad sidera laudes?
Non ego susceptæ culpæ mihi conscius ipsi
Non timui, faciemq; atro pallore notaui.
Atque adeò interdum si quod gessisse videbar
Præclarum facinus lætus noua gaudia cepi.
Quin mihi succensum magno virtutis amore
Sensi animum vitij prorsus, scelerumq; rebellem:
Excultæ tantum poterat facundia linguæ,
Et tua sermonis præsens suadela, Venusque.
Ergo age clare puer, postquam largissima quondam
Effudit natura tibi gremiumque, sinusque,
Cuius ope immensos suetus superare labores,
Ardua doctarum subijsti templa sororum,
Ambrosia, & dulci saturatus nectaris haustu,
Ingredere, & nunc iam magnis accingere cœptis,
Quæ decus æternum domui, quæ nomina genti
Clara tuæ pariant, famamq; in secla propagent,
Ingentes & opes cumulent: nec plurima auitis

*Non addant titulis monimenta insignis honoris.*
*Ac velut Eridanus medijs è montibus altus*
*Voluitur, Insubrumq; interfluit arduus amnes*
*Atque oriens vndas ripis fluuialibus æquat:*
*Cum tamen ingessit Ticinus, & Addua fluctus*
*Plena suos, ruit ille ingens per rura, minaxque,*
*Et tandem Adriacas victor supereminet vndas.*
*Sic quoque erit tum te sublimi in sede locatum*
*Consulet, & titulis multis, & honoribus auctum*
*Dimittet reducem ad sedes, patriosq; penates*
*Virtutum iudex, & testis Roma tuarum.*
*O ego tunc imo (superem modò) pectore quanta*
*Gaudia concipiam? quanto mihi concita motu*
*Lætitia exultent præcordia? non pater ipse,*
*Ipse tuus pater insignis probitate, manuq;*
*Strenuus, & multa notus virtute: nec ipsa,*
*Ipsa magis mater lætabitur, & sibi plaudet:*
*Quamquam ambo ingenti te complectantur amore:*
*Atque suis (veterum licet hic exempla parentum*
*Perquiras, fastosq; omnes ex ordine voluas)*
*Carior haud alius fuerit genitoribus vmquam.*
*Perge igitur, teq; in summo iam culmine siste,*
*Unde vna ostentat tibi maxima præmia virtus.*

# AD MARIVM VRSINVM,

## EPISTOLA. V.

*CLARE Mari, quamquam priscis Vrsinia fastis*
*Ipsa suos inter veteres memorata Quirites*
*Gens testatur auos, primaeuae ab origine Romę*
*Saepe foris patriam meritis iuuisse, domiq;*
*Innumeris, genitosq; sua de stirpe nepotes*
*Per bis millę annos, quorum decursus auitas*
*Vrbis humi vires omnes prostrauit, opesque,*
*Intactum seruasse decus; multisq; potitos*
*Imperijs, populos inter regnasse Latinos,*
*Et sedem Ereti natis posuisse futuris:*
*Quamquam adeò non vlli vsquam te cedere sentis,*
*Seu qui fortunam, seu qui clarissima quondam*
*Facta sibi spectanda putent, atque ausa suorum,*
*Et patrios cernis patria virtute penates*
*Vndique fulgerę innumeris insignibus auctos:*
*A te cuncta tamen quasi sint aliena proculq;*
*Semota, ipse quidem iam non contemnis, habesq;*
*Pro nihilo: sed sic animo miraris, amasque,*
*Vt modo praeclaris stimulos conatibus acres*
*Ad virtutem addant, quae te maioribus aequet*
*Non tantum, patribusq; parem contendat, auisque,*
*Sed si fata sinant, mox praeferat omnibus vnum:*
*Eiq; tua praestante aliquid virtute redundet,*
*Quod decora, & magnos ollis affundat honores.*
*Atque haec cum videant qui te venerantur, amantq;*

*Euen-*

Euentura breui, nec spem se fallere inanem,
Quanta putas iam nunc cunctorum gaudia cordi
Affluere, & mentem dulci percellere sensu?
Ipse equidem, mecum quoties hanc pectore curam
Suscipio, & quarum maneat te gloria laudum
Contemplor, penitusq; tuis inuoluor in actis,
Lætitijs totus sic efferor omnibus, vt me
Felicem apellem, iuuenis clarissime, qui te
Affari, dextramq; tuæ qui iungere dextræ
Olim ausus, fuerim tibi non ingratus, eorumq;
Indignus numero, quibus obseruaris, & omni
Afficeris, qua vis meritorum est maxima, cultu.
Ergo hilares imo cogor de pectore voces
Mittere, & ad cœptos properantem accendere cursus.
Eia age Romuleæ magnum decus addite genti,
Macte noua virtute Mari, quacumque patentes
Ostentat fortuna aditus, ingressus amicum
Carpe iter, ad summos mox peruenturus honores;
Quos patriæ, quos & generis benefacta, tuiq;
Quæsitæ ingenij dotes, & pectoris artes
Ingentes tibi promittunt: quos sidera, quosq;
Plurima fatidicùm spondent oracula vatum.
Cum se sacri apices, capitisq; insignia mitræ
Augustos circum crines, & tempora fundent;
Præuia venturi succedet purpura regni.
Sed quid ego hæc passim celebri notissima famæ?
Quando etiam lætæ nostris hortatibus vrbes
Finitimæ acclamant: asprisq; habitata Sabellis
Oppida, & extincto regio vicina Nequino.

*Præcipue Coriti durissimus incola montis:*
*Et Tetricæ horrentis præruptæ in rupibus arces:*
*Lætaq́ non vmquam sterili Meuania campo.*
*Ac demum quæcumq́; inter Naremque, Tybrimq́;*
*Deucalioneis antiquior imbribus Vmber,*
*Vmber diues agris, sumptisq́; interritus armis,*
*Et quondam inuictis ausus concurrere Tuscis,*
*Arua colit, Tinia exili qua labitur amne,*
*Et pronum in Tyberim lembis defertur onustis:*
*Clitunnusque; greges niueæ qui vellere lanæ*
*Contegit; & magnis proscindens rura iuuencis*
*Innumeras cogit passim diffundere fruges.*
*Salue igitur, populis expectatissime cunctis*
*Clare Mari, decus æternum, spesq́; alta Quiritum.*
*Sic te, quæ meritis præstat fortuna fauorem*
*Læta suum, quocumq́; cupis, deducere pergat*
*Incolumem, fortiq́; adsit prosperrima fratri,*
*Quò se Gallorum Regi gratissimus addat,*
*Æternosq́; illi pariat cum laude triumphos.*
*Cum iam iura dabis, legesq́; petentibus æquas,*
*Si quando nostri poteris meminisse (nec vlla*
*Quin meminisse queas obstet res inuida, quando*
*Ipsa tuam ingenti mentem tibi vinxit amore*
*Pro meritis in me multis sibi conscia virtus)*
*Si poteris meminisse tamen, cum corporis huius*
*Quodcumque est exsors animus tellure relicta*
*Cesserit æthereas propere digressus in auras,*
*Dic cineri sit terra leuis: sit manibus inter*
*Elysios partæ sedes æterna quietis.*

AD

# AD LÆLIVM TORELLIVM, EPISTOLA VI.

PRÆTERITIS Læli legerem cùm fortè diebus
Quàm multas equitum turmas, peditumq; cohortes
Extremis veniens Scythiæ Radagasus ab oris,
Finibus in nostris Arni, & Minionis ad undas
Amisit, virides vnde ardua Fæsula colles
Paulatim summum subducit in aera, & vrbis
Despectat nimium vicinæ mœnia Floræ:
Obstupui nondum nostris è vatibus vllum
Surrexisse, suo qui res & facta canendo
Æquaret meritas sublimi carmine laudes,
Gratus auis, atauisque, & gratior inde futurus
Omnibus, à tantis repetunt qui patribus ortum.
Namque illud bellum non parua ex parte fuisse
Hetrusca virtute, & nostræ robore pubis
Confectum, sic constat, vti nil certius, & nil
Clarius esse queat: modo si est annalibus, atq;
Historijs vt habere fidem possimus auitis.
Et certè ingenium nostris non defuit. immo
Pictores si fortè libet spectare recentes,
Aut etiam veteres: tum qui de marmore vultus,
Æreque, siue alio quouis sueuere metallo
Ducere, Lysippo, nec Apelli cedere dicas.
Quid referam quantos eadem genuisse poetas,
Scriptoresq; alios vrbs se iactetque, feratque.
Ipsa dies me deficiat numerare volentem

Nominaque, & laudes, & pulchra poemata vatum,
Doctaque, & ad seros olim ventura nepotes.
Ergo ego & indolui meritò, & succensus amore
Tantarum rerum, factiq; illustris, & alti
Clarandi studio, vix commoda carmina tanto
Argumento (elegos nimirum) & grandibus orsis
Conscripsi properans hæc ipsa. & mittere nondum
Ad COSMVM Medicem, Tuscis qui præsidet oris,
Qui signis, qui picturis præstantibus vrbem,
Altaq; substructis ad sidera molibus ornat:
Atq; Arnum veteri deducens flumen ab alueo,
Stagnaq; deriuans passim, segnesq; paludes
Ingenti sumptu, fœcundos efficit agros:
Oppidaq; ædificat Tyrrheno in littore, classesq;
Apparat innumeras, & portus munit apertos.
Hæc, inquam, quæ scripsi, illi mea carmina nondum
Mittere, quamquam omni studio, curaq; polita
Aut potui, aut volui: nec, vt ingenue fatear, sum
Ausus adhuc cum: præsertim cessisse viderem
Incassum toties mihi tot, tantosq; labores,
Quos ego susceptos subij iuuenisque, senexque,
Non modò gratum opus vt facerem venantibus ipsis,
Ingeniumque, astusq; docens, moresq; ferarum,
Et quo quæque modo, quaq; excipiatur ab arte:
Verum etiam vt COSMI laudes complecterer, alto
Sanguine quòd natus virtuti antistet auorum:
Quòd puer oblatas regni moderatus habenas
Fortiter, imperio Senas adiunxerit vrbem,
Claram vrbem, validamq; opibus florentibus, & quam

*Non semel inuictam moto Florentia bello*
*Senserat, & magnas acceperat æmula clades,*
*Cùm cuperet longè patrios producere fines,*
*Et sola Hetruscos latè regnare per agros.*
*Atq; equidem, ne quid simulem, numquã ante putaram*
*Euentura mihi tam dura, atq; aspera rerum*
*Tempora, vt hos prorsum sequerentur præmia partus*
*Nulla meos: nullus nec honos, nec gratia Musas:*
*Quarum ope sacraram famæ monimenta perenni.*
*Quin potius fore fingebam mihi credulus ipsi,*
*Perspecta vt virtus meritis æquaret honorem*
*Ipsa suis, certoq; loco consisteret, in quo*
*Iam spectata diu populo, patribusq; seueris*
*Se se aliqua fulciret ope, & muniret honeste:*
*Aut caueæ accepto plausu totius abiret*
*Exuuijs ornata decentibus. At neque præmij*
*Abstulit illa aliquid: neque quicquam è talibus ausis*
*Addidit ad cumulum veteris mercedis, vt esset*
*Mercedi æqualis merces, quæ quemque secuta est,*
*Et sequitur profitentem eadem, quæ pluribus annis*
*Haud planè inuitis Musis profitemur in vrbe hac,*
*Et nullis opibus, nullis & honoribus aucti.*
*Cùm tamen in bello, si quid præclarius egit*
*Centurioue bonus, milesue gregarius, illi*
*Menstrua continuò prætor conduplicet æra,*
*Atque ea magnanimis addat præconia factis,*
*Quæ timidos etiam ad virtutem accendere possint.*
*Verum ego, quamquam alij (dicam hoc doctissime Læli,*
*Liberè, an audacter? dicam quocumque modo, dum*

Dicam quod volo. tu verò, quæ maxima semper
Perspecta humani est in te clementia cordis,
Ignosces, si me iustus dolor angit, & omnes
Cogit iam fines animi transire modesti,
Personamq; verecundi deponere seorsum)
Quamquam, inquam, non vlli alij nostri ordinis esse
Inferior videar; quamquam noctesque, diesq;
Vrsi opus, in lucemq; dedi, quod forsitan olim,
Extincta inuidia, secum mirabitur ætas,
Sic iaceo tamen vt multis è millibus vnus,
Vt qui nec dederim specimen virtutis honestum,
Quod me vel vili possit seiungere turba,
Ne dum doctorum cœtu inseruisse virorum.
Et certè reliquis si me studiumque, laborq;
Reddidit æqualem: si operam voluere frequenter
Reges, & populi nostram conducere tanti,
Quanti opera illorum conduci sueuit, ad altos
Qui venere gradus doctrinæ huiusce, locumq;
Summum: etiam in primis fuerat iustumque, decensque,
Nec similem mihi mercedem, nec præmia deesse.
Atque hoc non vmquam (testis mihi Iupiter ipse)
Appetij, vt possem vitam traducere inertem
Segnius, & studio non vlli addictus, & arti:
Verùm vt pauperie sine turpi, & perpete cura
Ætatis producendæ, quæ vergit ad annos,
Temporaq; infirmæ iamdudum incana senectæ
Quod superest, æui si quid superesse futuri
Vult, qui cuncta potest, Phœbo, Musisq; dicarem.
Quòd si fortè illi mentem Deus adderet, vt me
Dignum post tertij quinquennia condita lustri
Ar-

Arbitraretur, cui se præbere benignum
Inciperet, nec desieri pateretur egenti,
Quod vitæ humanæ communiter expetit vsus:
Quale opus, & quantũ aggrederer? quo carmine laudes
Illorum canerem, atque ingentia facta virorum,
Sanguine qui proprio patriæ peperere salutem,
Vlti hostem, factiq; sui statuere trophæum?
Tum verò quales Cosmo, quantosq; tenebris
Eruerem è medijs atauos, & nocte profunda?
Quorum ardens virtus cessit non vllius vmquam
Virtuti inferior: vel quæ clarissima quondam,
Nunc autem obscura, & seclis incognita nostris
Nomina in æthereas reuocarem luminis oras?
Non ego tunc elegis exilibus inclyta facta
Mandarem: heroum numeris sed grandibus vsus
Implerem fortasse tuas sublimior aures.
Et tamen hoc ipsum, quod nunc tibi mittimus, ille
Si vultu lætus, si corde acceperit; omnem
Horum me credam fructum cepisse laborum.
Tu vale; & Angelio, qui te veneratur, & vnum
Obseruat, tanto ni forte indignus honore est,
Partem aliquam ipse tui Læli impertitor amoris.

AD

# AD PAVLVM MELISSVM, EPISTOLA. VII.

*VIDISTINE Melisse vmquã, dum lata pererras*
*Arua, quibus nomen Galli imposuere togati,*
*Atq; Apennini superas iuga celsa comantis,*
*Hinc atque hinc Italas medius qui diuidit oras,*
*Et sese Ionium sensim demittit in æquor:*
*Dumq; adeò celebres vrbes, quas influit Arnus,*
*Quasq; alias Medices gentis regnator Hetruscæ*
*Imperio regit, atq; armis, & legibus ornat,*
*Et cultos villis, vicisq; frequentibus agros,*
*Et colles, vallesq; imas, & stagna, lacusq;*
*Egelidos, nec non fontes miraris, & amnes,*
*Atq; vtrinque suas stringentia flumina ripas,*
*Munitasq; arces, & mœnibus ardua summis,*
*Vinctaq; præsidijs castella, atque oppida fidis,*
*Et studia, & mores hominum perdiscere curas:*
*Vidisti ne Melisse aliquid dulcissime, quod tu*
*Protinus augusta perculsus imagine rerum*
*Laudarisve magis, magis aut suspexeris vmquam,*
*Quàm Tyberim, & claræ collapsa palatia Romæ?*
*Quàmque adeò, quondam innumeris ornata trophæis*
*Compita, & extantes Pario de marmore moles,*
*Et Circi spatia, & Capitoli immobile saxum?*
*Nil certè (nisi fallor) ais. Sed si tamen ista*
*Esse neges, quæ te moueant virtutis amantem*
*Vnius, & regum spernentem regna potentum,*

*Interitura breui, & subita casura ruina,*
*Id moueat, quòd te doctrinæ insignibus auctum*
*Sedibus è patrijs venientem læta recepit,*
*Et fortunatos reditus tibi Roma precata est.*
*Quæ si vera putas, vt sunt verissima, partes*
*Esse tuas, mi Paulle, vides meminisse perinde*
*Illius, illorumque, colunt qui tecta Quiritum,*
*Vt te virtutes propter, quibus ipse refulges,*
*Ijdem animo æternùm, memoriq; in pectore gestant.*
*Quorum adeò numero si me me adiunxeris, vnus*
*Cunctorum vicos, & prata virentia temnam.*

# ANTONII ANGELII BARGAEI EPISTOLAE TRES.

## AD MARIVM COLVMNAM EPISTOLA PRIMA.



*I quis Democrito, qui magna floruit olim*
*Doctrina, & valdè sapiens est creditus inter*
*Mortales, iterum reuocato ad luminis auras*
*Aetherias, aliquem laudare hoc nomine tantùm*
*Contendat: longa serie quòd regibus vsque*
*A proauis, atauisq; suæ primordia gentis*
*Proferat, atque idem fæcundi iugera campi*
*Quod ter mille aret, & multo circumfluat auro:*
*Solaq; commemoret fortunæ dona secundæ:*
*Risu adeò quatiatur, vt hunc veluti furiosum*

*Vix tribus Anticyris sanari posse putaris.*
*Inmeritò. quoniam non est antiquus auorum*
*Vel titulus, vel nobilitas, quæ magna redundet*
*In nos, non aurum, non lati gloria regni*
*Laudanda: aut quicquid fortunæ munere nobis*
*Accedit: sed quod nostra virtute paratum,*
*Et magno sit gestum animo. nam si quid in æuo*
*Præterito egregiè nostri gessere parentes,*
*Hoc affert, animum vt stimulis impellat acutis*
*Ad magnas res cum magno sudore gerendas.*
*Aut certè tali nisi facta ad fortia segnem*
*Excitet exemplo, planè conuincat auitis*
*Indignum titulis, & claræ nomine gentis.*
*Sed velut à patrum virtute, & laude perenni*
*Quemquam degenerare nefas, vitiumq; putandum,*
*Sic illi, quicumque suorum æquare parentum*
*Virtutem aggressi, aut etiam superare, merentur*
*Non minimam laudem: nam quem maiore putamus*
*Supplicio dignum, quoties peccabit, eumdem*
*Ferre etiam maiora laborum præmia verum est,*
*Si rectè faciet. quantis tu laudibus ergo*
*Dignior, obscuris quàm qui maioribus ortus,*
*Si, quod cœpisti semel, hoc noctesque, diesque*
*Vrgebis vigili cura, facile hinc patet.imæ*
*Nam si classis homo factis ingentibus æquet,*
*Aut etiam anteeat summum, non impulit (aiunt)*
*Hunc diæ virtutis amor, neq; gloria, at ingens*
*Omnibus in rebus telum crudelis egestas.*
*Idem si prauorum hominum contagia vitet,*

Atque omnes scelerum facies: hunc fallere censent
Velle alios, aut terreri formidine pœnæ,
Quo minus à recto virtutis tramite deerret.
Sic plerumque audit, quamuis excellere malit
Virtute ante alios, cumulo quàm diuitis auri.
Auspicijs contra longè melioribus ille
Vitam agitat, qui præclaro de sanguine natus,
Pauperiemq; minus metuens, & vincula legum,
Quadrigis tamen, & passis fugit otia velis,
Quæ sint cum turpi vitio coniuncta: suæq;
Suscipit æternæ gentis pro laude laborem.
Omnia nam subitò peragrat loca gloria: & orbem
Terrarum numquam morituro nomine complet.
Quòd cum corporis atque animi vitare laborem
Posset, eum potius voluit perferre, beatam
Dum vitam parta virtute acquireret. Ergo
Quam laudem mereas, nemo est qui nesciat, omni
Vincere cùm virtute tuos meditere parentes,
Et Ducis eximij felicia iussa secutus
COSMI, res gerere egregias, quas docta laboret
Scriptorum manus ætati monstrare futuræ.
Interea, nostras dum pax colit aurea terras,
Scribere non cessas hominum quod mulceat aures
Doctorum: magnisq; tuis cum laudibus hic es
Totus: nec strepitus aulæ, nec murmura curas.
Nam cum alij in syluas, aut in iuga montis iniqui
Conueniunt, vt densa premant ad retia damas,
Fidentesq; fugæ ceruos, ijdemq; luporum
Comminus ancipiti transfigant ilia ferro:

*Vtq; acres venentur apros, & cætera passim*
*Per dumos, saltusq; agitent animalia, dum tu*
*Quod COSMO officium debes præstare, fidemque,*
*Numquam desistis, numquam comes ire recusas,*
*Quocumque ille viam secat anni tempore: siue*
*Frigore cum duro consistunt flumina: seu cum*
*Arida funesto moriuntur prata calore.*
*Attamen vt ventum in syluas, & lustra ferarum,*
*Non ne voluptatum genus hoc contemnis? & ipsum*
*Te venatorum clamori subtrahis? atque*
*Quos vnà comites campestrem educis in agrum*
*Perlegis auctores? vel qui transacta notarunt*
*Tempora, & annales scripsere ab origine gentis*
*Humanæ ad nostra hæc felicia secula: vel qui*
*Consilia, atque artes belli docuere gerendi?*
*Nonne etiam interdum miraris amabile docti*
*Virgilij ingenium? vel cum sub tegmine fagi*
*Dulce Syracosia modulatur carmen auena?*
*Aurea vel cum tradit agri præcepta colendi?*
*Aut idem grauiora sono post mœnia Troiæ*
*Capta docet Phrygias Idæo ab littore gentes*
*Aenea duce in Italiam venisse parentum*
*Antiquam sedem? manibus non sæpe Tibulli*
*Scripta teris? vel quæ facundus Horatius olim*
*Edidit? aut quemuis scriptorem denique eorum*
*E numero, quos nulla potest abolere vetustas?*
*Hinc varios flores decerpis, & aurea dicta*
*Depascens, animi secreta in sede recondis.*
*Post vbi sub noctem redeunt in tecta, tuæq;*

*Iam*

Iam licet intra claustra domus secedere longè
A turba, quod condideras modo promis, & vrges
Propositum, cœneq; parum, somniq; benignus.
Sic est. hanc operam das plurimus. inclyte perge,
Perge Mari: nec te vulgi deterreat vllus
Sermo: nec speres quicquam illustrare magis te
Posse, hoc quàm studium. neque enim tam clara virorũ
Facta, in marmoreis quæ sunt incisa columnis,
Nec quorum vultus duro Lysippus in ære
Formauit, nec quæ solers depinxit Apelles,
Quàm quæ descripsere bonorum carmina vatum.
Nec certè moriens Hector, quo stante Pelasgi
Non poterant rapidis populari Pergama flammis,
Non vrbs Lyrnessi direpta, aut nobile regnum
Eetionis, & excisæ tot funditus vrbes,
Clarius ostendunt laudes pugnacis Achilli,
Quàm suras Clio tragico subnixa cothurno.
Hæc semel vt tetigit grata dulcedine sensus,
Tunc quæ falsa hominum quisquam vix crederet, illa
Vt vera in nostris animis infixa relinquit.
Quod licet hinc tibi non dubijs cognoscere signis.
Nam quamuis olim Graij cum classe superba
Venerunt Priami populatum regna beati,
Vt perhibent, multos aduerso marte per annos
Pugnarunt: tandem fracti ferroque, fameque,
In patrios fines pelago rediere remenso.
Nobile sed tantum potuit florentis Homeri
Carmen, vti longo belli certamine Graios
Victores cessisse putes è littore Troiæ.

Sic

*Sic nemo est; magno qui non fateatur amore*
*Didonem Aeneæ totis arsisse medullis:*
*Cum tamen historiæ scriptores longè aliter, quàm*
*Virgilius, tradant: sed amabile carmen in imos*
*Irrepsit sensus hominum, penitusq; fefellit.*
*Tu quoque, si summum perges Helicona, nemusq;*
*Aonidum superare, sacra tua tempora fronde*
*Ornabis: tibi iam diuino numine mentem*
*Calliope quatiet: raptus quo dulcia finges*
*Carmina, quæ seclis poterunt audita futuris*
*Inflammare animos æternæ laudis amore:*
*Carmina quæ syluis olim cantauit in altis*
*Ismarius vates, rapidi cum flamina venti*
*Sisteret, & celeres lapsus frænaret aquarum.*
*Tum magni poteris magnis è regibus orti*
*Aequare & laudes, & fortia facta canendo*
*COSMI, cui summum Superùm regnator honorem*
*Egregias propter virtutes detulit, atque*
*Purpureos crines fulgenti nexuit auro,*
*Largitus sceptrum, populos cum vellet Hetruscos*
*Fluctibus è sæuis olim, sæuisq; periclis*
*Eripere, & miseros tranquilla in sede locare.*
*Ergo quò vitæ ratio tua te vocat, & quò*
*Te studium trahit, huc fausto pede dirige gressum.*
*Nec, quicquid plebs à Musis aliena loquatur*
*Contra, tu magnifacito: nec, si quis, vt est mos*
*Nonnullorum hominum, tua carpat liuidus, atque*
*Scribendi genus hoc totum corrodat acutis*
*Dentibus, idcirco deerres à tramite recto.*

*Immo iter inceptum peragas studiosius, hac spe,*
*Vt te florentem Tyrrheni ab littore ponti*
*Fama superstes agat, solui metuentibus alis*
*Extremos vsque ad fines habitabilis oræ,*
*Quà pater Oceanus deformibus obstrepit Indis.*

## AD GEORGIVM CORNELIVM EPISCOPVM TARVISINVM, EPISTOLA II.

*HOC omnes sunt ingenio, nisi fallor, ad vnum*
*Mortales, nullo vt pacto lenta otia toto*
*Vitæ curriculo possint traducere sic, vt*
*Nil aliud planè tractent. cognoscere primis*
*Hoc licet è puerorum annis: quo tempore lege*
*Naturæ viuunt. etenim formidine nulla,*
*Ne quid agant, nullo terreri verbere possunt.*
*Quod desiderium vitæ labentibus annis,*
*Quæ vis extingui, ac mutari nescia, tantas*
*Radices agit in nobis, vt munere Diuùm*
*Nolimus somnum concedi, quo fuit olim*
*Oppressus bonus Endymion venator in altis*
*Latmi verticibus: non si iucunda voluptas*
*Debeat in somnis nostros peruadere sensus.*
*Quin potius, si contingat, præstare putemus*

Immitem Lachesim vitalia rumpere fila.
Adde his præterea, qui curas, quique labores
Et fugit, & peius nigris serpentibus horret,
Sæpe tamen studioso animo fugit otia lenta,
Cum petit alueolum, cum ludos quærit inanes,
Cum longas sermone benigno conterit horas,
Cætera cum quærit vitæ solatia: tantus
In nostris animis amor est innatus agendi.
Idcirco quidam certis rationibus vsi,
Nonnulli temerè, ac, veluti sua quemque voluptas
Suasit, certatim studia in diuersa feruntur.
Ille igitur prorsus sese ciuilibus vndis
Immergit, quærens qua nam regat arte, modoque,
Mærenteis patriæ ciues, cum maxima clades
Impendet: vel cum tranquilla in sede locatos
Arcet ab aduersis rerum fortuna procellis.
Hic autem heroas magnos, & nescia vinci
Pectora miratus, dulciq; accensus amore
Militiæ, graditur bellum in lachrymabile, dites
Iam mensas, iam desidiam, luxumq; perosus:
Et calidi Solis patiens, & pulueris atri.
Plerique indociles inopem traducere vitam,
Tyrrhenos fluctus, & inhospita saxa peragrant.
Artibus in claris alij, clarisq; repertis,
Quæ veteres liquere olim quæsita labore
Magno, consumunt quodcumque hoc degitur æui.
Sic alij tractant aliud, ne singula dictis
Persequar, & studia, & curas. hac compede mentes
Sunt hominum vinctæ; his nodis cælestibus aptæ.

*Sed quia diuersis mortalia corpora constant*
*Principijs, diuersa etiam fateamur oportet*
*Grata esse. idcirco, veluti plerumque videmus,*
*Ex immutatis studijs fit blanda voluptas.*
*Nam cum defixis oculis, & pectore prompto*
*In re aliqua multas auidi consumpsimus horas,*
*Nos tamen interdum capiunt fastidia sic, vt*
*Ne vlterius liceat vestigia figere: quare*
*In medio fessi spatio languescimus ante,*
*Quàm longè optatam possimus tangere metam.*
*Sic aliò tontusam aciem traducimus acris*
*Ingenij: velut humanæ pars improba cogit*
*Naturæ, a recto mortales tramite sæpe*
*Propterea cedunt, tales cum frangere leges*
*Sese posse negent: ex quo consueuit oriri*
*Non minima vtilitas. nam mens quasi nacta quietem*
*Optatam, extemplo rapido feruentior amne*
*Posthabitas res inuadit, tempusq; resarcit.*
*Ergo ij, quos varia Calabris in finibus olim*
*Doctrina erudijt, prognatus sanguine Tusco*
*Pythagoras, simul ac studuissent abdita rerum*
*Percipere, obtusam mentem, saturumq; solebant*
*Tranquillare animum cythara, fidibusq; canoris.*
*Quin etiam ductor Pharsalæ classis Achilles,*
*Cum longùm belli cura semotus ab omni*
*Ad suauem cytharæ strepitum, Thebanaq; plectra*
*Magnanimùm heroum laudes, & fortia facta*
*Cantasset, tandem Musis satiatus ad arma*
*Sæuior, & rapidis ventis, & turbine diro*

*Concessit, celeresq́; pedes tulit Hectora contra,*
*Hectora, qui Graios crudeli marte necabat.*
*Tu quoque, dum COSMI sublimia tecta frequentas*
*Pontificis summi Orator, curaq́; sagaci*
*Exhauris mandata Pij, verumtamen, etsi*
*Hac causa totumq́; diem, noctemq́; labores*
*Peruigil, interdum longè in diuersa necesse est*
*Inuitus rapiare, ad munera nempe futura*
*Vt fessam mentem recrees, quæ plurima longo*
*Ordine succedunt, velut vnda fugacibus vndis.*
*Certè ego dum vigili studio, quibus omnia primùm*
*E rebus constent, & qua ratione creentur,*
*Quò rursum redeant spatio confecta vetusto,*
*Inquiro: ac disco valida ratione, rotundo,*
*Esse opus, vt totum consistat corpore cælum,*
*Certis inclusum spatijs, motuq́; cieri*
*Perpetuo, & rabidis non posse à dentibus æui*
*Corrodi: contento animo dum scire laboro,*
*Aurea quo cæli moueantur sidera motu:*
*Et quare æternæ tellus damnata quieti*
*Nesciat è media mundi regione moueri:*
*Omneis cur pelagus terras, cur sepiat aer*
*Vndique Neptuni fluctus, salsasq́; lacunas:*
*Hoc duce, qui veluti liquidis Sol aureus vndis*
*Egressus clara spoliauit sidera luce,*
*Sic famam extinxit Graiùm, quos prima tulere*
*Tempora, dehinc etiam quos postera protulit ætas:*
*Ipse, inquam, cupida peragro dum talia mente*
*Noctes atque dies: tamen ijs plerumque relictis,*

*Quòd soleant nostros Musæ lenire labores,*
*Mirus Apollineæ frondis sum cultor, & amnes*
*Poto Castalios, & recto calle beatas*
*Viso Musarum sedes, pulchrosq; recessus.*
*At simul ingenij reparatæ in pectore vires:*
*Tum pede felici, quò me vetus illa cupido*
*Raptat agens, iterum cursus inuado relictos.*
*Sic videor metam propius contingere, quàm si*
*Ipsam non vmquam deserto calle petissem.*
*Quando ergo vtilitas oritur tam magna quiete*
*Ex interposita, non admirabere, quare*
*Hæc tibi sim Latia modulatus carmina lingua,*
*Exopto monstrare mei dum testibus illis,*
*Erga te quàm sint arctissima vincula amoris:*
*Ex quo me doctrina tua, & prudentia, & ingens*
*Integritas multis rebus spectata, volentem*
*Adiunxere tibi, & nodo vinxere tenaci.*
*Nec tu etiam, lauri semper frondentis amator,*
*Id genus abiectis contemnes otia Musis.*
*Nam cur sectari veterum vestigia vatum*
*Quemquam hominē pudeat? cum vertice sidera tangat,*
*Cuius Thespiades caput impediere virenti*
*Lauro. præterea quorum dixere poetæ*
*Sacri virtutes, non illos secula centum*
*Viderunt vectos in famæ curribus altis?*
*Certè equidem haud dubito, quin tu quoq; docte Georgi*
*Scriptorum genus hoc credas dignum esse, quod omnes*
*Omnibus officijs, & magnis laudibus ornent.*
*Ergo vtinam me Calliope blandissima sancto*

*Incitet afflatu, raptus quo carmina fingam.*
*Tunc etenim ( sacris quoniam concessa poetis*
*Dicendi vis mira, atque hyblæ copia melle*
*Dulcior, argutas cantu quæ decipit aures,*
*Cum terrore animum replet, aut perfundit inani*
*Lætitia, aut quoties incendit tristibus iris,*
*Aut etiam magno risu quatit, atque ita nostros,*
*Quò libuit, sensus lentis quasi flectit habenis )*
*Tunc igitur, si quid veri mens præuidet, aures*
*Sæpe tuas blandè allicerem. tu victus ab huius*
*Illecebris, & mellita dulcedine cantus,*
*Iurares verè, non ficto pectore, multis*
*Me tunc officijs ornandum, & honoribus esse.*
*Sed quoniam nec tanta manent me præmia, nec spes*
*Scribendi, quod in hoc, & longum viuat in æuum,*
*Hoc contentus ero, leuia hæc si carmina nostri*
*Esse voles in te monimentum, & pignus amoris.*

# AD ANGELVM NICOLINVM, EPISTOLA III.

*EXIMIVM claræ patriæ decus Angele, paucos*
*Inuenias homines, quicumque à littore Rubri*
*Sunt maris ad Gadum fines, Solemq; cadentem.*
*Quorum si in populis industria magna regendis*
*Luceat; ijdem etiam pectus virtutibus ornent*
*Ingenuis adeò, vt quoties licet, omnibus à se*
*Amotis longè curis grauioribus, illas*
*Toto amplectantur studiosi pectore. quo tu*
*In numero positus, cum rerum fluctibus atris*
*Iactere, & varia curarum mole labores,*
*Et COSMO, & patriæ sapiens dum consulis: vrbem*
*Sæpe tamen, tibi quæ negat otia pulchra, relinquis*
*Fessus; & vmbriferæ sectaris commoda villæ.*
*Mirus vbi cultor Phœbeæ frondis, & amnes*
*E potus sanctos modularis carmina auena,*
*Quæ doctas aures grata nouitate morentur.*
*Sic tamen, vt videas etiam quæ carmina fingat,*
*Quamuis culta parum, sacri nouus incola montis,*
*Dum tibi sit magno coniunctus fœdere amoris.*
*Quocirca bene quando audis hoc nomine, versus*
*Hos ad te misi: breuiter quibus accipe, quare*
*Tempus adhoc vixi statua taciturnior ipsa:*
*Qui tibi sim magno coniunctus fœdere amoris.*
*Si pollerem acri ingenio, quo Cassius olim*

*Parmensis, nec me dicentem florida rerum*
*Copia deficeret; sed, tamquam iugis aquæ fons,*
*Manaret permulta meo de pectore, sæpe*
*Te compellassem; sed enim concludere versu*
*Si quicquam volo, præsertim quo tempore canas*
*Bruma niues largè Tyrrhenis illinit agris,*
*Protinus Oeagri coniux formosa canentem*
*Deserit, & dulces lauri victricis honores*
*Inuidet, atque ad se sophiæ blandissima Siren*
*Non patitur rapiens aliò conuertere mentem.*
*Sed simul ac cœpit placidi spirare Fauoni*
*Aura leuis, Floræq; sacri procurrere menses,*
*Sub iuga dissimiles animos quæ mittit ahena,*
*Interdum genus hoc studiorum linquere cogit*
*Vicinus calor, & tempestas aurea verni*
*Luminis, ad colles hortatur adire beatos*
*Castalidum. in primis virtus tua magna, meusq;*
*In te dulcis amor, quem nulla iniuria, nulli*
*Temporis anfractus poterunt abolere prius, quàm*
*Cælicolùm iussu vitalia lumina linquo,*
*Ad versus, & ad hæc Musarum sacra volentem*
*Seuocat, inq; diem stimulis magis vrget acutis.*
*Nam cum me toruo pridem crudelis egestas*
*Terreret vultu, velut impia Tyndaris olim*
*Cum gnati flammis vltricibus ora petebat;*
*Quæ mitis natura tua est, & candida, prompto*
*Pectore sanasti fortunæ vulnus acerbæ,*
*Confugi simul ac ad te: meq; omnibus ipse*
*Iuuisti officijs. quæ non ingratus abeua*

In mentis tabula scripsi: ne forte putaris
Jn vas pertusum latices fudisse liquentes.
Sed, cum re nequeam munus persoluere dignum,
Certè quod potero testabor carmine, quantum
Deuinctus tibi sim. quæ non erit infima merces:
Omnia cum benefacta velint in luce locari.
Nam, quamuis interdum homines virtute quiescant
In sola, tamen è multis vix millibus vnum
Aut æquè dignum decorari laudibus amplis
Efficiat, quàm si miseris fecisse benignè
Gaudeat, & semper velit omnibus esse beatè.
Quarum cum fueris valde, nisi fallor, auarus,
Hæc animaduertens, tua quæ prudentia summa est,
Pulchra Tarentini sequeris præcepta magistri,
Atque aliorum hominum, qui nos hac viuere lege
Dicunt, vt nostri partem sibi vindicet ortus,
Cum pater, & genitrix: tum, quæ nos patria tellus
Excepit gremio, cùm primùm lumina vitæ
Attigimus: partemq; alij, quibus est opus, vnde
Iure homines hominum causa videantur oriri:
Vt docuit sapiens Chrysippi porticus. ergo
Illi quàm longè à recta ratione ferantur,
(Qui nobis suadere volunt, vt prorsus ab omni
Seiuncti populi turba, callemq; secuti
Ignotum, sic viuamus, ne viuere quisquam
Nos sciat, aut tacitæ consumi frigore mortis:
Sic etenim fore vti comitem se blanda voluptas
Præbeat, & vitæ peragantur suauiter anni)
Mecum colligito. cuiuis cognoscere promptum est,

Talis quo pacto præcepti inuentor, & vnà
Addictus disciplinæ grex illius omnis,
Hoc vnum studuere, vt dignos laudibus omnes
Non solum patriæ ciues, sed & vltimus orbis
Sciret. prauè igitur faciunt, positoq; pudore
Decipiunt: nam verba nihil moror illa; sed odi
Aduersi quibus, & mores, & facta repugnant.
Præterea quibus hæc instillant aurea dicta?
An ne illis, rerum quos mira inscitia fœdat?
Et quos dedecorat vitij turpissima labes?
Verum hoc persimile est, ac si quem maxima febris
Cum tenet, aut alius morbus, tum dicere pergant:
I, petito obscuram noctem, fuge lumina Solis,
Vt, quo sis morbo correptus, nesciat artem
Doctus Pæoniam: qui te tibi parcere cogens
Eximat è nigris Orci vastisq; lacunis:
Tu quoque deformi vitiorum ærugine fœdus
Fac lateas sapientem hominem, ne fortè modum quem
Apponas, aut fortè fuges vitia omnia duris
Virtutum nodis, & ahena compede vinctus.
Huncine in obscuram vitam ratio vlla relegetè
Quòd si præcipiunt illi, qui semper honestè
Vixit, & insigni doctrinæ lumine claret;
Plurima qui possit mortali commoda vitæ
Afferre, vt cœtu viuat secretus ab omni.
Nonne Epaminondæ suadent absistere bello?
Ne segnes homines ad ferrea concitet arma,
Tristia quum miseris impendent funera Thebis?
Neve idem propere Graiorum vindicet vrbes
Tur-

*Turpiter oppressas? non hoc suadetur & illi,*
*Qui sibi deuictis inuenit nomen ab Afris?*
*Ne patriæ ferat auxilium, quo tempore sæuus*
*Annibal occisis hominum tot millibus, vrbes*
*Hesperiæ miseras ferro, flammaq; lacessit?*
*Atqui si in cæcis tenebris latuisset ad vsque*
*Extremum vitæ spatium, iam forsitan orbis*
*Imperium concessisset gens Romula Pœnis.*
*Ergo ne præstiterit fallentem ducere vitam,*
*Ne, si præsidium queat esse, & stella salubris*
*Huic homini, mutata retrorsum quem tulit aura,*
*Subleuet, aut doceat fortunæ ferre superbæ*
*Imperium: ne sit demum mirabile cuiquam*
*Virtutum exemplar? quo ductum ignobile vulgus*
*Sæpius exarsit magno virtutis amore,*
*Ac magis à vitijs sanum se reddidit, atrox*
*Exitium quæcumque ferunt, aut nomen inurunt*
*Famosi, quàm si certis rationibus ipsum*
*Absterrere velis. nec tu vir candide nescis,*
*Quo pacto ignaua languescunt corpora vita:*
*Languescunt animi. ac veluti si fortè cauatis*
*Delituit fossis cumulus collectus aquarum,*
*Fluxerit vt nusquam, breuibus computruit horis:*
*Sic hominum, qui se non nota in sede locarunt*
*Disiuncti procul à vulgo, rerumq; molestis*
*Fluctibus; horum, inquam, tum vis in rebus agendis,*
*Tum dotes animi longa rubigine torpent.*
*Non ne videmus vti noctis caligine nigra*
*Accedente, malus mortalia corpora languor*

Inuadit? fractiq; animi torpedine quadam
Esse videntur? & ipsa etiam, quasi languidus ignis,
Mens oppressa parum viget? at cum pulchra diei
Tela renascuntur, videas è mollibus omnes
Mortales stratis exurgere, & acriter illò,
Quò iussit vitæ ratio suscepta, reuerti.
Tanto igitur præstat lumen squalentibus vmbris,
Quantum concedit vitæ mors lugubris, vnde
Amplecti lucem par est, odisse tenebras.
Sic mihi qui nullis traductum testibus æuum
Laudarunt, vano in tumulo se condere viuos,
Ac propè vitales auras damnare videntur,
Naturamq; ipsam: quæ nos in lumina Solis
Edidit, & blandum discendi inseuit amorem.
Quapropter? fugiamus vti vestigia longè
Illorum, qui nos vitæ præcepta beatæ
Edoceant, nostrumq; animum virtutibus ornent
Ingenuis? & præcipue si reddere possint
Causas, cur hæc sint tamquam meliora petenda,
Hæc tamquam peiora cita fugienda pedum vi?
Si possint animo spinas euellere acutas?
Nam cum nos cogunt ingratum conterere æuum
Tristitiæ, vani terrores, anxia cura,
Vtrum quid sit opus facto castissimus heros
Bellerophon doceat? qui tempestatibus atris
Mœrorum oppressus, loca deuia solus amabat
Incolere, & tritos calles vitare, suum cor
Dilacerans, veluti campi testantur Alei?
Non ne hoc ridiculum? aut potius miserabile? non ne


*Est melius sapientis amici limen adire*
*Posse, graues curas penitus qui pellat ab ægro*
*Pectore, vel minuat, pulchra & memoranda locutus?*
*Atqui non licet hoc, modo si præcepta sequamur*
*Istorum: quia si ignoti viuamus, amici*
*Nobis defuerint. sic verò possumus omnes*
*Omnia suppeditare vicissim commoda vitæ.*
*Ille igitur recte concedet in abdita, vel qui*
*Toto animo, & tota cœlestia mente capessit:*
*Vel nullius egens, qui vni sibi commodus, odit*
*Humanum genus, atque Deo concedere terræ*
*Imperium non vult: animoq; minatur acerbum*
*Interitum, simul ac de corpore cesserit. at te,*
*Illum qui morti demis, cæliq; beatum*
*Sedibus affigis, si purè vixerit; atque*
*Si contra impurè, limoso tradis Auerno,*
*Non reliquum vitæ spatium decurrere eodem*
*Pacto tædebit: sed aperta in luce moratus*
*Consiliisq; bonis, &, qua potes, arte iuuabis*
*Oppressos tetris fortunæ cladibus: vnde*
*Dulcia magnanimæ virtutis præmia carpes:*
*Cum te perpetuo grati, memoresq; tuorum*
*Mortales in se meritorum ad sidera tollent.*
*Sin secus obliti faciant, vt sæpius vsu*
*Euenit, non ipse tamen vereare nocentes*
*Ne pœnis pro delicti genere vrgeat æquis,*
*Et te respiciat domus ætheris, vnde bonorum*
*Aureus æterno tibi defluat ab Ioue riuus.*

# PETRI ANGELII BARGAEI CARMINVM.

## LIBER I.

### AD FERDINANDVM MEDICEM CARDINALEM Cosmi Magni Ducis Hetruriæ F.





*HÆC, mihi quæ faciles dictarunt carmina Musæ,*
*Dum florens ætas lusibus apta foret,*
*Ferdinande tuis quamuis indigna putarim*
*Auribus, atque vllis queis habeatur honos;*
*Qualiacumque tamen statui tibi mittere, vt vnum*
*Te victura diu, te moritura colant.*
*Nam cui me fortuna prius, mox grata voluntas*
*Addixit, multis demeruitq; bonis,*

Huic nostræ par est horæ famulentur, & haud me
Immemorem tanti testificentur heri.
Quem iam nec tristes casus, neque prospera rerum
Euenta, è nostro corde fugare queant.
Quòd, nisi Pierides, & vatum numen Apollo
Abnuerint numeris rursus adesse meis,
Ipse olim vitæ quibus illustraueris actis
Præsentem ætatem, fama loquetur anus.

## AD COSMVM MEDICEM MAGNVM DVCEM HETRVRIAE.

QVANTVM picturæ, statuisq; poemata præstent,
O Dux magnorum maxime COSME Ducum,
Inde patet: quòd quæ Cous iam pinxit Apelles,
Quæq; adeo excudit marmora & æra Myron,
Præterquàm breuibus quòd tum conclusa fuerunt
Finibus, & populo vix bene nota suo,
Cuncta etiam externis cecidere euersa sub armis,
Ac nunc perpetua condita nocte latent.

Sed

*Sed quæ Virgilius, quæ quondam scripsit Homerus,*
*Quæve alij Aonijs turba sacrata choris,*
*Præterquam totum quòd se effudere per orbem,*
*Fecere & numeris omnia plena suis:*
*Nunc quoque post tantum tempus, post secula mille,*
*Postq; tot Italiæ bella cruenta, vigent.*
*Cumq; ijs Aeneas Tros, & Pelleus Achilles,*
*Sisyphiusq; Ithacus docta per ora volant.*
*Nec minus Augusti nomen diuina celebrat*
*Fama, atque insigni cum pietate colit:*
*Tu quoque, mirandis cuius virtutibus astra*
*(Ne meritas laudes deterat vlla dies)*
*Jam vatem peperere: faue Dux optime vati,*
*Cuius carminibus iam rediuiuus honos*
*Heroum surgat, proprio qui sanguine quondam*
*Soluerunt patrios obsidione lares,*
*Innumerasq; animas leto fudere per agros,*
*Quos rigat & Minio Tuscus, & Arnus aquis.*
*Vlturus Cimbros tunc cum Radagasus, auosque,*
*Duxerat è Scythia millia multa virùm.*
*Iamq; adeò fœdis Italas affecerat vrbes*
*Cladibus, atque ipsi mœnia multa solo*
*Aequarat, Diuùmq; euerterat aurea templa,*
*Inq; dies cædes accumulare nouas*
*Ibat: nec pueris, senibusq; trementibus æuo,*
*Nec nuribus parcens, virginibusq; pijs.*
*Quam tu tum faciem rerum (Dux magne) fuisse,*
*Italiam gemitus quosve dedisse putas?*
*Italiam regum sedem, heroumq; parentem*

*Assuetamq; orbis totius esse caput.*
*Ille, velut cælo demissum fulmen ab alto,*
*Quod cinctum nimbis, turbinibusq; ruit,*
*Et veteres imis radicibus eruit ornos,*
*Inuoluitq; atris ignibus omne nemus:*
*Quà quà ibat fusurus opes, viresq; Quiritum,*
*Consuerat ferro latè aperire viam.*
*Omnia lugebant subita prostrata ruina:*
*Inq; animis hominum nil nisi terror erat.*
*Ipsaque, quæ summis in montibus oppida sese*
*Munierant armis, præsidioq; loci,*
*Aduentanti hosti subitò reclusa patebant,*
*Ne luerent paruæ supplicium inde moræ.*
*Tu sola haud amplis etiam tum mœnibus aucta,*
*Amnis & haud medio dissociata vado,*
*Barbariem portis excludere es ausa furentem,*
*Primaq; Teutonicas spernere Flora minas.*
*Illa vias, aditusq; omnes insederat: illa*
*Implerat, quantum vallis vtrinque patet.*
*Nec collis, despectat agros vnde alta virentes*
*Fæsula, non multo milite tectus erat.*
*Omnia complerant acies iuga montium, & omnia*
*Ære renidebant, esset vbi orta dies.*
*Timpanaque, horribilesque tubę, strepitusq; frementum*
*Excibant fortes ad fera bella duces.*
*Inter quos gestans primos Radagasus honores*
*Cimbrorum ex alto sanguine natus, ait.*
*Ergo ne tot menses vrbem oppugnabimus vnam?*
*Nec dabitur manibus diripienda meis?*

*Et, cui non ausa est lectas opponere vires*
*Intranti Italiam Roma superba suas,*
*Se longas fecisse moras Florentia dicet?*
*Imprimet & tantum dedecus ista Getis?*
*Ite igitur socij, certatim inuadite muros,*
*Vosq; illuc per vim desiluisse iuuet.*
*Viuida non amat ex æquo concurrere virtus,*
*Nec tales animos Vistula, & Ister alunt.*
*Sic dicens pariter se suscitat acer in armis,*
*Cunctamq; ad muros cogit adire manum.*
*Illa volat: circumq; omnes cinxere corona,*
*Seq; alius alium calce terente premunt.*
*Missilia extemplo iaciuntur tela, facesque:*
*Et glans in morem grandinis acta ruit.*
*Saxa pluunt, lapidesq; graues, queis icta fatiscunt*
*Mœnia, queis domuum tecta, trabesq; labant.*
*Completur iaculis cœlum, leuibusq; sagittis,*
*Et multo scalas milite turba grauat.*
*Quarum aliæ substant stabiles, & summa capessunt,*
*Fractæ aliæ rursus deijciuntur humi.*
*Dumq; adeo coeunt vnà virtusque, pudorque;*
*Et sæuas properant quisque subire vices:*
*Hi se vt defendant, illi potiantur vt vrbe,*
*Ingentes fossas corpora cæsa replent.*
*Atque ipsi in muris vix iam consistere ciues,*
*Vix iam præsidio turribus esse queunt.*
*Accurrunt matresq; simul, teneræq; puellæ,*
*Atque ope pugnantes, qua pote quæque, iuuant.*
*Hæc liquidas festina pices, hæc tela, facesque,*

Hæc multo calidas igne ministrat aquas.
Est & quæ vino vires renocatque, fouetque,
Et tempestiuos suggerit vsque cibos.
Ipse tamen semper magis ac magis integer hostis
Ingruit, & iam iam mœnia victor habet.
Tum verò acceptus cœlo, & gratissimus vnus
Aeternoq; hominum, Cœlicolûmq; patri,
Zenobius, qui pòst heroibus additus astra
Accolit, & precibus rite vocatus adest:
Suspiciens stellas supplex, & ad æthera tendens
Brachia, sollicito fudit ab ore preces.
O, qui sæpe aliàs, Diuûm Rex magne, tulisti
Afflictis rebus commiseratus opem,
Si te cura subit nostræ nunc vlla salutis,
Ararum tua si pectora tangit honos:
Aspice quàm magnis hostis tuus irruat ausis,
Quàm ferus in populum sæuiat ille pium.
Nec prosunt turres, nec propugnacula nobis,
Nec pinnæ auxilium, nec tabulata ferunt.
Ipsaq; deficiunt animi fortissima corda:
Et nostro tellus sanguine tincta madet.
Aspice summe pater: nec, si qua admisimus, vsquam
Auertant oculos impia facta tuos.
Et simul immanes depelle à mœnibus hostes:
Depelle à templis tela, auidasq; faces.
Hæc mecum pueri insontes, castæq; puellæ,
Et timidæ matres, inualidiq; senes,
Hæc eadem, sacrum quarum caput infula cingit,
Orant, & lachrymis ora sinusq; rigant.

Annua

*Annua sic hæc lux reparatæ festa salutis*
*Aeternùm ante aras luceat alma tibi.*
*Testeturq; isto surgens de nomine templum,*
*Templum ingens, multa & relligione sacrum,*
*Te iam captam vrbem certæ eripuisse ruinæ,*
*Ciuibus & muros restituisse suos.*
*Hæc ille. Et refici vires in prælia pubes*
*Sensit, & est membris additus inde vigor.*
*Ergo alacris iuuenum manus emicat, & petit vltro*
*Arma pharetratis obuia ferre Getis.*
*Spondet & egregia virtute innixa futurum,*
*Ipsa vt barbaricum fundat, agatq; globum,*
*Si subito hinc, atque hinc portis egressa reclusis*
*Hostis in auersi terga repente ruat.*
*Id verò patrum vix concedente senatu*
*Impetrat. atqui erat ijs hæc reliqua vna salus.*
*Protinus illa igitur portis erumpit apertis,*
*Et multo madidam sanguine tingit humum.*
*Territus a muris confestim auertitur hostis:*
*Nec Dux ipse potest iam cohibere fugam.*
*State viri: mihi capta luet Florentia pœnas:*
*Et iam iam labem templa, domusq; dabunt.*
*Efficite, exemplo reliquis sit vt vrbibus vna hæc,*
*Et tutum vobis hinc patefiat iter.*
*Hic vos, hic, inquam, victricia signa Getarum*
*In Capitolini sistitis arce Iouis.*
*Sic socios Radagase tuos hortaris. at illos*
*Vrget anhelantes, versaq; terga ferit*
*Tusca phalanx. cuius princeps insignibus armis*

*Agmen*

Agmen agens Medix ibat, & altus equo.
Imperij Medix ductum cognomen ab Oscis,
Cognomen, quod non deleat vlla dies:
Ibat, & in turmas animis tendebat auitis,
Inq; ora, inq; oculis ignis, & ardor erat.
Fulgebant longè in media mala aurea parma;
Quæ quondam Hesperidum mala fuisse ferunt.
Tempore quo Mauros inter fortissimus omnes
Imperium Libycus fortè regebat Atlas.
Illa sua assiduè seruabat in arbore toruus,
Atque ardens oculis, tergoribusq; draco.
Non noctu, non luce vmquam fera lumina somno
Claudere, non aliò flectere suetus iter:
Sed ramis hærere vigil, custosq; tueri
Aurum: atque hospitibus maximus esse metus.
Horrendum trifidis lambebat sibila linguis
Ora: etiam si quem viderat ire procul.
At bonus Alcides nec longa volumina caudæ,
Nec timuit multis terga cruenta notis.
Sed claua aggressus vigilantem, ac torua tuentem
Perculit, haud dubio marte, deditq; neci:
Malaq; decerpens Tyrrhenum auexit ad Arnum,
Fæsula cum à tanto est ædificata Duce:
Fæsula, cui nullo moriturum nomen in æuo
Indidit Atlantis filia pulchra senis:
Quam nempe & captam cum iam victoris amore
Discessuram à se cerneret altus Atlas,
I, felix mea nata (inquit) comes Herculis, & te
In Tuscis tanto sub Duce siste iugis.

Ma-

Malaque, quæ nostris coniux tuus abstulit hortis,
  Seq; relaturum forsitan esse putat
Argolicum ad regem, soli tibi nata relinquet:
  Et dicet magni hæc pignora amoris habe.
Quæ mox & nati, & natorum à stirpe nepotes
  Seruent, & gentis sint decora alta meæ.
Hæc ille. & Tuscos cum primùm venit ad agros,
  Vxori Alcides aurea mala dedit.
Ac mox discedens, ferat hæc (mea Fæsula) dixit,
  Quicumque è nostro sanguine natus erit.
Illa igitur scuto Medicen impressa gerentem
  Vt procul aspexit dux Radagasus, ait:
Hic, inquam, hic Scythicos qui nunc fulgente maniplos
  Ære fugat, nostro cæsus ab ense cadat.
Et, quæ nunc auro fert illita mala micante,
  Iam nunc de domini tincta cruore ferat.
Sic fatus iuuenem aggreditur. petit ille petentem,
  Armaque, & audaces miscet vterque manus.
Cumq; adeò multis confossi pectora plagis
  Sanguine sparsissent arma, suosq; sinus:
Concidit in medio certamine barbarus hostis,
  Et viridem moriens ore momordit humum.
At Medix exemplum vrbi, gentique, domoq;
  Ipse suæ, & specimen grande futurus abit.
Quęq; auri multo splendebant mala colore,
  Rettulit ad ciues sanguinolenta suos.
Ac nunc vt facti semper monimenta supersint,
  Scutum auro fulget, sanguine mala rubent.
Quæ quantum nostro splendescere carmine possint,

O Dux

O Dux magnorum maxime COSME Ducum,
Quantũ antiqua queat Medicùm domus, inclyta quantũ
Innumeris virtus se tua tollere auis,
Conatus ni dura meos fregisset egestas,
Iam foret in toto notius orbe nihil.
Et tamen hac in re cunctas impendimus horas,
Quas licet: & carmen pangimus omne tibi.
Forsan & hoc inter tua tot decora inclyta paruum
Non erit in longa posteritate decus.

## AD MARCVM TVLLIVM BEROIVM.

QVOD tibi nondum etiam grates persoluimus vllas,
Vllaq; nec nostri munera detulimus
Ingenij, tanto quæ par fuit interuallo
Mittere, non parui fœnoris aucta mora,
Nolim id me fecisse putes, quòd fastus inani
Vento inflet, multumq; ipse mihi tribuam,
Aut, quoniam omnino vita iam deside fractus
Ipse mei nusquam sim memor officij:

Offi-

Officij, cuius capient obliuia me tum
  Denique, cùm in noctem lumina perpetuam
Occludam, neque iam quicquam cœlestibus vllis
  Debentem ipsa suo terra teget gremio.
Sed quia tantarum memet præconia laudum,
  Et numeris abs te, carminibusq; tuis
Mandata, & magnum in primis testantia amorem,
  Quem meus in te mi conciliauit amor
Perpetuus, suspensum animo tenuere, tuo quæ
  Merces ingenti munere digna foret;
Quam me pro innumeris meritis, proq; indole tanti
  Ingenij expensam ferre tibi esset opus.
Ne te incusare, & tacitè reprehendere posses,
  Quòd, quæ vix magnis vatibus attribuas,
Sic mi impertieris, vt quamquam conscia mens est
  Ipsa sibi, talem me tamen esse rear
Beroi, qualem tua pagina prædicat, & me
  Decipere hac animum credulitate iuuet.
Sed certè (quid enim dubitem tibi dicere verum?
  Aut quid, quod notum est omnibus, inficier?
Me mea Castaliæ cultissima numina quondam
  Squalentem ignauo deseruere situ,
Et longum dixere vale: quia rarior arteis
  Illarum, meus vt mos erat antè, colo:
Frigidaq; obrepens membrisque, animoq; senecta
  Inculti vireis atterit ingenij:
Quòdque poetarum commercia grata frequentem
  Interdum, atque ipsi me mihi surripiam,
Inq; nemus, syluamq; abdam, quæ plurima Phœbo

*Floret, & æternis perstrepit alitibus,*
*Increpat: & rudibus vix hos inscribere chartis,*
*Quos tibi nunc meditor versiculos patitur.*
*Huc etiam accedit, quòd postquam Hetruria bello est*
*Vexata, atque atris litibus implicuit*
*Roma orbem, armorumq; innexuit improba causas;*
*Et pax exul abit finibus Ausoniis,*
*Nullus honos Musis, ratio non vlla laborum*
*Est habita, & nulli præmia proposita*
*Doctrinæ, & studiis merces ablata bonarum*
*Artium, & earumdem semper amica parens*
*Concidit, heu, regum larga, & prolixa voluntas,*
*Nilq ue adeò, quo se iam tueantur, habent.*
*Non secus ac Scythiæ cùm Barbarus incola terræ*
*Euerso Latii funditus imperio*
*Obtinuit regnum in media (proh dedecus) vrbe,*
*Pressit & Italiæ libera colla iugo,*
*Expulsisq; bonis procul vndique disciplinis,*
*Inuasit fœdans omnia barbaries.*
*Quare, etsi forsan non infeliciter arteis*
*Tractarem quondam maxime Phœbe tuas,*
*Carminaq; assiduè canerem, nunc fractus, & expes*
*Huius curam omnem deposui studii.*
*Quo tamen vt residemq; animum, ingeniumq; labori*
*Desuetum multo tempore post reuocem,*
*Sæpe precor Musas supplex, dent se mihi quales*
*Tum dederant, cùm ætas florida Ver ageret,*
*Atque incredibili laudum flagraret amore,*
*Speq; bona in primis credula sese aleret.*

Quod certè ipse quidem valde cupioque, voloque,
Si quid valde aliàs, aut volui, aut cupij,
Non satis vt tantum faciam tibi, cui satis vni
In primis factum magnopere esse volo,
Verum vt, quę in manibus multos malè prouidus annos
Informata habeo, protinus absoluam,
Perpoliamq; acri tandem simul omnia lima, &
Nil imperfectum, nil rude sit reliquum.
Atque hoc si mihi contingat, votumq; secundent
Hoc mihi si vatum numina Pierides,
Pendebit mea tum sublimi è fornice templi
Fistula: & haud vno tibia nota sono.
Tuque adeò meritas possis ibi dicere laudes,
Et de me carmen condere veridicum:
Postera quod quondam secum mirabitur ætas,
Vllaq; non vmquam secla perire sinent.
Nunc itaque ingentem vestigia ponè Maronem
Certa preme: & nullum suspice præterea.
Illum vnum admirare, vnum cole: &, vt facis, vnum
Esse putes, reliquis quem omnibus anteferas.
Atque ita, quas laudes largè mihi contribuisti,
Conuenient in te tum magis atque magis.
Ijsque adeò, quæ tum facies, assurget Homerus
Carminibus, dum acres cogit in arma duces:
Congressumq; tuum non dedignabitur Orpheus,
Orpheus Oeagri filius Ismarij:
Qui cùm nec Stygia Eurydicem reuocare palude
Nec cantu, infernas flectere posset heras,
Toto animo, toto suspirans pectore fertur

Dulcius haud vmquam concinuisse lyra.
Bistoniæ sed enim, nimium turba improba, matres
Infensæ numeris, flebilibusq; modis,
Absciderunt vati caput à ceruicibus, atque
Coniunctum citharæ, vt fluctibus æquoreis
Erraret miserè duro transfixum adamante,
Moxq; ita cæruleis obrueretur aquis,
In mare iecerunt. Verùm per marmora vectum
Ad Methymnæos applicuit scopulos
Calliope mater: quos inter candida cursus
Vox capitis, vox est ingeminata lyræ
Sæpius, & dulci sonuerunt littora cantu,
Et positæ medio insulæ in Ionio.
Accurrere viri, mœstæ accurrere puellæ,
Et sacrum tumulo composuere caput.
Atque vnà iunxere lyram, quæ garrula monteis
Traxerat, atque vndas lenierat Stygias.
Illo igitur Lesbi qui post sunt tempore nati,
Et cantu, & citharæ mentem, animumq; sono
Magnopere oblectare solent, præq; omnibus vni
Et canere, & dulci dulce sonare lyra.
At Thracum, postquam illa datum est rescicere facta,
Ingens inuasit pectora mœstitia.
Signa ergo impressere suis vxoribus omnes
Tum primùm, & tanti vt nunc quoque sint memores
Flagitij, pœnasq; luant ita manibus Orphei:
Fœda notant fœdis omnibus ora notis.

# AD IOSEPHVM BOCCAM.

DVM te Bocca tenet Rigulanum, & vitreus Æsar
Piscantem in medio flumine sæpe videt:
Dum cliuus, qui culta tuæ propè limina villæ est
Vndique proceris obsitus arboribus,
Errantum spectat vestigia pressa ferarum,
Manè sequi multa per nemora alta cane:
Dumq; sub vmbrosa platano, quà lene susurrans
Prosilit è scabro murice riuus aquæ,
Siue alta è specula modulantem carmina Faunus
Seruat, & in viridi cortice verba notat:
Quæ mox ingratas referens iterata sub auras,
Syluicolas flammis vrat Hamadriades.
Siue plagas auibus tendentem, vbi vallis opaca est,
Luscinia assiduis questibus increpitat.
Queis Lyda Ornithium quondam donauit Arachne,
Vsumque, occultos edocuitq; dolos,
Ornithium, quem vel miserè dilexit, & vnum
Optauit certo iungere connubio
Ipsa sibi: verum Ornithius per rura, vepresque,
Incautas visco fallere doctus aues:
Ac baculo impositam summo ostentare procacem
Nyctimenem, & varios edere voce sonos,
Spreuerat occultos glacie frigentior ignes

Virgi-

*Virginis, oblatos respueratq; toros:*
*Implorantis opem donec miserata puellæ*
*Audijt è cælo vota, precesq; Venus.*
*Ergo illum assiduè prædas in tecta ferentem,*
*Captantemq; omnes, quas modo vellet, aues,*
*Aucupio cœpit mærentem eludere inani,*
*Iussit & in vacuas sæpe redire casas.*
*Tum nata ante alias telam componere Arachne,*
*Et nulli inferior retia texere acu:*
*Quid te (inquit) toties, puer ò pulcherrime, quid te*
*Aucupium frustra iuuit inane sequi?*
*Si merces hæc ipsa tuos male grata labores,*
*Infelixque artes exitus iste manet.*
*Ipsa ego, quam multi lecto petiere iugali,*
*Cuius & a magno Lydia amore perit,*
*Quamq; leui teretes versantem pollice fusos,*
*Texentem & molli stamina picta manu:*
*Aemula (quis credat?) præsens mirata Minerua est:*
*Victaque, si verum confiteatur, abit:*
*Vt mihi te, cuius vehemens amor vrit amantem,*
*Hoc vno saltem munere demerear:*
*Retia confeci gracili tenuissima filo,*
*Nere quod è Serum vellere nupta solet.*
*Ipse plagas, nodosq; aptos miraberis, in quos*
*Illapsæ pennis impediuntur aues:*
*Ipse agiles limbos, orbesq; ex osse sequaces,*
*Porrectum & multa in brachia nobile opus,*
*Ipse amiti suspensum alta spectabis vtrinque*
*Pandere, & ingenti colligere arte sinus.*

*Namque*

*Namque in quincuncem lino distincta tenaci*
*Texta patent laxis parte ab vtraque plagis;*
*Inq́; hos prælonga sinuantur arundine nexus*
*Hinc atque hinc, cum iam stant posita in medijs*
*Arboribus miseras passim exceptura volanteis*
*Retia, quę pullo tincta colore latent.*
*Atque his si qua vmquam captam sese explicet ales,*
*Si qua ex occultis auolet insidijs,*
*Illa eadem accipitres inter traducere vitam*
*Tuta queat, cunctos effugiatq́; dolos:*
*Possit & in visco pennas hærere sequaci*
*Libera, & è pedica sumere læta cibum.*
*Hæc cape dona puer, tibi quæ tibi dedita soli*
*Vrsit acu, & digitis Idmone nata suis.*
*Hæc cape, quæ, nisi me vates præsaga futuri*
*Temporis: & rerum prouida fallit anus,*
*Retia de nostro quondam cognomine dicta*
*Ingenium doctæ testificentur heræ:*
*Et penes externos, quodcumque hoc nomen, Hetruscos*
*Inuentum numquam tale perire sinant.*
*Sed potius, Lydis ceu gens erit orta colonis,*
*Sic Lydæ vsurpet virginis illa dolos.*
*Inq́; alia nusquam regione frequentior vsus*
*Istius vigeat nobilis aucupij.*
*Hæc anus Idmoniæ cecinit ventura puellæ,*
*Hæc eadem Ornithio Lyda puella suo.*
*Quæ mox coniugio pueri, tedisq́; potita*
*Ostendit tenues, explicuitq́; plagas.*
*Atque illum comes in syluas persæpe secuta*

Prædam auium innumeram rettulit inde domum.
Dum te igitur nemore in medio, atque in valle latentem
Aut hoc, aut aliud candide Bocca tenet
Dulce voluptatis genus: ac tibi prægrauat armos
Aut auis, aut humero pendet vtroque lepus,
Seu positi ripæ saliunt in gramine pisces:
Mi celer egelidis temperat Arnus aquis
Ingenteis æstus, & quo non vlla calorem
Maiori potuit surgere messis agris:
Aut etiam in densa recubanti molliter vmbra
Vna aufert curas Calliopea graues.
Nec dolet incassum tantos cessisse labores,
Votaq; successus non habuisse ratos:
Sed sæpe ad versus furtim, numerosq; relabens,
Quod famam in longum proroget, vrget opus.
Vrget, & ad studium clari se suscitat oti,
Mærorémq; animi, qua licet, arte leuat.
Spemq; facit nostrum non vllo nomen in æuo
Sensurum longi temporis esse situm.
Quod si præstabunt Musæ, si rara bonorum
Turba olim, si me secla fuisse ferent,
Si vixisse meis iucundum semper amicis,
Et sanctam sancte percoluisse Fidem,
Atque adeò puræ si puriter omnia vitæ
Audiet egisse hæc tempora posteritas,
Non ego Pactolus quicquid vehit amnis arenæ,
Quicquid & Ammerice terra beata gerit:
Ammerice, cuius montes, & flumina passim
Argento, atque auro diuite multa fluunt:

Tectaq; fulgenti splendent onerata metallo,
Inq; pauimentis aurea lamna nitet
Plurima, & insignes ornant sua pocula gemmæ,
Perq; vias omnes lucidus ardet onyx:
Non Arabum syluas, non quas legit Africa messes
Optarim, non quas congerit æquor opes.
Et modo mi dulces pandant sua sacra Camœnæ,
Despiciam reges barbara Memphi tuos.

# IN OBITVM SICINII PEPVLI.

SI pia, quæ debent, soluerunt iusta poetæ
Fundentes vdis ex oculis lachrymas
Sicinio, Pepulorum alto quem sanguine cretum
Ante suum rapuit mors violenta diem:
Cur ego, quantum in me est, illustri carmine funus
Non celebrem, & mutos ad tumulum cineres
Voce vocem magna, dicamq; nouissima verba,
I, licet, ò, vale, ò, iam mihi culte vale?
Culte vale, ò, puer, & iuuenis fortissime, nec me
Oderis, extremus quòd tua facta cano.

*Illa ego sæpe meis volui contexere chartis,*
*Et longam de te conficere Iliadem:*
*Sed me tentantem deterruit & pudor, & mens*
*Conscia, quæ tantum suscipere ausa oneris*
*Numquam esset certè, ni Claricimus vnus*
*(Vnus amicorum est qui mihi præcipuè*
*Obseruandus, & æterna pietate colendus)*
*Hoc nostrum carmen iure suo eliceret.*
*Et verò quisnam proprijs ita viribus audax*
*Fideret, aut tantum hoc aggrederetur opus?*
*Ipse etenim proauis, atauisq; à regibus ortus,*
*Quorum olim iusto paruit imperio,*
*Quæ sese latis spatiosa Bononia campis*
*Explicat, vrbs magna nobilitate potens,*
*Atque vsu bellorum acris, studijsq; Mineruæ,*
*Et multùm fœcundi vbere diues agri,*
*Vrbs, in qua illustri primorum sanguine natus,*
*Et veterum multis clarus imaginibus,*
*Fulsit muneribus fortunæ ornatus, itemq;*
*Floruit innumeris ipse bonis animi.*
*Et primùm quascumque arteis docuere priores*
*Ingenuas, toto pectore sic coluit,*
*Vt siue is carmen faceret, siue ore rotundo*
*Dictaret certo verba soluta pede,*
*Callimacho, & magno propius certaret Homero:*
*Nec flueret culto iam Cicerone minor.*
*O quoties illum, teneros dum cantat amores,*
*Horrida dum forteis cogit in arma viros,*
*Dum socijs alios, aliosq; in pectore motus*

Ex-

Excitat, atque animos arbiter vnus habet:
Et iuuenes blandi, & faciles arsere puellæ,
Et valde audaces obstupuere duces:
Nec minus admirata senum turba ore pependit,
Et dubitauit vtrum doctior, an melior
Esset, & innumeris animi virtutibus ipsas
Aequaret doteis corporis egregias,
Et formę immortale decus, atque oris honores,
Et, quale in tenero pectore robur alis
Non habuit. Nam seu iaculum libraret ab aure,
Seu gladium in sæuos stringeret ausus apros,
Haud vllæ fugere feræ, sed morte peremptæ
Effudere animas pectore quæque suas.
Quin, vbi cessit equo lentas moderator habenas,
Seu cursum Zephyris flantibus antetulit,
Non dorcas, non ceruus abit securus, amicas
Vt sese pernix abderet in latebras:
Sed sensit celerem vestigia ponè sequentem,
Comprensusq; fuga constitit in media.
Ac velut Aeacides magni Chironis alumnus
Non solum doctus fila mouere lyræ
Suauiter, & versu laudes celebrare puellæ,
Verùm etiam sæuas sternere cæde feras,
Et celerem in syluis iaculo transfigere tigrim,
Et cursu rapidos æquiparare Notos,
Terruit inuictas audax in prælia genteis,
Et Xanthi multo sanguine tinxit aquas,
Troiæque infanda permiscens omnia cæde
Extremum virtutę attulit exitium:

*Sic illum indutum galea, & praestantibus armis*
*(Nec dum etiam teneras inficere vlla genas*
*Cœperat, & nusquam lanugo induxerat vmbram)*
*Caerulea timuit frigidus Albis aqua.*
*Germanas cùm fortè arceis, atque oppida Caesar*
*Parere ipse suo cogeret imperio:*
*Heu, quas tunc hyemes, heu, quae tum frigora passus,*
*Quàm saepe obscœnam pertulit ille famem?*
*Quàm saepe ingenteis mira virtute labores*
*Suscepit, nocteis egit & vsque vigil?*
*Interdum plantas glacies hyberna secabat,*
*Plurimus & subter pellibus imber erat.*
*Omnia torpebant gelida concreta pruina,*
*Pendebatque altis stiria ab arboribus:*
*Ipse alacer tamen assiduè sua munia obibat,*
*Hostibus & duris maximus horror erat.*
*Dumq; neces inter, duriq; incommoda Martis*
*Committit valida praelia torua manu,*
*Arctoas vrit flammis, atque igne puellas,*
*Et teneras magno torquet amore nurus.*
*Quantum autem, seu sint nuptae, seu tempore in vllo*
*Nullius norint tempora coniugij,*
*Depereant praeclarum armis, pulchrumq; iuuenta,*
*Et Scylla infelix, & Sthenobaea docent.*
*Altera nam certi violato fœdere lecti,*
*Quam Venus in cura supplice corruerat,*
*Non iuueni exitium insonti, labemq; perennem*
*Intulit? & sanctum polluit hospitium?*
*Cumq; decus, Diuumq; illi peperisset honores,*

Et sciret delapsum æthere præcipitem,
Ipsa sibi fauces laqueo præclusit, amoremque,
Atque omne vnà odium depulit ex animo.
At virgo infelix, rara virgo inclyta forma,
Quàm subitos ignes ossibus implicuit?
Tempore quo Minos magni Iouis inclyta proles
Vltor atrox vrbem sedit ad Alcathoen,
Androgeoneæ pœnam necis inde reposcens,
Et longa miseros obsidione premens.
Namque ea tum cari vastantem regna parentis
Vidit, &, heu, flagrans hostis amore sui,
Non hominum morem, non ius, non impia legem
Naturæ, non & Cælicolùm verita est
Numina, quæ supera nos è regione tuentur,
Et merito sonteis supplicio afficiunt:
Purpureum quin illa patris de vertice crinem
Velleret, & totum proderet imperium
Minoi: quem tum faciebat bellica virtus
Insignem, atque annis grata iuuenta suis.
Aut nihil, aut paulo cui tum concedere dignum
Sicinium, Germanæ appetiere nurus.
Atque aliqua ex illis animum iam saucia dixit,
O certè ex alto sanguine nate puer,
Quis nunc infestum nostras te duxit ad oras,
Vt nobis ferres omnibus exitium?
Namque viros bello ingenti, & præstantibus ausis,
Et nos aspectu absumis inique tuo.
Nec tamen optarim sæuo te occumbere leto,
Vel formosa nouo membra rigere gelu.

*Ipsa ego te potius patria regione relicta,*
*Quocumque abscedes, consequar incolumem:*
*Et tibi iucundo famulabor serua labore,*
*Indignam si me forsitan esse putes,*
*Quæ tecum patriæ sublimi in sede recepta*
*Degam, atque optato semper amore fruar.*
*Hæc illa. at iuuenis, stimulis quem gloria agebat*
*Acribus, haud vllas audijt aure preces,*
*Sed bello confecto omni se serus ad ædeis*
*Ornatum claris rettulit exuuijs;*
*Quasq; adeò prædas ex hostibus egerat, omneis*
*Partitus fidos dididit in socios:*
*Quos antè electos secum deduxerat vrbe,*
*Et sibi nil prorsus, quàm decus egregium,*
*Et, quam quæsierat, laudem seruauit, in armis,*
*Et famam, æterna in secula quæ vigeat.*
*Excepere viri redeuntem, hilaresq; puellæ*
*Sparserunt violis, purpureisq; rosis:*
*Et tacitæ. O felicem illam, quæ prima cubile*
*Ascendet coniux sola futura, tuum.*
*Ergo illum forma insignem, & virtute decorum*
*Optabat generum iam sibi quisque suum,*
*Atque incredibili iam quæque ardebat amore,*
*Et facie virgo, & moribus ingenuis,*
*Cùm Mars ad cædes, & ad horrida bella vocauit*
*Rursus, & Ausonios ciuit ad arma viros:*
*Arma, quibus latos tepefecit sanguine campos,*
*Funditus & miseram perdidit Italiam:*
*Mars & Musarum, atque otij teterrimus hostis,*

Solus & humani dira lues generis:
Mars horum, quæ nunc patimur, causa vna malorum,
Atque auctor nostri maximus excidij:
Qui nempe & miscens incendia plurima bello
Impius Europam territat, atque Asiam.
Nicia tunc, humilisq; vnda frigente Gabellus,
Quæque vtrinque suo margine pressa fluit
Scultenna, innumeros spectauit stragis aceruos,
Et multo intepuit aucta cruore virûm,
Sicinij virtus quos, & bona dextera bello
Obtruncans, campos misit ad Elysios.
Prærupto veluti demissum è vertice flumen,
Quod moles, quod non sistere saxa queunt,
Præcipiti fertur lapsu, victorq; per agros
Voluit agens quercus, & stabula alta ruit,
Atque ipsa ingenti percellit mœnia fluctu,
Et nullum est, quod non turbet iter populi.
Post vbi depressum veterem subsedit in alueum,
Visuntur turpi semisepulta luto
Iumenta, & fœdæ pendent sine honore ruinæ,
Et virgulta humili strata iacent capite,
Euulsæq; iacent passim ab radicibus orni,
Et quæcumque arbos obruta vorticibus
Deiecit ramos, omnemq; amisit honorem,
Post neque verno vmquam Sole, neque imbre viret.
Cumq; acreis audendo hosteis persæpe fugaret,
Disceret & iam iam vincere consilio,
Atque dolos belli varios eludere, & arteis,
Et magno cunctis esse metu inciperet;

 Ecce

Ecce Patris magni iussu concedit in vrbem,
Vt procul Hispanos Parthenope eijciat.
Talia sed venti discerpunt irrita vota,
Sollicitæq; mouent numina nulla preces,
Quæ latè imperium, vireisq; tuentur Iberas,
Atque omni Gallos Ausonia prohibent.
Nam te florentemq; annis, opibusq; potentem
Abstulit ante tuum mors inimica diem:
Abstulit, heu, primæ primo sub flore iuuentæ,
Et tecum patriæ spemque, decusq; tuæ.
Quod belli auspicium tam dirum, & triste secutus
Exitus, euertit prorsus opes Latij.
Ex illo quia res retro cæpere referri,
Atque adeò in peius præcipites ruere.
At tibi pro virtute puer, pro fortibus ausis
(Quandoquidem hæc non sunt carmina nostra satis)
Deuoueant, docti scribunt quæcumque poetæ,
Nulliusq; tua pagina laude vacet.

# AD PHILIPPVM HVRALTVM CHIVERNIVM FRANCIÆ

Procancellarium, in obitum Christophori Thuani.

*SI quisquam est, Huralte, tuos qui sistere fletus*
*Te velit, & lachrymis ora rigare vetet,*
*Quòd magnum abstulerit mors importuna Thuanum,*
*Et nimium ciues læserit ausa tuos;*
*Scilicet huic fuerint rigido præcordia saxo,*
*Pectoraq; infestis asperiora rubis.*
*Ipse ego, quem Tuscis nascentem in collibus olim*
*Vidit, & affusis abluit Æsar aquis,*
*Jacturam luxi tam lecti herois, humiq;*
*Deposui Latiæ plectra sonora lyræ:*
*Plectra, quibus laudesq; tuas, tua facta canebam*
*Gallia, quæ Solymos eripuere iugo;*
*Inq; Palæstina tantum statuere trophæum,*
*Quantum nulla patrum commemorare valent*
*Secula: cum victus terrarum paruit orbis*
*Legibus, atque armis Martia Roma tuis.*
*Parcite felices animæ: felicibus astris*
*Progeniti heroes, gens adamata Deo:*
*Parcite, dum vestro rediuiuum è sanguine alumnum,*
*Virtutum exemplar nobile flere iuuat.*

*Quo nemo antiquæ propior contendere laudi*
*Dictus, & ad verum pressius ire decus.*
*Ille quidem veterum non inficiandus auorum*
*Sanguis, & ætatis gloria, flosq́; suæ,*
*Clarorum illustri prognatus origine patrum,*
*Quorum vrbem placidis Sequana lambit aquis,*
*Axona cui, Ligerisque, & Matrona, cuiq́; Garunna,*
*Submisere vno hoc nomine sæpe genu.*
*Gratati tantum decoris tibi, Sequana, tantum*
*Cælicolas vni contribuisse boni.*
*Nec tamen, haud suetus causa hac sibi sumere fastum,*
*Se reliquis renuit ciuibus ire parem.*
*Sed potius, cum se claris genitoribus ortum*
*Sciret, & à magnis ducere nomen auis,*
*Et genere hoc etiam præstantem laudis, honores*
*Ad summos facili tendere posse via,*
*Verum illud decus esse ratus, quod strenuus armis,*
*Vel placidus potuit quisque parare toga,*
*Maluit inniti sola virtute, boniq́;*
*Quæ fecere patres, credidit esse patrum:*
*Inclyta quò seris exposta nepotibus olim*
*Excirent natos ad benefacta suos.*
*Ergo ille ingenuas vt primum accingier artes,*
*Atque Heliconiadas cœpit adire Deas,*
*Ante omnes Phœbo gratissimus, ilicet vnus*
*Pangebat grandi carmina culta sono.*
*Qualia Tyrtæus fertur cecinisse, suosq́;*
*In bellum Oebalios exacuisse viros:*
*Cum maribus numeris hostem fudere Lacones*

Accensi, & victis imposuere iugum.
Certè illum insueta miratus voce canentem
Sequana cæruleum sustulit amne caput:
Et secum ò, quantos excit virtutis amores;
O animos quanta laude perurit, ait.
Ipse autem excedens pueris puerilia longè
Abijcit, & certis verba ligata modis.
Et studijs natus iam tum vigilare seueris,
Maxima quæ rerum pondera ferre docent:
Edidicit solers leges, & iura Quiritum,
Et patria sanctum quicquid in vrbe fuit.
At nihil est vllis terrarum in finibus actum,
Cum bello, aut tuta pace tenentur agri,
Quod non ille animo memori mandarit habendum,
Vnde suis ferret, cum foret vsus, opem.
Nemo igitur tantis instructior artibus vmquam
Tractatum causas fertur adisse forum:
Nec patrocinijs æquè iuuisse clientes,
Aut pœnæ plures eripuisse reos.
Scilicet oranti Cicerone disertius ipso
Nil quod non iudex crederet æquus, erat.
Illi ingens grauitas, illi probitasque, pudorque,
Et vitæ integritas, duxque, comesq; piæ:
Atq; ideò cunctis perfunctus honoribus, vnus
Consessu princeps præfuit inde patrum.
Ingentiq; illum moderatus laude senatum,
Quo nil terrarum sanctius orbis habet,
Rexit bis denos incorruptissimus annos:
Atq; indefessus nobile munus obit.

*Consilio in dando sententia libera: & vnà*
*Seruandi ciues maxima cura suos:*
*Ante oculos constans regni splendorque, decusque,*
*Et summa in Regem cum pietate fides:*
*Pacis mirus amor: mens rerum inimica nouarum*
*Semper: & haud vsquam desidiosa quies.*
*Ceu postquam vtilibus sitientia prata rigauit*
*Imbribus, atque agris præbuit amnis aquas,*
*Labitur, & cursum nusquam remoratus, & vndam,*
*Solibus assiduè fert alimenta nouis,*
*Immensum Oceani dum se prouoluit in æquor;*
*Quaq; potest, pelagus commodus auctat ope.*
*Hic quoque talis erat confecta negotia postquam*
*Viderat, atque aliquid temporis esse super.*
*Namque suis illud priuatim impendere amicis,*
*Siue his in studijs ponere suetus erat,*
*Quæ curis animum assiduis releuare grauatum,*
*Et ciues aliqua parte iuuare solent.*
*Ergo etiam acceptos Musis iuuenesque, senesq;*
*Amplecti, & præsto semper adesse bonis*
*Omni ope, & omni opera: neq; enim differre iuuandi*
*Tempora, nec duro despuere ore preces*
*Cuiusquam, aut miseri voces ridere clientis,*
*Dum sedet, aut clausas ambulat ante fores.*
*Hunc ego te sistere vetem, si conqueri ademptum*
*Chiuerni, in quo vno tot periere bona,*
*Quis mihi vel ferrum, vel durum adamanta rigentis*
*Ipsius in latebris pectoris esse neget?*
*Sim stipes, sim truncus iners, simq; horrida cautes,*

Quam nec vis Boreæ, nec mouet vnda loco
Vlla suo: verùm abruptis exposta procellis
Nullo æstu, nullo frangitur illa gelu.
Occidit huius honos, & gloria maxima secli,
Occidit & patriæ spesque, salusq; tuæ.
Atque ego te plenos lachrymarum fundere riuos,
Et manibus pectus tundere, & ora vetem?
Tu vero heroem, qualem non vlla tulerunt,
Qualem etiam posthac secula nulla ferent,
Deflendo, susceptum animo testare dolorem,
Et lachrymis laxa claustra reuulsa pijs.
Hoc ipse, hoc coniux lectissima fœmina, tanto
Digna patre, & tanto fœmina digna viro,
Hoc nati, nataque, & pignora cara nepotes,
Hoc omnis tecum Gallia tristis agat.
Et tamen ante oculos eius versetur imago,
Et constans vitæ, perpetuusq; tenor.
Qualis erat, natum cum grãdem, & honoribus auctum,
Ipse suum vidit morte repente rapi,
Inuictusq; animo, vultuq; immotus eodem
Pertulit afflictæ tristia damna domus.
Nec verò indoluit casu concussus acerbo;
Scilicet humanas has memor esse vices;
Vt nunc fortuna, si qua est fortuna, feramur
In cælum, pressi nunc iaceamus humi:
Ni fortè externo mens inconcussa tumultu
Perstet, & inceptum pergere tendat iter:
Nec sese ipsa sua patiatur sede reuelli,
Dum, sua quæ non sunt, cogitat esse sua.

Ille quidem quacumq; in re sibi fidere doctus
Imperturbato pectore dura tulit.
Nec, sua res quamuis fluerent ad vota secundæ,
Non seruasse modum dicitur, atque decus.
Vt mirum non sit, Superis si gratior omnes
Transierit felix, & sine labe dies,
Ac spatia extremæ confecerit vsque senectæ
Viribus, ingenio, corpore, mente vigens.
Decessit certè fortunatissimus vno hoc,
(Nam quis quæ restant enumerare queat?)
Quòd sibi te generum moriens Huralte reliquit
Consilio, & morum commoditate parem.
Quem merito euexit rerum prudentia ad altum,
Doctrina, & virtus quo tua digna gradum.
Officijs cuius meritas persoluere grates,
Meq; animi memoris dum dare signa iuuat,
Quæ fidis impressa notis non deleat ætas
Vlla, nec extingui Musa diserta sinat.
Hæc ego si mæsta cecini tibi carmina voce,
Interuentu etiam fortè molesta suo,
Excuset factum simplexque, & grata voluntas:
Nec non & iussis obsequiosus amor.

ΑΠΟ-

## ΑΠΟΚΡΙΣΙΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΑΝΤΙΜΑΧΟΝ.

Ναὶ πικρὸν ἦν κείνου φάος ἤματος ἡνίκα πρῶτον
Ἀντίμαχ᾽, ἀλλοδαποὺς εἰσαφίκανον ὅρους
Βαρβαρικῶν πολέων. οὐ γὰρ τότε μοῦνον ἔλειπον
Συγγενέας, καὶ τοὺς, οὓς ἐφίλουν, ἑτάρους,
Καὶ πατρίδος δάπεδον γαίης, τῆς οὔνομα πάμπαν
Τίμιον ἀνθρώποις, τίμιον ἀθανάτοις,
Ἀλλὰ θεὰς ἔλιπον σοφίης οἴκους ἐχούσας,
Ὁππότε μ᾽ αὐτάων πουλὺς ἔτυφεν ἔρως.
Τοῦτο γ᾽ ἐμὴ κραδίη, ὅταν αὔσονα κάλλιπον αἶαν,
Τοῦτο μάλα στυγνὸν, τοῦτ᾽ ἀνιηρὸν ἔτλη.
Νῦν δὲ μάλις᾽ ἀνίῃσι ταρέασεται. οὐ γὰρ ἔολπα
Ἶσα ταῖς δέλτοις γηραλέαισι γράφειν
Ἆσμ᾽ ἀναβαλλόμενος μάλα κάλλιμον ἑλλάδι φωνῇ.
Πλὴν εἰ Ζεὺς μ᾽ ἐλεῶν λάτρειν ἐόντα πάρος
Θεσπιάδων, λιγυρῶν ἐπέων δείξειε κελεύθους.
Εἰ καὶ τοῖος ἐμοὺς ἐν προτέροισι χρόνοις
Οὐδέποτ᾽ ἔσχε φρένας γλυκὺς ἵμερος. ἦ γὰρ ἄκουον,
Ὥς οὐ γραφθείσαις γλώττῃ ἐν ἀλλοτρίῃ
Πειρῶντες βίβλοις ἑλλήνιον ἄλσος ὀφέλλειν,
Ἢ κρότον, ἢ μεγάλην ἔλλαχον εὐλογίην.
Ἀλλὰ παρ᾽ ἐλλογίμων τοῦτ᾽ ἔμπαλιν ἔκλυον ἀνδρῶν,
Ὡς τοῦτ᾽ οὐκ εἴη μείονος ἀφροσύνης,
Ἢ εἴ τις φορέῃ φιτροὺς ἀνὰ δάσκιον ὕλην,
Ἠὲ πάλιν ποταμοὺς ὕδατ᾽ ἐς ἀενάους.
Καὶ μὴν ἡμετέρας βοσκούσης ἔθνεα πολλὰ,
Οὐδ᾽ ὀλίγος σπινθὴρ ἐλπίδος ἧψε φρένας
Τοῦ πότ᾽ ὑπ᾽ ἀνθρώπων κληΐσεσθ᾽, οἵτινες αὐτοὶ
Καὶ ζῶντες μνήμην κάλλιπον ἀΐδιον.

Ἀλλὰ

Ἀλλὰ σὺ ῥηϊδίως δεδαὼς τὴν ἑλλάδα γλῶτταν
    Ἐκ στόματος προχέειν, καὶ μάλ᾽ ἐπισταμένως
Δαιδάλλειν γλυκεραῖσι τεαῖς χαρίτεσσιν ἀοιδάς,
    Οἷ᾽ ἐξ εὐεπέος νᾶμα πιὼν λιβάδος,
Ταῦτα πόνει μελετῶν πάνθ᾽ ἤματα. καὶ ποτὲ γάρ σε
    Θαυμάσσουσι κλυτῆς υἷες αὐσονίης,
Μουσοπόλων στέφανον, καὶ ἀρημανέων βασιλήων
    Ὄρπηκας δάφνης ἀμφιβάλοντα κάρα.
Ὡς ἐκ γῆς δνοφερᾶς εἰς αἰθέρα πουλὺν ἀερθεὶς
    Ποτήσῃ χρυσέων εἰρεσίῃ πτερύγων.
Χ᾽ ἡμᾶς ἀξαπτεῦ ταύτης ἀδαήμονας ὄντας
    Ἐκλείψεις ἡμᾶς ἔνθα χαμαιπετέας.
Κ᾽ οὐδὲν ὅμως θάμβησ᾽. οὐ γὰρ νέον, ἀλλὰ παλαιὸν
    Οἶδα θεαῖς εἶναι τοῦτ᾽ ἔθος ἀθανάτοις,
Κείνοις παιδεύειν, κείνων ψυχὰς ἀνεγείρειν,
    Κείνοις ξυμπάντων ὑμνοπόλων φιλέειν,
Οἳ προμολὰς ὀρέων, καὶ τέμπεα καλὰ νέμοντες
    Παρνάσσου, καὶ σφῶν ἴχνεσιν ἑσπόμενοι
Παιδείας ὀρέγοντ᾽ ἀγαθῆς, ἀνδρῶν τε παλαιῶν
    Τέρπονται βίβλοις αἰὲν ἐγερσινόοις,
Ὡς σὺ φίλη κεφαλὴ πολλαῖς τιμαῖσι γεραίρων.
    Αὐτῆς, καὶ πάσης ἐκ κραδίης ἀγαπῶν
Ταῦτ᾽ ἐπόνεις. ἤδη τε κυρεῖς πολλοὺς ἐνιαυτοὺς
    Ἀγλαὰ μουσάων ἔργα μετερχόμενος,
Οὐ μόνον ἡμετέραις ὅταν ἥλιος οὐρανοφοιτῶν
    Ἀστράψῃ χώραις, φέγγος ἀπειρέσιον
Ἀστέρας ἐξελάσας πυριλαμπέας. ἀλλ᾽ ὅταν ἔλθῃ
    Εἰς δνοφεροὺς νυμφῶν τέρμονας ἑσπερίδων.
Ὥστε σ᾽ ἐπαιδεύσαντο θεαί, καὶ τοῖον ἐόντα
    Ἔθρεψαν, κόλποις δεξάμεναι σφετέροις.
Ὥς ποτε τὸν σοφίης ἐριλαμπέος ἡγεμονῆα
    Ἥδιστον πάντων ὀρφέ᾽ ἀοιδοπόλων.
Ἀλλ᾽ ὅτε μὲν πρώτιστον ἑῷ ὑπεδέξατο κόλπῳ
    Μαῖα φίλη, συγκεδὸν, καὶ κακὸν ἄστρον ὅλως
Ἐξεφάνη τότε πρῶτον ἀπ᾽ ὠκεανοῖο ῥοάων,

Τὰς βιότου μοίρας οὐλομένας περιλέγων
Αὐτὸς γὰρ νεότητος ἐς ἀγλαὸν ἄνθος ἐλάσσας
   Ζηνὸς ἀεὶ, θεράπων ἐννέα θυγατέρων,
Κ'εἰς λειμῶν' ἀρετᾶς λιγυρῆσιν ἐπίδρομον αὔραις.
   Ἧχι μάλιστα βροτοῖς ἄμβατον ἐστὶν ὄρος.
Ἐλθεῖν ἐμμεμαὼς, οὐ μὴν ἄτερ ἀυαλέοιο
   Καύματος, ἢ ψύχους, ἢ μαλεροῖο πόνου,
Τειρασάων τότ' ἐγὼ συγγεραῖς βουλῆσι θεάων
   Ἑσπερίους πάμπαν στυγνὸς ἔλειπον ὄρους.
Αἷς νῦν μὲν τέμνοντα βαθυρρόου οἴδματα πόντου
   Εὔαδ' ἁλιρραγέας ἐγγὺς ὁρᾶν σπιλάδας.
Νῦν δὲ φέρειν ἀνέμοιο πολυστροφάλιγγας ἀέλλας
   Ἀστράψαντος ἁλὸς κύμασι πουλὺν ἀφρὸν,
Νῦν πάλιν ὠκυπόδων νώτων ὕπερ ἥμενον ἵππων
   Στυγνότερ' οὐρεῖαν ἀν' χθόνα πολλὰ φέρειν,
Μαστεύειν θ' ὕλας, ἠδ' ἤρεα μακρὰ κομῶντα,
   Καὶ φηγοῖς σοβαραῖς, καὶ δρυσὶν ὑψικόμοις.
Νῦν δὲ πλάκας γαίης μεγάλας, κοίλας τε φάραγγας,
   Νῦν δὲ θέειν ποταμῶν ὕδατα λαβροτάτων.
Οὐ μὴν οὐδ' εἰ ἔμελλον ἀπ' αὐσονίης ἐρατεινῆς
   Ὠθέμεν' εἰς ἐθνῶν τέρμονας ἀλλοτρίων,
Ἐς κείνων ὤθουν ἀνδρῶν δήμους τε, πόλεις τε,
   Οἳ τλῶσαι χαλεποὺς οὐ στυγέουσι πόνους
Εἵνεκα τῆς σοφίης ἐρικυδέος, ἥν ποτε κλεινῇ
   Κάλλιμος ἀγρεύειν ἑλλάδι μόχθος ἔην.
Κείνων δ', ἐχθίστας οἵπερ διάγουσιν ἔχοντες
   Μούσαις, ἢ δὲ θεοῖς ἀθανάτοισι φρένας.
Καὶ γὰρ γῆν διαβὰς, καὶ μυρίον οἶδμα θαλάσσης
   Εἰς ἑλλησπόντῳ γείτονας ἦλθον ὅρους
Τρώων, ὧν ἔσται τὸ βαθὺ κλέος ἐς τ' ἂν ἀρούρας
   Αὐγάσῃ πυρόεις ἥλιος ἀζαλέας,
Μαιονίδεω διὰ μοῦσαν ἀγήραον, ὃς τὸ παλαιὸν
   Ἠμαύρωσε κλυτοὺς ἰλιάδων ὑμνοπόλους.
Ἔνθα μὲν ὤν, ἀσίης χώρας ἴδον, ἥ τις ἁπασῶν
   Τᾶτ' ὄλβῳ προὔχει, τῇ τε ῥυμφοσύνῃ.

Αὐτὰρ ἔπειτα κακῶν, καὶ ὑπέρβιον ὕβριν ἐχόντων
   Τυρκάων ἕδραν, καὶ πτολίεθρον ἴδον.
Οἵ ποτε μὲν κλιναῖς ἰταλῶν χείρεσσι δαμέντες
   Τῆς βαλιᾶς ἦσαν δειλότεροι κεμάδος.
Νῦν δ' ἀλαπαζομένων θρήνοις φιλέουσι πολήων,
   Καὶ τοῦ χέων πάταγον, καὶ βροτολοιγὸν ἄρη.
Καὶ πάσας λύθρῳ γαίας, ποταμούς τε μιαίνειν
   Ἀνδρῶν ἐν κρυεροῖς ὀλλυμένων πολέμοις.
Καὶ ζώειν ἤδη τὴν ἑλλάδα πᾶσαν, ἄρηος
   Ὅπλα μετερχομένην ἀντ' ἐρατῆς σοφίης,
Πάμπαν ἀεικελίως μούσας πέραν ἀοίδος αἴης,
   Καὶ πέραν ἀργολικῶν ἐξελάσαντες ὀρῶν.
Ὤ μόπερ οὐκ ἦσαν τούτων οὐ φῦλα γιγάντων,
   Οὐ λαιστρυγονίης κοίρανος ἀντιφάτης.
Οἵγε τὸ πρόσθ' ἱερᾶς ἐξ ἑλλάδος, ἐκ τ' ἐρατεινῆς
   Ἔτλασαν μούσας ἐξελάσαι πατρίδος.
Οὕτω πήματ' ἔχοντα κατ' εὐρέα κόσμον ἀλᾶσθαι
   Ἤθελον αἱ μοῖραι πάμπαν ἀπηλεγέες.
Ὥς ἐμὲ μυριάκις δοξάσαι, μή ποτ' ἀληθὲς
   Εἴη μυστοπόλου δόγμα παλαιγενέος.
Ὥς ἕνεκ' ἀμπλακίης μεγάλης εἴημεν ἅπαντες,
   Καὶ παλαιοὶ ξεῖνοι, καὶ θεόθεν φυγάδες,
Τοῦτον τὸν δνοφερὸν, τοῦτον τὸν ἀτερπέα χῶρον
   Ἀντὶ δομῶν κρανίδου ζηνὸς ἀμειψάμενοι.
Πῶς οὖν, ἡδὺς ἑταῖρε, λιγύθροον ἑλλάδος ἠχὼ
   Ἣν ἀσκεῖν δυνατὸν τοῖς δὲ παρ' ἀνδραπόδοις;
Ἢ ἐσέβειν ἐρατὴν ζηνὸς μεγάλοιο γενέθλην,
   Πλὴν τῇ βουλήσει, καὶ φρεσὶν ἐνδομύχοις;
Ἦ γὰρ ἐγὼ τούτων, ὡς βάρβαρον ἦτορ ἐχόντων,
   Καὶ πάσης πάμπαν ἀλλότριον σοφίης,
Καὶ πλεῖστον λογίσαις τὸ παρὸν κακὸν, εἰ ὅπερ ἄλλον
   Μοῖραι ἀμείλικτοι, μοῖραι ἀπηλεγέες,
Ἠξίοον βασιλῆα θεῶν. ὧγ' ἄστρα πατεῦντες
   Δαίμονες, ἠδ' ὅσσοις οὐρανὸς ἐντὸς ἔχει,
Καὶ μοῖραι πείθονται ἀμείλικτοί περ ἐοῦσαι,

Λείπειν

Λείπειν ταῦτα μ' ἐᾶν ἔθνεα, καὶ καμάτων
Παντοίων λῆξαι, καὶ ἀναπνεῦσαι κακότητος,
Εἰς ἐρατὴν ἤδη πατρίδ' ἀνερχόμενον.
Ἤδη γὰρ ξανθῷ Μενελάῳ νόστον ἔνδωκε,
Καὶ κλεινῷ βασιλεῖ δουλιχίων σκοπέλων.
Ὅς μάλ' ἀεικελίως ἔτλη πολλοὺς λυκάβαντας,
Πολλὰ κάκ' ἐν γαίῃ, πολλὰ κάκ' ἐν πελάγει.
Προκρίνων Ἰθάκην εἰς πετρήεσσαν ἱκέσθαι
Τοῦ πέρας ἱμερτοῦ μήποθ' ὁρᾶν βιότου.
Οὐ γὰρ ἀεὶ νεφέλαις φοβεραῖς κεκαλυμμένος αἰθὴρ
Τιτρώσκει πυκινῇ γῆς δάπεδον νιφάδι.
Οὐδ' ἐσαεὶ τύπτει βαρυηχέος οἶδμα θαλάσσης
Θυόντων ἀνέμων αὔρα πολυστροφάλιγξ.
Ἄλλοτε μειδιάει δάπεδον χθονὸς, ἄλλοτ' ἀπείρων
Πόντος ἐριβρύχων παυσάμενος κελάδων.
Κ' αὐτὸς ἐπεὶ μάλα δηρὸν ἀλώμενος, ἠδὲ κακοῖσι
Τρυχόμενος πολλοῖς ἤλθον ἐς ἠϊόνας
Πατρῴους, τόσσον γε φίλον κατὰ θυμὸν ἰάνθην,
Ὅσσον ὁ παντλάμων λαρτιάδης ἐχάρη,
Μῆνιν ἐρισβρεμέταο ποσειδάωνος ἀλύξας,
Καὶ σιδέων ἤδη πάτρια ποσσὶν ὄρη.
Καὶ γὰρ ὁμιλῆσαι τάχα κεν σὺν ἀμείνονι πότμῳ
Τοῖς ἑτάροισιν ἐμοῖς εἰς ὀπιόντα χρόνον
Ἔξεσται. νύκτας τε, καὶ ἤματα πάντ' ἀνελίσσειν
Ἀρχαίων ἀνδρῶν ἀθανάτοις σελίδας.
Αἵπερ παντοδαπαῖς καρποὺς δωροῦσιν ἐν ὥραις
Ἀτταλικῶν κτεάνων οὔτι χερειοτέρους.
Δεικνῦσαι τὰ κέλευθα ποτ' οὐρανὸν εὐρὺν ἄγοντα,
Καὶ πῶς χρὴ λήθης βένθεα φρικαλέης
Ἐκφεύγειν. διὰ ταῦτα βροτῶν πολὺ φίλτατε πάντων
Ἦλθον, καὶ μεγάλην ὡμολόγησα χάριν
Συγχαίροντ' ἀνόδοιο φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.
Καί σε πάλιν ταύτης εἵνεκεν εὐχαμίας,
Εἰς τὸν ἀπειρέσιον χρόνον ἐκ διὸς αἶσα φυλάσσῃ.
Αἰὲν ἀριζήλῳ ζῶντα σὺν εὐφροσύνῃ.

# ELEGIAM GRÆCE SCRIPTAM AD ANTIMACHVM,

Latinè sic vertebat Laas Hermetius.



*ILLIVS deflenda mihi lux orta diei est,*
*Quo primum peregrè iuuit abire domo,*
*Antimache, & fines inuisere, & oppida, & vrbes,*
*Regnaq; iam latè dedita barbariæ.*
*Non modo tunc etenim natos à sanguine eodem,*
*Et iunctos veteri iure sodalitij,*
*Et patriæ aspectum terræ, quo nomine quicquam*
*Vnius haud vlli dulcius esse volunt,*
*Sed Musarum etiam consortia grata reliqui,*
*Illarum dum me magnus edebat amor.*
*Hoc mihi digresso Ausonijs è finibus vno*
*Nil planè potuit tristius accidere:*
*Hoc nunc præcipuè mens angitur anxia, quando*
*Desperat versus scribere posse tuis*
*Versibus æquales Graijs è vocibus aptos,*
*Et Graio cantus edere ab ore sono:*
*Ni me, qui fueram Musarum agitatus ab æstro,*
*Edoceat dulces Calliopea modos.*
*Quamuis hac numquam flagrare cupidine pectus*
*Sensi, nec tali laudis amore rapi.*

Quan-

Quandoquidem audieram celebris nec murmura famæ,
Nec plausum ingentem, nec decora vlla sequi
Illum, qui versus aliena scribere lingua
Aggressus, Graias sedulus auget opes.
Id quod doctrinæ studijs insignibus aucti
Eiusdem dicunt esse furoris opus,
Cuius nimirum est in syluas ferre virentes
Ligna, vel in viuum fundere flumen aquam.
Quin etiam, sermo cùm sit communis, & vnus,
Vsa est quo quondam rustica turba Remi,
Mi tamen haud tetigit mentem spes vlla futurum,
Clarorum illustri lauder vt ore virùm,
Ipsorum si qui famæ ascripsere perenni
Nomina, non vlla iam peritura die.
Tu verò felix Graij sermonis amator,
Et facilis Graios fundere ab ore modos,
Et dulces doctus Veneres aspergere cantu,
Vt qui de pleno flumine potat aquam,
Hoc vnum meditatus agas noctesq; diesque:
Namque ita te posthac nobilis Ausonia
Suspiciet, mirata tuæ circumdare fronti
Laureolam Martis, Pieridumq; decus.
Quin etiam ex imis tenebris ad sidera raptum
Remigio alarum te aurea penna feret:
Ignaros huiusce viæ, penitusq; iacentes,
Dum tu nos terræ pondera linquis humi.
Nec mirum, quando antiquo de more sororum,
Quæ turba Aonijs præsidet vna iugis,
Hos docet, horum animos ad laudum irritat honores,
Eque

*Eque poetarum diligit vsque choro,*
*Quicumque aerias rupes, & amœna colentes*
*Pascua Parnassi, Pieriosq; lacus,*
*Musarumque adeo vestigia pressa sequentes,*
*Doctrinæ affectant rite secare viam:*
*Et veterum libris mentes acuentibus, aut sit*
*Orta dies, aut nox, inuigilare queunt.*
*Omnia quæ tu omni coluisti semper honore,*
*Et studio suesti semper amare tuo.*
*Ac iam permultos vitæ irremeabilis annos*
*Versaris Musas inter amicus heras.*
*Non modo cum cælo radijs illustris Apollo*
*Affulgens terris sidera cuncta fugat:*
*Verùm etiam occiduas cum iam casurus in vndas*
*Nympharum Hesperidum tecta, domosq; subit.*
*Hinc ergo exceptumq; sinu, proprijsq; sorores*
*Eductum vberibus te erudiere nouem.*
*Non secus atq; olim vatum decus Orphea, cuius*
*Carmine nil vsquam dulcius esse potest.*
*At me cum primùm matris de ventre cadentem*
*Suscipiens nutrix fouit amica sinu,*
*Oceani surgens infaustum sidus ab vnda,*
*Stamina quod vitæ perniciosa trahit,*
*Lustrauit puerum, primæ qui prima iuuentæ*
*Ingressus spatia, & tempora prima meæ,*
*Cùm colerem assiduus, natas Ioue patre puellas,*
*Cultaq; Parnassi cum subiturus eram,*
*Culta, inquam, vnius Zephyri vocalibus auris*
*Peruia, & humano vix adeunda pede,*

*Atque æstus ideo, & duros perferre labores,*
*Et sæuæ possem frigora ferre hyemis,*
*Tunc ego, consilijs Parcarum impulsus iniquis,*
*Hesperiæ infelix littora deserui:*
*Ipse quibus parens potui nunc alta profundi*
*Findere, nunc tunsos fluctibus ire propè*
*Naufragos scopulos, ventorum & ferre procellas,*
*Dum tumidi bellum suscitat vnda maris:*
*Nunc autem conscendere equos, celeriq; volatu*
*Delatus longas ire, redire vias;*
*Digna, indigna ferens, densasq; exquirere syluas,*
*Et quæ nigra horrent ilice tecta iuga:*
*Aequora nunc sese latè pandentia terræ,*
*Et loca non vnis vallibus aspra cauis:*
*Flumina nunc autem superare furentibus vndis,*
*Dum vaga in Ionias præcipitantur aquas.*
*Sed tamen Ausoniæ caris digressus ab oris,*
*Debueram patria si diu abesse mea,*
*Venissem saltem populos nouus aduena ad illos,*
*Queis odio durus non solet esse labor*
*Doctrinæ illustris causa susceptus, & omni*
*Quam quæsisse olim Græcia fertur ope,*
*Non has ad gentes, non hæc ad pectora sæuæ*
*Barbariæ Musas osa, patremq; Iouem.*
*Permensus quoniam tractus terræque, marisque,*
*Hellespontiaci littoris oram adij*
*Finitimam Troiæ, cuius dum lumine Phœbus*
*Lustrabit terras, fama superstes erit.*
*Vna senescentis numquam quæ gratia vatis*

Debetur cultis Mæonidæ numeris.
Qui veterum omnino restinxit nomina vatum,
Sol veluti radijs aureus astra suis.
Hic ego dum maneo, celebres prædiuitis vrbes
Visi Asiæ, & multis regna referta bonis:
Mox & Turcarum reges, secla impia, sedem,
Ostia ad Euxini quam posuere maris.
Hi quondam nostra domiti virtute, fugaces
Vt ceruæ, Ausonias pertimuere manus.
Nunc autem assueti populos euertere, & vnà
Exæquare humili mœnia celsa solo,
Commaculant sanie campos, & flumina tabo
Illorum, gladijs quos petiere suis.
Dumq; colunt Martem, Martem docuere colendum,
Linquendasq; artes docta Minerua tuas
Graiorum omne genus: Musasq; è finibus omnes
Cecropis, atq; Asiæ sic pepulere procul.
His nec dira magis fuerant fera secla gigantum,
Nec Læstrigonius sæuior Antiphates:
Qui primùm Musas è finibus Argiuorum
Eijcere, & patria qui potuere sua.
His ita iactatum cunctarum errore per orbem
Terrarum Parcæ me voluere meæ.
Interdum vt veteris non absona dicta poetæ
Crediderim, quorum est vis ea. Nempe homines
Crimine de magno miseros punirier vno hoc
Hospitio clausos, exilioq; graui:
Hisq; olim tenebris, terrarum his finibus atris
Mutauisse Iouis non sine mente domos.

Quæ

*Qua ratione igitur colerem, dum misceor istis*
*Mancipijs, Graios, dulcis amice, modos?*
*Ni fortè exercerem artes, præceptaq; linguæ,*
*Consilio, curaq; interiore animi:*
*Atque ego barbariem tantam, populumq; perosus*
*Immanem, & doctis corda inimica choris,*
*Tum reputans astri quibus, implacabilis ira*
*Rebus in aduersis tempora prima meæ*
*Pergeret huc illuc miserè iactare iuuentæ,*
*Ira inquam precibus dissoluenda pijs,*
*Orabam supplex Diuùmque, hominumq; parentem,*
*Cui paret cœlum non modo quicquid habet,*
*Verùm etiam astrorum vis importuna, relictis*
*Vt memet tandem gentibus hisce feris*
*Perfunctum omnigenis terræque, marisq; periclis,*
*In patriæ sineret confugere ille sinus.*
*Iupiter idem etenim flauo reditum Menelao*
*Annuit optanti, Dulichioq; duci.*
*Quem valdè indignos scimus tolerasse labores,*
*Perpessum terra, & multa nefanda mari,*
*Dum præfert sapiens vitæ immortalibus horis*
*Saxa Ithacæ patriæ littora dura suæ.*
*Nam neque perpetuis obductus nubibus æther*
*Verberat assiduo grandinis imbre solum:*
*Nec pelagi semper tumidas incumbit in vndas*
*Aut Boreæ, aut sæui vis violenta Noti.*
*Quin potius terra interdum lætissima ridet,*
*Ponit & insanos æquoris vnda sonos,*
*Ipse etiam patriaq; procul, longumq; vagatus.*

Iactatusq; miser casibus innumeris,
Cum primùm Italiæ potui contingere littus,
Et tandem ad fines lætus adire meos,
Tantum lætitiæ cepi, quantum asper Vlysses,
Cum tetigit patriæ limina amata suæ,
Neptuni iamdudum atra securus ab ira,
Quam prius expertus non semel exul erat.
Tempus enim posthac cursu meliore licebit
Aequales inter ducere sortè meos:
Atque adeò veterum assiduè noctesq; diesq;
Semper victuris inuigilare libris.
E quibus hi fructus capiuntur tempore in omni,
Attalicis opibus quos liquet esse pares:
Dum nos rite docent tenebrosæ obliuia Lethes
Effugere, & cœli tendere ad astra viam.
Ac tibi propterea rerum dulcissime grates
Innumeras toto pectore lætus ago,
Qui mihi grateris reduci: pro quo ipse vicissim
Officio dulci dulcis amicitiæ,
Lætitijs precor vt cunctis in cuncta fruaris
Secula, teq; omni Iupiter auctet ope.

# PETRI ANGELII BARGAEI CARMINVM.

## LIBER II.

### AD FERDINANDVM MEDICEM CARDINALEM, & ad Petrum fratres Medices Cosmi Magni Ducis Hetruriæ FF.



*VLLA ne vos hyemis species iam certa propinqua,*
*Nec sæui Boreæ vis inimica fugat?*
*Et tamen excessere istis è finibus omnes*
*Setigeriq; sues, capreoliq; leues.*
*Ac iam prata rigent niueis incana pruinis,*
*Et nulla est, quæ non torpeat vnda gelu.*
*Ecquid vos igitur nudis remoratur in aruis?*

*Ecquid, vbi nihil est quod iuuet, esse iuuat?*
*Hic Soles tepidi assiduè, cælumq; salubre;*
*Hic viridis multo gramine ridet humus.*
*Lætaq; coturnix fœcundos peruolat agros,*
*Et multo gelidæ pisce natantur aquæ.*
*Hic fruges passim depascitur improbus anser,*
*Rimaturq; amnes ingluuiosus anas.*
*Hæc etiam Lydo non inuidet vnda Caystro,*
*Cycnorum innumeros, quos alit ille, greges.*
*Quin damæ, & lepores inter fruticeta vagantur;*
*Inq; volutabris plurimus horret aper.*
*Ecquid adhuc statis, Tyrrhenæ ò regia gentis*
*Germina, & Ausonij spes rediuiua soli?*
*Vos nemora, & syluæ, placidi vos aura Fauoni,*
*Vestraq; vos Tusci littoris ora vocat.*

## Ad Vespasianum Gonzagam Ducem Sablonetæ.

INNVMEROS *potui meritò Gonsaga labores,*
*Aestusque, & brumæ frigora dura pati,*
*Siue per horrentis Pindi iuga, siue per Hæmi*
*Anfractus varia persequor arte feras:*
*Cum modo tantum in me decoris, cùm tanta redundet*
*Gloria, cùm tantus, tamque petendus honos,*
*Quantũ, & quale decus, quanta est ea gloria, quantus,*
*Qui mihi vel vita est carior vnus, honos,*
*Dum dignum statuis, quem per nemora alta sequarũ,*
*Qua nulli è nostris contigit ire via.*

*Hunc tu igitur si non planè reprehenderis, ipse*
*Conatum incipiam iure ego amare meum.*
*Namque vni placuisse tibi quibus euenit, iisdem*
*Euenit, vt placeant iam sine fraude sibi.*

## De xiij Italorum cum xiij Gallis pugna in Peucetijs ex prouocatione commissa.

*QVIS QVIS es, egregijs animum si tangeris ausis,*
*Perlege magnorum maxima facta ducum.*
*Hic tres, atque decem forti concurrere campo*
*Ausonios Gallis altus adegit amor,*
*Certantes, vtros bello Mars claret: & vtros*
*Viribus, atque animis auctet, alatq; magis.*
*Par numerus, paria arma, pares ætatibus: & quos*
*Pro patria pariter laude perisse iuuet.*
*Fortuna, & virtus litem generosa diremit:*
*Et, quæ pars victrix debuit esse, fuit.*
*Hic strauere Itali iusto in certamine Gallos:*
*Hic dedit Italiæ Gallia victa manus.*

## Ad Isabellam Medicem Cosmi magni Ducis Hetruriæ F.

*QVAM modo multiplici contextam ex arte corollam*
*In manibus pono dia Isabella tuis,*
*Ante mihi intacta legere è valle Napææ,*
*Quo ferrum nemo, nemo agit ausus oues.*

*Sola*

*Sola apis Hyblæos delibat Hymettia flores,*
*Dum strepit, & dulces construit inde fauos.*
*Tu verò decora ista tuæ cape debita fronti,*
*A casta veniunt quæ tibi dona manu.*
*Mollis odoratas hic fundit amaracus vmbras,*
*Illius & circùm plurimus extat honos.*
*Quiq; thymus varios inter viret vnus odores,*
*Excoluit puris hunc pudor vnus aquis.*

## AD EAMDEM.

*SI tibi quæ præstans animus, quæ gloria gentis,*
*Quæq; adeò eximiæ formæ honor vsque tuæ*
*Postulat, ò, veterum decus immortale parentum,*
*Magnorum ò proles suspicienda ducum,*
*Pro meritis Isabella tuis fortuna dedisset,*
*Vnica terrarum tu domina orbis eras.*
*Sed timuit, ne te rerum potiente iaceret,*
*Victaq; virtuti cederet ipsa locum.*

## De Hirundine quæ pullos strangulauit suos.

*AVOLAT è pueri manibus ludentis hirundo*
*Ponè trahens nexo pendula fila pede.*
*Vtq; refert dulcem natis implumibus escam,*
*Et nidi in summo margine læta salit,*
*Arentes tenuis longo subtegmine lini*
*Perdita festucas implicuisse videt.*

*Heu quid agat? peritura fame circumuolat: & quam*
*Attulerat miseris damnat, & odit opem.*
*Ergo illis laqueum ceruici innectit, & omnes*
*Interimit natos, pignora cara suos.*
*Proh scelus infandum: quis iam te barbara Progne*
*Credat Itym manibus non iugulasse tuis?*

## Ad Ferdinandum Medicem Cardinalem.

*VENARIS Fernande lupos, atque omnia latè*
*Reddis Amyclæo pascua tuta cane.*
*Roma igitur tantæ plaudit lætissima prædæ.*
*Cur ita? non Martem, sed colit illa Iouem.*

## De Aquila in aere interempta a Mario Vrsino.

*DVM pedibus leporem fuluus Iouis ales aduncis*
*Fert celer, & liquidum radere pergit iter;*
*Vulnere letalis (quis credat?) in aere baccæ,*
*Quæ Chalybe è medio protinus acta ruit,*
*Labitur: in præcepsq; imum per inane volutus*
*Et vitam, & vitæ gaudia linquit humi.*
*Labentem vidit Diuûm pater æthere ab alto:*
*Et sua mortales fulmina, dixit, habent.*

# DE EADEM.

*AERIAS Aquilæ nubes, atque astra petenti*
*Letali Marius pectora glande ferit:*
*Fistula quam media discludit ahenea flamma,*
*Cùm primùm iniecto sulphur ab igne micat.*
*Atque illam excipiens tellus memor: En mea proles*
*In Superos, inquit, fulmen & ipsa iacit.*
*Quod quamquam fratres non vlciscetur ademptos:*
*Hæc tamen haud posthac suggeret arma Ioui.*

## De Luscinia aue.

*LVSCINIA in summo consueta quiescere ramo,*
*Cui vitem agricolæ iunxerat ante manus:*
*Dum partim somno indulget, partim excita cantu*
*Exercet questus irrequieta suos,*
*Capreolis altè serpentibus, vnde racemi*
*Pendentes stabili sustineantur ope,*
*Vinciri crura imprudens non sensit, & arcte*
*Innecti alterutri vincula dura pedi.*
*Quo decepta dolo, & detexto in vimine clausa,*
*Conticuit multos mœsta silensq; dies.*
*Delicias sed enim postquam sese esse puellæ*
*Vidit, & à rosea pascier vsque manu,*
*Facta loquax iterum cantus integrat amicos,*
*Et dominæ somnis obsequiosa fauet.*

## Ad Franciscum Medicem magnum Ducem Hetruriæ.

*IVSTITIÆ nullus cùm iam locus esset in vrbe,*
*Dux magne, imperij quæ caput vna tui est:*
*Cunctaq; muneribus, donisq; oppressa iacerent:*
*Et, nisi non inopis, gratia nulla foret:*
*Fers legem, pœnasq; graues certissimus addis,*
*Ne donari aliquid, ne recipi ve queat.*
*Protinus ergò aditus sancto patuere pudori:*
*Et turpi à quęstu se abstinuere manus.*
*Inde tibi grates agimus, Dux optime, quorum*
*Iniustos sumptus non patiuntur opes.*
*Quæq; alijs erat, atque alijs exposta rapinis*
*Vrbs tua, nunc demum se videt esse tuam.*

## Ad Marium Vrsinum de Ciconia interempta.

*VNGVIBVS, & duro dum fortè ciconia rostro*
*Versantem colubrum lubrica terga rapit,*
*Percutitur bacca, media quam ferrea flamma,*
*Ceu fulmen, tereti fistula ab ore iacit.*
*Ergo cadit: prodestq; nihil coluisse parentem,*
*Et quòd cum dira prælia gente gerit.*
*Tu verò, qui totum vno certissimus ictu*
*Alituum sternis, cum libet, agmen humi,*
*Quem fugisse nequit manni post terga latentem*
*Seu mergus, seu sit grus, olor, anser, anas:*

*Parce pias posthac placidarum in cæde ferarum*
*Sanguine tam innocuo conscelerare manus.*

## De eadem ad eumdem.

*CANDIDA dũ mediũ curuis rapit vnguibus hydrũ,*
*Grataq́; longæuo fert alimenta patri:*
*Labitur heu dira percussa ciconia glande,*
*Et duro coluber liber ab ore fugit.*
*Proh scelus; exitium pietas illi attulit: ast hic,*
*Cui vita in primis noxia, sospes abit.*
*Quæ nam igitur te, sæue Mari, non prædicet ætas*
*Insonti tinctas sanguine habere manus?*

## Ex Græco.

*CONCRETO vt pueri rapiunt è flumine crustas,*
*Cum Brumæ, atque hyemes obriguere gelu.*
*Post autem, vt digitos peruasit frigus, & vnà*
*Torpor iners molles occupat articulos,*
*Nec quod obest retinere queunt, nec ponere norunt,*
*Dum glacies teneras vrit iniqua manus.*
*Gaudia sic primùm iuuenes in pectore versant,*
*Quos placito Veneris contigit igne puer.*
*Dein verò, vt pestem medijs hausere medullis,*
*Quæ cunctas animi depopulatur opes,*
*Discupiunt miseri, renuuntq́; extinguere flammas:*
*Et piget, & lenta morte perire iuuat.*

## IN SPES.

DVM circumuolitant animum ſpes;& tibi votis
Omnia promittunt vberiora tuis,
Tu procul, vt moto muſcas æſtate flabello,
Dum facto hinc illinc agmine in ora volant,
Fac abigas. aliter miſerè torquebere, teq;
Iam vixiſſe aliјs, non tibi flebis inops.

## Ad Franciſcum Panicarolam.

ORANTEM qui te non audiјt, Attica neſcit,
Et Romana tuæ quantum facundia linguæ
Cedat, & eloquio deuicta aſſurgat Hetruſco.
Aſſuit at quicumque ſemel dum dicis, & aſper
Exterres ſontes, aperisve arcana Tonantis,
Nec ſe immutauit, nec ſuſtulit ardua ſupra
Sidera: vos talem terris auertite peſtem
Cælicolæ: indignum vos mergite pondus Auerno.

## Ad Paullum Manutium.

QVANTVM Roma ſui Ciceronis maxima linguæ,
Tantum lingua tibi debet Ciceronis: & vni
Vna tibi quòd viuit adhuc: quòd floret vbique,
Et colitur, refert acceptum culte Manuti.

## AD EVMDEM.

*EXORTA est tecum culti Ciceronis imago:*
*Et viuit tecum, & tecum moriatur oportet.*
*Viue igitur mi Paulle diu, diu vt illa superstes*
*Viuat, & hoc vni præsens tibi debeat ætas.*

## Ad Laurentium Iacominium.

*LAVRENTI ò pulchris virtutũ insignibus aucte:*
*O, & Tyrrheni flos & ocelle soli.*
*Quid prius ipse in te mirer? studij ne labores?*
*Queis tibi sublimem sternis ad astra viam.*
*An verò ingenium? cuius vim sæpe sororum*
*Aonidum dulces obstupuere chori.*
*Externas quoniam dotes, quibus affluis, ipse*
*Consuesti haud proprijs adnumerare bonis.*
*Ast ego, cui virtus summis est proxima Diuis;*
*Illa prius, mox hæc singula suspicio.*
*Omnia namque in te qui non miratur, amatque:*
*Quæque tacens nouit dissimulare potest:*
*Ille vni sibi vim nimirum iniurius affert:*
*Splendidaq; inuidiæ dat documenta suæ.*

## In effigiem Benedicti Varchij.

*SACRAVIT primam primo qui flore iuuentæ*
*Aedibus ætatem Ractius hisce suam:*
*Quòd memoris, gratiq; animi dare signa, satisq;*

*Officio factum, quà potis, esse cupit:*
*Hic ipsum Varchij posuit de marmore vultum:*
*Atque vno in vultu tres tibi nosse dedit.*
*Historicum qualem quisquam vix legit: & vlli*
*Qualem Oratorem nec meminisse queant:*
*Vatem autem:, cui pauci audent contendere vates:*
*Siue illos Latium, Tuscia siue tulit.*

## Ad Ioannem Albertum I. C.

*SI medicum merces sequitur sua, cum sua ab arte*
*Vitæ aliquot nostræ prorogat ille dies:*
*Cur vatem, immortale æuum, nomenq; perenne*
*Cùm parat, Alberti, præmia nulla manent?*
*Scilicet haud multi (neq; enim res parua, neque omniũ*
*Corpore depressos apta mouere animos,*
*Ni quos ad cælum stimulat contendere gressum*
*Gloria præclaræ mortis amica comes)*
*Dum luxu indulgent, & somno, posse sibi se*
*Præstare hac tanta conditione putant.*
*Nam quicumque bono dat præmia digna poetæ,*
*Ille vnus numquam iam moriturus obit.*

## Ad Antonium Lanfredinum I.C.

*SI quem optare licet, qui cum traducere vitam*
*Possim, atq; ætatis tempora transigere:*
*Ipse vnus certè es, mi Lanfredine, diesque,*
*Ac noctes, qui cum dulce sit esse mihi.*

*Namque ij sunt mores, eaq́ est doctrina, tuiq́
Mirificè exculti tanta animi probitas,
Vt quicumque semel tecum est congressus, & inde
Non te amat, ac sese quisque adamare solet,
Nesciat is quantas virtus habet aurea vires;
Quàmq́ adeò vehemens vis sit amoris amor.*

## Ad COSMVM Medicem Magnum Ducem Hetruriæ.

*INVICTI paulo ante hostes, rex optime regum,
Opponunt castris dum sua castra tuis:
Et latè innumero populantur milite campos,
Diripiuntq́ auida templa beata manu,
Nusquam mœstæ vrbes, nusquam mœsta oppida pro te
Cessarunt summo vota vouere Deo.
Nunc autem, postquam cæsis tot millibus, ipse
Soluisti ingenti tristia corda metu,
Passim lætæ vrbes, passim læta oppida pro te
Festinant sancta soluere vota fide.
Vt dubitemus vtrum populo sis carior ipsi
COSME tuo: an populus carior ipse tibi.
Sed certè hæc laus est, hæc gloria magna, superbos
Sternere humi, & populis esse in amore parem.*

## AD EVMDEM.

*DVM te, COSME, diu nimium Labrone morantem
Inuidet Hetrusci littoris Arnus aquis:*

Exit,

*Exit, & aggeribus ruptis lata æquora tranat*
*Spumeus, & tumido gurgite vastat agros.*
*Iamq; auidis molem aggressus sese apparat vndis*
*Vertere, & antiquas obruere amne domos.*
*Seu nos ergo istuc fugientes excipe, seu tu*
*Huc, vt subsidat, maxime COSME veni.*

## AD EVMDEM.

*VIDERAT, Hetruscum quà se ora extēdit in æquor,*
*Arnus, & opposita mole minatur aquis,*
*Iucundas te, COSME, moras, & tempora lætum*
*Conterere, & ripas deseruisse suas:*
*Protinus ingenti concepta turbidus ira*
*Præfertur, video, iam mihi pontus, ait.*
*Quare agite, ò Nymphæ, cunctas effundite habenas,*
*Quosq; ego ditaui, nunc populemur agros.*
*Quòd si perstiterit spretis precibusque, minisque,*
*Mox Arnum is pelago sentiet esse parem.*

## Votum pro suscepta venatione, ad Dianam.

*SIC tua Panchæis fragrent altaria donis,*
*Venantiq; omnes dent tibi terga feræ:*
*Sic te nocturnas terræ incedente per vmbras*
*In triuijs vlulet sedula turba canum.*
*Susceptum da Diua mihi decurrere munus,*
*Et facili, quò iam cœpimus, ire via.*

Instru-

*Instructi vt nostris venantes artibus olim*
*Audaci subeant horrida tesqua pede.*
*Non ego tum varijs spargam modò floribus aram,*
*Suspendamq; alto plurima dona tholo,*
*Sed caput immanis præfigam postibus apri,*
*Nec non & Scythicæ cornua vasta feræ.*
*Adsis, ò, Diana: tuus iam retia ponit,*
*Et prædam toto littore COSMVS agit.*

## Ad Petrum Victorium.

*SI quem felicem, ac verè statuere beatum*
*Quicumque expendunt cum ratione bonum:*
*Ipse ille es certè Victori. nam tua primùm*
*Clarat te veteri nobilitate domus:*
*Deinde valetudo firmum, vegetumq; senectæ*
*Tradit, & à puero continuata venit:*
*Postremo virtus sese tibi pulchra, suasque,*
*Nixa quibus graditur, sedula pandit opes.*
*Cætera non referam: quando omnes vndique terras*
*Plurima doctrinæ sic monimenta tuæ*
*Complerunt, vt te quoddam ceu numen ab astris*
*Delapsum cuncti mente, animoq; colant.*
*Perge igitur, veterumq; libros, artesq; iuuato*
*Ingenuas omni qua potes vnus ope:*
*Perge inquam, nobisq; aperi quorum aurea magno*
*Cum damno in tenebris scripta sepulta iacent.*
*Ipsaq; tot meritis deuincta fatebitur ætas*
*Nulla vmquam tantum secla tulisse virum.*

*Nam*

*Nam si opus heroum proprium est prodesse futuris,*
*Atque hominum præsens velle iuuare genus;*
*Extinctis vitam, lucemq; afferre tenebris,*
*Quis Phœbi, & summi iam neget esse Iouis?*

## Ad Marium Columnam.

*ET domus est Italis non vlla vetustior oris,*
*Quæq; vel ingenti nobilitate potens*
*Sit magis, & summis heroum illustrior actis,*
*Pluribus & quæ se claret imaginibus,*
*Quàm tua, perpetuo magnorum è sanguine nobis*
*Orte ducum, ò Latij spesq; decusq; Mari.*
*Et nemo est, seu dulciloquas coluisse Camœnas,*
*Et facta ad cœlum fortia ferre virûm,*
*Seu luctantis equi duris calcaribus armos*
*Frangere, seu libuit tela mouere manu;*
*Atque vrgere acrem virtute, & viribus hostem,*
*Audax qui sese præferat ipse tibi.*
*O felicem igitur, fortunatumq; Columnam,*
*Qui facere, & doctè scribere facta queas.*

## Ad Io. Baptistam Asinium.

*TV ne igitur verbis Asini me docte putasti*
*Parere, & precibus non voluisse tuis?*
*Eadem opera potes & Solem quoque credere cœlo*
*Et nasci, & radios fundere nolle suos:*
*Aut etiam matrem puero nutricis egenti*

*Poscenti suetos posse negare cibos.*
*Non ego sum, sceleris qui tantum suscipere in me*
*Ausim, & tam turpis criminis esse reus.*
*Non, si me duris in cautibus ipse tulisset*
*Caucasus, & Scythici barbara terra soli.*

## Ad Christophorum Cressium.

*IPSE leues cernis Cressi conantur vt alæ*
*Incudem ad cœli sidera ferre grauem.*
*Conantur nimirum illæ fecisse, quod omnes*
*Posse vlla fieri vix ratione putant.*
*Quantum etenim leuitate sua tolluntur in altum,*
*Tantum hæc ingenti pondere vergit humi.*
*Sic animo solet esse suo cum corpore pugna:*
*Dum corpus terras, dum petit astra animus.*
*Verùm illud præclarum, in quo victoria laudem*
*Victori, & victo tempus in omne parit.*

## In Vitem.

*QVÆ nam autem infelix regio, quæ nam inuia Soli*
*In Scythicis vitem hanc educat ora iugis?*
*An Celtarum alpes glacie, niuibusq; rigentes,*
*Fertilis an ferri nutrit Iberus ager?*
*Quæ tam immaturos progignere sueta racemos*
*Commendat miseris tristia vina cadis.*
*At tu quid cessas illuc properare Lycurge,*
*Et stirpem inuisam deÿcere vltor humi?*

## Ad Antonium Ciofium I. C.

*QVAS te horas vitæ genio tribuisse Ciofi,*
*Vixisse & quando dicere te potero?*
*Numquam equidem: nam te modò ius ciuile Quiritum*
*Explanandi ad se publica cura rapit:*
*Et modò soluentem dubiarum ænigmata legum*
*Seuocat à nobis nobile Gymnasium.*
*Quin etiam interdum turba importuna clientum*
*Obsidet, atque domi detinet assiduum:*
*Vt suspirandi nullum, nullamq; iocandi*
*Momentum videam temporis esse super.*
*O verè studium sibi inutile, quod requietem*
*Nusquam habet ipsum, alijs quam peperisse solet.*

## In ingratum.

*SI læsus doleo, si, quem minus esse decebat,*
*Nunc illum in primis immemorem experior:*
*Vos, ò, perfidiam quicumque haud fertis inultam,*
*Impia nec sinitis facta latere diu,*
*Vos ò vos, inquam, cælestia numina, vos nunc*
*Testor, & has imo pectore fundo preces:*
*Vt, si nil feci, si mens sibi conscia culpæ*
*Nullius est, cur me fallere debuerit;*
*Debuerit misero furtim subducere sese,*
*Et nostræ fœdus frangere amicitiæ.*
*Ipse olim infidi verbis deceptus amici*
*Accuset tacitus seque, suamq; fidem.*

## Ad Petrum Antonium Iacominium.

*AONIIS, ò cura puer gratissima Nymphis,*
*Ante annos Cyrrhæ cui iuga culta patent:*
*Aduentantem ad se quem iam miratur Apollo,*
*Exceptum gremio quemq; Thalia souet.*
*Perge celer, nec te reuocet labor arduus vsquam,*
*Quò te nunc primum gloria dulcis agit.*
*Tempus erit tanto cum se Florentia alumno*
*Iactet, & increscens altior Arnus eat,*
*Cum laudes, nomenq; tuum viuensque, vidensque*
*Gaudebis ferri docta per ora virùm.*
*Ipse ego tum certè, seu iam per molle vagabor*
*Elysium, seu mi vita superstes erit:*
*Nil quidquam Lethæa timens obliuia, dicam,*
*Deleri nomen non sinet iste meum.*

## De Iola.

*ILLE tuus, Pan semicaper, crinitus Iolas,*
*Ille, tuos cantus quem superare ferunt:*
*Dum capit vmbrosæ somnos sub tegmine pinus,*
*Solus Amor vigili pectore seruat oues.*
*Iamq; cadunt altæ summis de montibus vmbræ,*
*Et prodire feræ, quæ latuere, parant.*
*Vestrũ aliqua, heu, Dryades, Dryades illũ excitet, vt ne*
*Fiat Amor sæuis cum grege præda lupis.*

## De Thyrsi pastore, & Lælape cane.

*INIVSSÆ redière & oues, simæq; capellæ,*
*Pascuaq; ingenti deseruere metu.*
*Sub quercu iacet extinctus cum Lælape Thyrsis:*
*Iupiter hos sæua sustulit ipse manu.*
*Eheu, quis posthac aget in nemora alta capellas?*
*Aut quis lanigeras iam tueatur oues?*
*Ille decus nemorum, & pastorum gloria Thyrsis*
*Occidit, & Lælaps gloria prima canum.*

## De Lacedæmonia matre, ex Græco.

*EFFVGIT exanimis nudato corpore, ciues*
*Dum miscent dubio prælia marte, Lacon.*
*Obuia quocirca iuuenem transuerberat hasta*
*Mater, & hos audax fundit ab ore sonos.*
*En patriam mentite tuam, mentite parentes,*
*I nunc, atque hosti cedere disce locum.*

## Ad Dionysium Lambinum.

*LAMBINE implicitos cui vatum soluere nodos,*
*Cui datur exculto suauiter ore loqui,*
*Bargæus tibi gratus agit doctissime grates,*
*Si non quas debet, quas tamen ipse potest.*
*Quodq; prius notæ virtuti debuit, en se*
*Præsto offert meritis, officijsq; tuis.*

*Tuq; tibi constare voles si nunc quoque, munus*
*Quàm leuius, gratum tam magis istud erit.*

## Ad bonam valetudinem.

*SI genio indulsi, si vitam suauiter omnem*
*Traduxi, nostram dum colis ipsa domum,*
*O, quam circumeunt vnam lususque, iocique,*
*Et cum lasciua matre proteruus amor:*
*Hunc mihi da tetrum è membris deponere morbum,*
*Qui cunctas imo pectore letitias*
*Expulit, & centum inducens vno agmine curas,*
*Mirificis mentem ludit imaginibus,*
*Da tetram hanc pestem, toto quæ corpore sæuit*
*Improba, in extremos reijcere vsque Getas.*
*Et te redde mihi: spargam mox floribus aram*
*Ipse tuam, & multa limina sancta rosa.*

## Ad Philomelam auem.

*NE cantus Philomela tuos, ne proijce ad auras.*
*Has quercus, hæc tu robora dura fuge.*
*Nec te decipiat, blandis quòd sæpe Napæis*
*Ornarit varium querna corona caput.*
*Hi tibi dum rami fundunt è cortice viscum,*
*Exitium miseræ, perniciemq; parant.*
*Sunt virides Bacchi vites, est proxima myrtus,*
*Intra quas versus dicere tuta potes.*
*Auratæ teneris pendent è vitibus vuæ,*

Myr-

*Myrtus odoratas spargit opaca comas.*
*Adde quòd & numeros, & dulcia carmina vatum*
*Et Venus, & toto pectore Bacchus amant.*

## De Luscinia aue.

*AVCVPE dum trepidæ surgunt clamante volucres,*
*Et cæcæ properant accelerare fugam:*
*Implicitæ maculis alas exoluere tendunt,*
*Et miseræ impediunt se magis atque magis:*
*Sola inter cunctas elapsa effugit, & altas*
*Luscinia in syluas libera facta volat.*
*Ecquis, io, vates sacrum genus esse negabit,*
*His auibus cùm dent retia & ipsa viam?*

## De Iola venatore.

*SEMICAPRI Panes, & montiuagi Satyrisci,*
*Quæq; alitis Dryades per nemora alta feras,*
*Hanc pharetram, hos arcus pinu suspendit ab alta,*
*Retiaque, & Triuiæ cornua rauca suæ.*
*Utq; capræ passim, leporesq; vagentur, Iolas*
*Constituit vobis hic iugulare canes.*

## De Demæneta, ex Græco.

*OCTO olim natos bello Demæneta raptos*
*Eodem omneis fertur contumulasse loco.*

*Sparge-*

Spargeret, atque adeò lachrymas cum in funera nullas,
Hos (inquit) peperi terra Lacæna tibi.

## In obitum Myconis pueri.

EXTINCTVM Dryades puerũ fleuere Myconem,
Castalij puerum spemque, decusq; chori.
Vtq; inter syluas, inter nemora ardua quondam
Nomine sub tanto secula cana forent,
Has illæ inscripsere notas radicibus imis:
Pieridum perijt spesque, decusq; Mycon.
Ergo dum flabunt venti, dum robora viuent,
Induet & virides dum noua sylua comas:
Non Thyrsis, non Daphnis erit, non notus Iolas,
Non alij, quos iam fama canebat anus:
Audiet at cœlum hoc vocem fundentibus ornis,
Pieridum perijt spesque, decusq; Mycon.
Hæc Dryades, & cùm læuùm intonuisset Olympo
Iupiter: en vota hæc iam rata, dixit, erunt.
Altaq; per Stygij iurauit flumina fratris,
Nomine sub tanto secula cana fore.

Pulcher Hylas Acmen: Acme pulcherrima Daphnin
Deperit: & Daphnis Chlorida, Chloris Hylan.
Acme spernit Hylan: Daphnis pulcherrimus Acmen:
Et Daphnin Chloris candida: Chlorin Hylas.
Filius hasce vices Veneris, Venus hasce Dione
Sæua iubet pœnas legibus esse ratas.
Idcirco horum alius, quantùm ferus odit amantem,

Disci-

*Tam est alij tristis, tamq; odiosus amans.*
*Discite vos igitur, qui vos malè fertis amari,*
*Vltorem vobis post caput esse Deum.*

*QVA patet æquoreas longè hinc prospectus in vndas,*
*Cunctaq; cæruleis impediuntur aquis.*
*Mira fides: quondam syluæ, montesq; fuerunt,*
*Oppidaque, & rarum fertilis vber agri:*
*Quòd si (namque potest nil non longinqua vetustas)*
*Nunc vbi sunt fluctus, pascua rursus erunt:*
*Cur ego non sperem Lalage mutetur vt olim?*
*Et veniat supplex, quæ modo dura fugit?*

## Tumulus.

*ET paucis natura mihi contenta, meumq;*
*Imbutum nullo crimine pectus erat.*
*Non liuor, non ambitio mala perculit, vt nunc*
*Hinc quoque mandarim nomen abesse meum.*
*Denique nil prauum placuit. si mentior, ipsa,*
*Qua tegor, æternùm sit mihi terra grauis.*

## In obitum Philippi Tornaboni Episcopi.

*QVI vatum obscuras voces, qui scripta piorum*
*Suetus, & ad sedes Diuùm aperire viam,*
*Et morum integritate, & vita puriter acta*
*Aequauit (si fas dicere) cælicolas,*
*Exuperans, qua parte potest, cuncta astra Philippus*

*Tornabonus adit mente, animoq́ Deum.*
*Dumq́; illic vitæ gaudet diuina beatæ*
*Gaudia, diuinis perfruiturq́; bonis,*
*Oblitus mortalem animum, sensusq́; rebelleis,*
*Spectat ouans, illinc se sine quicquid agunt.*
*Tum secum. Æternæ pars ò contraria luci,*
*Offudit tenebras nox mihi quanta tuas?*
*Iamdudum condaris humi. me mole relicta*
*Corporis, æternùm sidera habere iuuat.*

## Tumulus Laodamiæ puellæ.

*VITA fuit, mea nata, breuis tua: cùm tamen esset*
*Dignior in terris viuere forma diu.*
*Sic, iniusta tibi iustos quos abstulit annos,*
*Mors addet lachrymis, Laodamia, meis.*

## In obitum Henrici Valesij Gallorum Regis.

*HENRICVM tristis cùm iam Bellona videret*
*Cepisse inuicta regna superba manu,*
*Moxq́; sibi generum partis emisse Philippum*
*Austriacum, & populis otia longa suis:*
*Indoluit, celebrisq́; inter spectacula ludi*
*Obuia perfracta casside fudit humi,*
*Atque in connubij pacisq́; hoc fœdere, dixit,*
*Quæ caderet, nusquam victima maior erat.*

## In imaginem Didonis, ex Græco.

*QVAM cernis, vera est magnæ Didonis imago,*
*Hæc Paphiam formæ vincit honore Deam.*
*Talem me Tyrij quondam genuere parentes;*
*Nec mea, quem credis, corda perussit amor.*
*Numquam etenim Aenean vidi, neq; tempore eodem,*
*Quo cecidit Priami regia, Byrsa fuit.*
*Ipsa mihi, ne me Libycus poteretur Hyarbas,*
*Consciui mortem fortiter ausa manu.*
*At vos impuro Musæ fauisse Maroni*
*Non pudet, & tantum sustinuisse nefas?*

## In Ammannati Antæum.

*AN ne hoc Alcides in signum est versus? & ille,*
*Terra nouas vires cui modò tacta dabat?*
*An ne Ammannatus cœlo vim fecit? & æri*
*Spirare, ac voces edere posse dedit?*
*Namque, animã pressus qui nũc (viden') efflat ab ore,*
*Iam iam pondus iners proijcietur humi:*
*Cedet & hinc, duris hostem qui dura lacertis*
*Vrget, & inuictis pectora pectoribus.*
*Quòd si fortè suum differt victoria finem,*
*Et fracti nondum pectoris ossa crepant,*
*Longam huius docet esse moram, tempusq; palæstra,*
*Quando hic Neptuni est filius, ille Iouis.*

## Puerperium.

*HÆC ego formosa Lycidas pro coniuge vota*
*Persoluo, & capiti myrtea serta fero.*
*Vos fœtam seruate precor, vos nocte silenti*
*Custodes vigili numine adeste Lares.*
*Hic pilo, hic valida feriat contusa bipenni,*
*Deuerrat celeri limina at ille manu.*
*Tu procul in montes Syluane, atque auia cedas*
*Improbe, culta hic sunt omnia, culta domus.*

## Primitiæ.

*ET Pani, & Cereri, & Baccho dat rusticus Aegon*
*Primitias ruris munera parua sui.*
*Lac Pani, Cereri spicas, Bacchoq; racemos:*
*Ut vitem, vt segetes, vt tueantur oues.*
*Quòd si nec grando, mala nec rubigo, luesque,*
*Nec fures poterunt, nec nocuisse lupi:*
*Debita tum vestras felix cadet hostia ad aras:*
*Pani hœdus, Cereri sus, tibi, Bacche, caper.*

## Ad Lælium Torellium.

*QVEM modo perscripsimi Læli legis optime librum,*
*Ultima suscepti cura laboris erat.*
*In quo plus multo tibi me debere fatebor,*
*Quàm, cuius nuper sum satus ingenio.*
*Nam, ni illum de spe depulsum, animoq; iacentem*

*Erigeres, egomet non modò non poteram*
*Quicquam esse: ast id, quod miserùm foret, ilicet omnes*
*Absumpsset fratres iam quoque flamma meos.*

*EXITIVM Europæ miserati instare propinquum*
*Iunxerunt dextras Arnus & Eridanus.*
*Quod tantum in fœdus nunc quis dubitare potest, quin*
*Pacati veniant & Tagus, & Rhodanus?*
*Coniungent illi (inquam) animos hoc fœdere: & vnà*
*Coniungent magnis flumina fluminibus.*
*Gaude Ister, gaude Hebre, tibi iam vincula rumpent*
*Arnus, & Eridanus: & Tagus, & Rhodanus.*
*Tuq; adeò Europa auspicijs felicibus aucta,*
*Coniugio huic lætum læta precare Deum.*

## Ad Musam.

*SI nihil in nostris positum scis esse libellis,*
*O, quæ Parnassum blanda Thalia colis,*
*Quod non primores linguæ dixisse Latinæ*
*Constet, siue Maro, siue sit is Cicero,*
*Seu Carus, cultus ve Terentius, atque Catullus,*
*Et reliqui, quos tum pertulit illa viros*
*Heroum acta astris valde felicibus ætas,*
*Illa ætas virtutum omnium amica parens:*
*Da, si iusta precor, quæcumque ita scribimus, esse*
*Aeterna, & ferri docta per ora virùm.*

Nosq;

*Nosq; tibi ante aram ponemus in igne quotannis,*
*Quos facit indoctus Cacula versiculos.*

## In obitum Ioannis Medicis Cardinalis ad Marium Columnam.

*NEC lachrymas oculis, tristes nec pectore questus*
*Vllos in tanto funere docte Mari*
*Rupi ego. sed subito stupefactus fulminis ictu*
*Et cecidi, & iaceo nunc quoque mutus humi.*

## In eiusdem obitum ad eumdem.

*HEROVM qui facta Mari pauloante parabam*
*Dicere; & æternis concelebrare modis,*
*Oppressus fœda hac cœli, subitaq; ruina*
*Ceu saxum in gelidis montibus obrigui.*
*Elatusq; eodem, quo maximus ille, feretro,*
*Maxima pars tanti funeris ipse fui.*
*Et modo, qui loquor hæc, vereor sim viuus, an huius*
*Iamdudum extincti corporis vmbra leuis.*

## In eiusdem obitum.

*IN magno patris imperio quàm vixerit insons,*
*Quàmq; incredibili relligione pius,*
*Qui modo vix quarti ingressus vestigia lustri*
*Vltima Ioannes flosculus orbis erat.*
*Testantur gemitus passim, lachrymæq; bonorum,*

*Inq;*

*Inq; ipso populi publicus ore dolor.*
*Sed, cui vel Latium meminit, vel Hetruria nusquam*
*Nec vidisse vllum, nec genuisse parem,*
*Flagitia ille hominum, & scelera importuna perosus,*
*Et misera innumeris secula nominibus,*
*Debuit ad Superos tum primùm, atque astra reuerti,*
*Cum reliquis vita hæc gratior esse solet.*

## In eiusdem obitum.

*NON te tam pulchro spoliatum corpore, tamq;*
*Orbatum innumeris flemus abisse bonis*
*Ioannes: nam cui Superi non vlla negarunt*
*Dona, super cœlum, quod peteretur, erat.*
*Nos ipsos ipsi flemus: qui amisimus in te,*
*Quantum nulla vmquam secula restituant.*
*O fragilem fortunam hominum. quàm sæpe repente*
*In primo spatij limine lapsa ruit.*

## In eiusdem obitum.

*QVEM Cosmus Medices vnum, quemq; Helionora*
*Magna Toletanæ gloria, honosq; domus,*
*Innumeris ambo iuuenem virtutibus auctum*
*Spem Latio fuerant se genuisse rati,*
*Occidit extinctus subitò. Nos viuimus? inq; hac,*
*Hac aliquid vita credimus esse boni?*

## Ad Cosmum Medicem magnum Ducem Hetruriæ.

*QVI primum bene suscepta, Dux maxime, & inde*
*Tam pulchrè educta prole beatus eras:*
*Amisti subito geminos, tua lumina, natos:*
*Terra quibus nusquam sustulit vlla pares.*
*Oraq; cum passim lachrymis manantia cernas:*
*Tu tamen immoto vultu, animoq; manes.*
*Idque, quod in rebus iam te fecisse secundis*
*Constat, in aduersis vis modò constet idem.*
*O præstantem animum, dignumq; heroibus illis,*
*Vnde tibi illustres dinumerantur aui.*
*Sed quorsum hæc? (eheu) nostra hæc sunt vulnera: & isti*
*Non tibi, sed populis interiere tuis.*

## In Caculam.

*CACVLA tam placet ipse sibi, tam se ipse celebrat,*
*Quàm, qui se magnis vatibus esse parem*
*Credit, quòd tantum conscripto epigrammate, quemdam*
*Terruit è doctis, conspicuisq; viris,*
*Ne tractaret idem, quod iam tractauerat ipse,*
*Deplorans Pepuli funera acerba ducis:*
*Quem primæ primo versantem in flore iuuentæ,*
*Eximijsq; auctum dotibus ingenij,*
*Et præstantem armis, & nobilitate potentem,*
*Improba mors campos misit ad Elysios*
*Ante diem, longam tam dignum viuere vitam,*

Quàm

*Quàm sunt istius carmina digna mori,*
*Aeternisq́; tegi tenebris, & nocte profunda,*
*Et mergi obscuris cuncta voraginibus.*
*Quare Cacula se fallit. nam, qui sua non vult*
*Conferri ipsius carmina carminibus,*
*Impuri metuit propter contagia versus,*
*Nequa suis labes hæreat in numeris:*
*Ac se postillà Parnassi è vertice sacro*
*Musæ furcillis præcipitem eijciant.*

## In eumdem.

*SÆPE mihi dubio versanti in pectore multa*
*Constitit ipsa sui nescia mens animi:*
*An tot campiuagi fluctus, cùm Iupiter olim*
*Effusis terras obruit æquoribus,*
*Delerint homines: an tot Phaëtontius ignis,*
*Cùm sata, cùm syluas, cùm maris vssit aquas:*
*Quot, qui ceu funesta lues grassatur in omneis,*
*Ipse suis perimit Cacula versiculis.*
*Vt, quid præcipuè vitæ sit noxium in omni;*
*Ipse egomet sanè quàm sim animo ancipiti:*
*Sed tria sunt certè mala maxima, pontus, & ignis,*
*Quosq́; facit sæuus Cacula versiculos.*

## In eumdem.

*IN cycno quicumque leues, vel in ansere plumas,*
*In toruo setas qui numerabit apro:*

*Inq; coma exculta crines vndante puellæ,*
*Ad teretes suras dum spatiosa fluit:*
*Mox leui collecta manu sinuatur in orbes,*
*Et multo nitidum vestit honore caput.*
*Qui guttis quot Vere pluit: corpuscula qui quot*
*Grandinis in terras æthere lapsa cadunt.*
*Qui, præceps cùm sæuit hyems, quot prata pruinæ*
*Vrunt: quot torpent stagna, lacusq; gelu,*
*Nouerit: & Libycus pelagi quot fluctibus Atlas*
*Tunditur: & pontus monstra quot altus alit.*
*Ille idem poterit turpissime Cacula mendas,*
*Carminis & labes enumerare tui.*
*In quo nec verbis quicquam est impurius ipsis,*
*Quodq; minus, quod vis, significare queat.*
*Non res egregiæ, non sensa: sed omnia planè*
*E vulgi media fæce petita rudis,*
*Omnia & illepida, & numeris confusa Latinis,*
*Ruris & insulsis omnia plena iocis.*
*Et tamen à Musis, Phœboq; infense poetam,*
*Te ipse poetam inquam Cacula sæue vocas.*

## Ad Ranerium Boccam.

*QVI cupis æternum laudis præcerpere fructum,*
*Et tenebras numquam mortis obire malas,*
*Virginibus da te Aoniis, quæ flumina propter*
*Permessi assiduè carmina docta canunt.*
*Sic tibi sublimi contingere vertice cœlum,*
*Et dabitur Diuum nectare posse frui:*

*Vnde*

*Vnde ipse immortale æuum iam nactus, & exsors*
*Nominis effugies funera acerba tui.*
*O felicem igitur, fortunatumq; laborem,*
*Cuius ope à mortis lege solutus eas.*

## Ad Albiam puellam

Αντιστρέφον.

*CARMINIBVS mihi si durã vis flectere mentem*
*Albia, voce tua consocianda lyra est.*
*Lætitias ego tunc magnas iam sentio, cum mi*
*Liquida vox sensus, & sonus exhilarat.*

## De Phlogilla.

*DIANÆ, Phæboq; nouum decus addita, & ingens*
*Gloria Tyrrheni culta Phlogilla soli:*
*Audijt vt primum magnum redijsse Columnam*
*Incolumem ad ripas Arne beate tuas,*
*Lætitia exiliens, hoc est (ait) ilicet, hoc est,*
*Bruma quòd hic vernas gignit, alitq; rosas.*

## De Damone, & Phlogilla.

*DAMONI dum fortè subit noua cura Phlogilla,*
*Dianæ, & Phœbi grata Phlogilla choro:*
*Ne me (ait) ò ingens honor & noua gloria Floræ,*
*Sperne, quòd obrepit cana senecta comis.*
*Ipsæ etiamnum doctæ adhibent ad sacra sorores,*

Immiſcetq; ſuis me Cytherea choris.
Quin ego, quod tecum licet admirere, Columnæ
Gratus, & in primis grata Thalia mea eſt.
Ille meos verſus magni facit: ille poetis
Me quoque doctiloquis adnumerare ſolet.
Ille etiam, ſi quam canimus, fore cenſet, vt olim
Caneſcat ſeclis innumerabilibus.

## Ad Alexandrum Puccium.

VENOR ego, ò Pucci, & venandi captus amore
Perſequor aſſiduè per nemus omne feras.
Nec piget horrentes indagine cingere ſaltus:
Et caua ſollicitas ducere ad antra canes.
Ac, licet interdum fruſtrentur inania venti
Vota, neq; in caſſes præda petita cadat;
Dum tamen eliciam, quæ tu mihi carmina nuper
Miſiſti, Iſmaria carmina digna lyra,
Certè vſquam non vllus erit, qui dicat inanem
Venatu è tanto me rediſſe domum.

## Ad Cyprianum Saracinellium.

DIFFICILE eſt, Cypriane, illum, quem diligis ipſe,
Odiſſe, atque inter non numerare bonos.
Vt me, perpetuo quem tu dignatus amore es,
Eſſe putem dignum, quem bonus omnis amet.
Et certè, cunctis qui ſe cupit vſque probari,
Ille vni totum ſe probet ante tibi.

## Ad Hieronymam Aragoniam.

*NEC cantu tibi Sirenes Hieronyma certent:*
*Nec tibi se forma præferat ipsa Venus.*
*Nam, tu dum celeri percurris pollice chordas,*
*Summaq; clarisona sidera voce feris,*
*Horrida deponunt rapidi sua murmura venti,*
*Et sistunt cursus flumina præcipites.*
*In quem autem dulces ridens conuertis ocellos:*
*Efficitur gelidus protinus ille lapis.*

## De Lælij Torelli carmine.

*CVM Læli Angelius legisset amabile carmen:*
*Admirans tales edidit ore sonos.*
*Si iuris, legumq; vnus doctissimus hic est:*
*Quì pote Castalios sic coluisse choros?*
*Quòd si tam doctos didicit conscribere versus:*
*Primum in iudicijs obtinet vnde locum?*
*Sed, cuius voluit fidei committere COSMVS*
*Totius imperij sceptra regenda sui,*
*Non modò consilio reliquis præstare decebat:*
*Verum alijs etiam dotibus ingenij.*
*Afflueret quò læta bonis Hetruria cunctis:*
*Et COSMI æternum nomen in orbe foret.*

## Ad Franciscum Medicem, & Ioannam Austriacam magnos Principes Hetruriæ.

*INNVMERAS alij statuas dum ponere vobis,*
*Ornare & pictis compita imaginibus·*
*Fornicibusq; vias properant coniungere; qui ab se*
*Fortia vestrorum facta patrum memorent:*
*Ipse ego, vos inter sanctos quod cantet amores,*
*Quod celebret fausti gaudia coniugij,*
*Conscripsi, ò regum gratissima germina, carmen:*
*Et medio veniens ex Helicone tuli.*
*Vos animis capite id lætis. nam læta canenti*
*Omina, vos læta fronte fauere decet.*

# PETRI ANGELII BARGAEI CARMINVM LIB. III.

## AD IOANNEM MEDICEM COSMI MAGNI DVCIS HETRVRIÆ. F.

*COSMI progenies inclyta maximi*
*Ioannes, decus, & gloria Hetruriæ,*
*In te quid celebret nostra potissimum*
*Anceps si dubitat Musa, nec inuenit,*
*Quem finē statuat, quave ab origine*
*Primùm exorsa canat tot bona, quæ tibi*
*Concordi tribuunt numine cælites;*
*Quid mirum? veterum namque se imagines,*
*Vnde ortum repetis, protinus offerunt:*
*Queis se supra alios Tuscia sustulit*
*Ad cælum, & tetigit sidera vertice.*
*Mox fratres animum ad se rapiunt tui;*

*Quo-*

Quorum qui poterit dicere regias
Laudes, idem etiam, quot mare fluctibus
Pertundat Zephyris littora flantibus,
Atque æther rigidis quot micet ignibus,
Percensere queat, dum patet vndique.
Sed quorsum hæc? quoniam non tua ducis hæc,
Quæ non præstiteris tutemet, & labor,
In queis non aliquis se tuus efferat,
Laudari meritis possit vti suis.
Ergo non ego te, flos iuuenum, canam,
Quòd forma egregij corporis, atque opes,
Et præstans veteris nobilitas domus,
Reddant conspicuum: sed quòd amabilis
Cunctis, das operam, nullus vt vspiam
Virtute anteeat: siue agiles equi
Armos collibuit frangere Thessali:
Seu torquere lacertis iaculum in feras:
Tractare aut manibus tela decentibus:
Aut nando tumidi fluminis alueum
Tranare, & rapidis vincere cursibus
Eurique, & Boreæ flamina præpetis.
Atque hæc fortè aliquem si moueant parum,
Id certè moueat, quòd potis abdere
Cùm te in deliciarum illecebras fores,
Fortunæ pariunt quas bona diuitis,
Doctrinæ in studijs peruigilaueris,
Musis, & Clario gratus Apollini:
Sese munierit nullus vt artibus,
Dignis ingenuo pectore, pluribus.

*Quare si mea, nunc quæ tibi mittero*
*Ausus sum, veluti culta probaueris*
*Ipse vnus, videar posse, beatus vt,*
*Monstrari digito prætereuntium.*

## Ad Franciscum Toletum Societatis Iesu.

*PATER Tolete, cuius admirabilis*
*Rerum omnium scientia,*
*Vitæq; puræ, & absque labe sanctitas*
*Conuertit in se totius*
*Aetatis oculos huius; vt quod valdius*
*Seorsum stupescant singuli,*
*Simulq; cuncti prorsus esse nil putent,*
*Vnaq; voce prædicent.*
*Nam nullus vsquam viuit integerrimus,*
*Qui te sibi non præferat:*
*Tuæq; comparatus innocentię*
*Sese nocentem non vocet:*
*Libensq; fassus id, quod est, vestigijs*
*Si rite inhæserit tuis,*
*Non se beatum præter omnes autumet,*
*Speretq; postmodum fore,*
*Vt mentium cælestium patri Deo*
*Acceptior deseruiat:*
*Vitamq; felix degat vnus vndique*
*Bonis refertam maximis.*
*Nam quid necesse nunc referre pluribus,*
*O lux Iberæ gloriæ,*
*Doctorum vt omnis ordo te præstantibus*

Ad astra laudibus ferat?
Vt tu tenebras intimas discusseris
Tuis libellis aureis
Tota ex Lycei porticu? in queis se diu
Inambulantes voluerant?
Vt ipsa Patrum scripta, quae diuinitus
Dictauit ollis Spiritus
Supernè missus, ipse sic illuxeris,
Vt Phœbus illucet diem?
Quid? cum remissis hinc & hinc, vt assolet,
Curis seuerioribus,
Musas reuisis, non ne dulci carmine,
Quod pangis, omnes præteris,
Quotcumque nostra protulere secula,
Aequasq; te prioribus?
Quid? cum disertè disputas de serijs,
Et maximis negotijs,
Statuq; rerum publicarum, regibus
Consultus a potentibus?
Euenta cuncta, cuncta, quae putaueris
Agenda, non vel Delphici
Sunt certiora oraculis Apollinis?
Quo tempore illa credidit
Aetas dari mortalibus certissima,
Nec fas haberi non rata?
Vt iure te mirentur omnes omnium
Mortalium decuriæ,
Colantq; tamquam heroa quemdam maximum,
Et numen in terris nouum.
Quos inter & me fortè si locaueris

Beni-

*Benignus: ò, quas gratias*
*Agam Parenti Cælitum, qui me reum*
*Huiusce voti fecerit?*

## Ad bonam valetudinem pro Georgio Cornelio.

*O Diua, sedes quæ colis arduas,*
*Semperq; lætis Cælicolùm interes*
*Mensis, & indulgens choreis*
*Esse iubes procul vsque curas:*
*Sic te pauores vndique, sic fames,*
*Tristesq; morbi, sic macies malas*
*Depulsa vitet sub tenebras,*
*Inq; nigro dominetur Orco:*
*Risusq; blandi perpetuus comes*
*Adsit vicissim lusus, & aureæ*
*Cum Gratijs Horæ, ac perennis*
*Lætitiæ Venus alma mater,*
*Mater pudici sancta Cupidinis,*
*Altrixq; castæ grata licentiæ:*
*Cui ventus atrox sic iubenti, &*
*Sæua maris cadit vnda saxis:*
*Sæui quiescunt turbinis impetus:*
*Nubes relinquunt ęthera: nec sola*
*Terræ salubri iam madescunt*
*Rore nisi Zephyriq; flabris;*
*Tum se virenti gramine pascua,*
*Vernisq; passim floribus induunt:*
*Tum dia vitæ dux beatæ.*

Corda per insinuat voluptas.
Nam quæ sit auri te sine diuitis?
Quę liberorum gratia? quę imperi
Latè patentis, quæve curæ,
Quæve mali requies laboris?
Redde ò precamur te bona supplices
Hic quicquid vsquam est & iuuenum, & senum,
Redde ò merenti, nec priorem
Inuideas iuueni salutem,
Pro quo Adriani littora marmoris,
Atque ora Tusci nobilis æquoris,
Suspendit altis vota Diuis,
Nec modus aut gemitu, aut querelis
Ponetur vllus tristibus antea,
Quàm sæuientem depuleris luem,
Votiq; nostri nos, precisq;
Feceris adueniens potentes.
Tu sola fletum sistere: tu potes
Nobis dolorem hunc demere maximum:
Et dignus ille est quem reuisas
Protinus, incolumemq; serues.
Nam sempiternas nec reuerentior
Mentes honorat, nec melior colit:
Integritatis nec perinde
Vllus amans, fideiq; certæ
Custos, & asper sontibus, & ferox,
Atque innocenti commodius extitit,
Virtutis inuictus satelles,
Et scelerum metuendus vltor.

## Ad Alfonsum Carafam Cardinalem.

*NEC, quàm sollicitus tum mihi fregerit*
*Omnem sensum animi, quàmve grauis dolor*
*Mi sese extulerit pectore in intimo,*
*Cum te Fors mala perculit,*
*Vllus, sit licet & doctus, & eloquens,*
*Hybernisq; fluat plenior amnibus,*
*Vrna cum pluuias fundit Aquarius,*
*Dicendo facilè explicet.*
*Nec rursum ò columen Parthenopes nouum,*
*O spes Italiæ fida labantis in*
*Peius quotidie, ò, gloria seculi, &*
*Virtutum decus omnium*
*Alfonse: Ipse equidem nunc ego, dulcia*
*Quamquam Sythoniæ more niuis cadant*
*Iam verba è medijs visceribus mihi,*
*Vmquam sim potis assequi,*
*Quantum lætitiæ pectore ceperim,*
*Cum tot post hyemes, atraq; tempora,*
*Quorum vi miserè iam nimium diu*
*Conflictatus es innocens,*
*Discussis tenebris candidior tibi*
*Illuxisse dies denique visus est,*
*Multis ille quidem gratus: at hercule*
*Mi gratissimus: vnicè*
*Qui te, qui veteres gentis imagines,*
*Et fastos memores, actaque tot domus*

*Non vno veneror nomine: qui tuas*
*Virtutes colo proprias.*
*Ergo ò perpetuis affici honoribus,*
*Et cultu iuuenis digne superstite,*
*Istanc ex animo nunc ego gratulor*
*Fortunam tibi prosperam.*
*Et cunctos veniens lætior in dies*
*Rebus se facilem præbeat vt tuis*
*Sic opto & cupio, nil sit vt in meis*
*Votis, quod magis expetam.*

## Ad seipsum.

*QVIS hoc futurum credidisset Angeli?*
*Amicus ille, plurimum qui se tibi*
*Debere norat, idq; fassus antea*
*In amore te te præferebat omnibus:*
*Tui, suiq; factus immemor modo*
*Obliuioni teque, seq; vnà dedit.*
*Quis hoc futurum credidisset Angeli?*

## In Federici Feltrij Vrbinatium Ducis effigiem.

*ARTES si docuit Punica gens suas*
*Captantem insidijs Annibalem duces:*
*Si præstante Philippus*
*Fudit consilio hostium*
*Inuictas acies: si sapientia*

*Sertori potuit bellica cædibus*
*Non vnis legiones*
*Affecisse Quiritium:*
*Ingenti quoque te Sfortia gens suo*
*Astu, consilioque, & sapientia*
*Instructum bone Feltri*
*Bellis extulit horridis.*
*Sic casus similes, quos tibi bellicus*
*Orbatos oculo fecerat altero,*
*Virtus ipsa coegit*
*Inuitos quoque cedere.*
*Cui præter decora hæc maxima, maximas*
*Grates Aonidum docta cohors refert,*
*Culti & ripa Metauri,*
*Et fluxu Tiberis rapax.*
*Dum terras igitur conteget vndique*
*Cælum, cum Latio Græcia nobili,*
*Quòd viuit tibi semper*
*Se debere fatebitur.*

## Ad Benedictum Varchium, in obitum Lucæ Martinij.

*QVALES aerio è vertice montium*
*Amnes primùm humili flumine defluunt,*
*Radicesq; suis imbribus arborum*
*Imas suauiter irrigant,*
*Ac mox propositum dum peragunt iter,*
*Paulatim innumeris fontibus alueum*

Aucti, præcipites iam magis ac magis
Quercus funditus eruunt.
Qualis ve Ismarius Thracia ab vltima
Primùm flat Boreas lenis: & æquoris
Vndæ raucisono murmure perstrepunt
Ad primi vada littoris:
Maior dein hyemem concitat horridam
Incumbens pelago: nec prius impetum
Aurarum cohibet dura minantium,
Quàm secum omnia verterit,
Quassasq; ad scopulos impulerit rates
Sæuo circumagens vortice turbinis,
Syrtesque in medias vrserit, & rapax
Alto cinxerit aggere.
Varchi, sic lachrymas fundere sueuimus,
Sic lenes gemitus, sic querimonias,
Si quid, quod miseri nolumus, accidit,
Sic suspiria primulum
Non alte petimus: postmodo quæ suas
Vires concipiunt non secus, ac leues
Scintillæ silicis fomite in arido
Sensim incendia suscitant.
Luctum luctus alit, quando aditum semel
Mærori penitus qui patefecerit,
In mærore iacet perpetuo, & malam
Auget tristitiam in dies,
Donec fractum animum sollicitudine
Victor præsidijs deijcit omnibus:
Nec se præterea perditus erigit,

*Nec carus moritur suis.*
*Ergo mollitiem hanc protinus abijce,*
*Et finem numeris flebilioribus*
*Tandem impone. tuos mœstus ab æthere*
*Summo percipit auribus*
*Questus, & lachrymas damnat amabiles,*
*Lætus Pierio qui prius audijt*
*Voces dulciloquas sæpius, & modos,*
*Quos cantu dare sueueras:*
*Atque odit querulæ carmina tibiæ,*
*Postquàm in perpetuam lumina condidit*
*Noctem ille ingenij cultor, & omnium*
*Virtutum specimen, tuus*
*Martinus, probitas cui parit, & fides*
*Immortale decus, nomen & inclytum:*
*Quod nullo intereat tempore, dum poli*
*Pascent sidera vertices.*

## Ad Arnum amnem.

*PATER beate fluminum liquentium,*
*Quotcumque Hetruriam rigant,*
*Jugiq; fluxu dissecant Tuscos agros,*
*Pulsantq; Tyrrhenum mare*
*Nunc defluenti tardiores agmine,*
*Nunc acriores impetu:*
*Vale Arne multi & peruetusti nominis,*
*Quod nulla mutauit dies*
*Vmquam, nec vlla Barbarorum incursio,*

*Nec vis iniqui sideris.*
*Seu te laboriosus olim filius*
*Iouis tonantis, ardua*
*Cum Fæsularum condidisset mœnia*
*Reuersus orbe ab vltimo,*
*Sic nuncupauit, mutuatus nomen id*
*Arne ab sua Bæotiæ:*
*Seu tu vocatus sic fuisti ab incolis,*
*Quos ipsamet produxerat*
*Hetrusca tellus, quosque in ipsis finibus*
*Tibi educari videras.*
*Nam quòd colonos esse credant Lydios*
*Docti putarunt fabulas.*
*Sed tu vel hic, vel ille malis dicier*
*Hetruscus, an Bæotius,*
*An Lydus altæ clara proles Omphales,*
*Ceu fama fert, & Atyos:*
*Vale beate fluminum pater, vale.*
*Hybernus & te Iupiter*
*Fœcundet imbre sic, vt ire iam queas*
*Vni tibi simillimus,*
*Vtrinque ripas inter altas dum fluis*
*Aptis onustus alueis*
*Hucusque merces conuehentibus suas,*
*Quæ pòst in vrbe veneant.*
*Vale Arne nunc. saluere mox te iussero,*
*Pater beate fluminum,*
*Cum litterarum conticentibus scholis*
*Reuertar huc celerrimus.*

Me namque Soles inter ardentissimos,
  Quibus perusta exaruit
Hetrusca tellus omnis, & frigentium
  Aquæ perennes fontium
Refrigerasti temperatis fluxibus,
  Salubribusq; balneis.
Ergo ò beate fluminum pater vale,
  Rursusq; cum reuenerit
Æstas, calores vix ferentem me bono
  Refrigerato flumine.

## In Hortum.

HORTE & vepretis tristior densissimis,
Palustribusq; vliginosior locis.
In quo colendo, ni patrum vana est fides,
Versatus olim est Insuberq; villicus,
Nec non Hetruscus, & malo assuetus Ligur
Diu: neque omnino aliquid vllus extudit.
Cum reddidissent ante valde fertiles
Quoscumque fœcundo irrigarant flumine,
Festiua vt illi copia posthac sua
Ciuesq; recreauerint, & hospites,
Vmbrisq; Soles frigidis defenderint.
At tu vepretis tristior densissimis,
Expensa cui feruntur annis singulis
(Quis hoc putaret?) ipsa tota millia
Triginta, & amplius: peritq; cæteris
Agris feracibus, neque ipsius manu

*Heri sat vmquam liberaliter satis*
*In te colendo quicquid insumi solet.*
*Cur non pruinis vstus, & caloribus*
*Sæuæ miser Caniculæ, iam desinis*
*Et nos, & ipsos enecare villicos*
*Betisque, maluisque, & cicutis? ò precor*
*Aresce nobis horte: iam nimis diu*
*Moraris: aresce horte nobis, & sinas*
*Feraciores excoli Pisis agros.*

## De bellicis laudibus Hyappini Vitellij.

*MAXIMI Clio soboles Tonantis,*
*Dulcis ò Phœbi soror, ò, perennis*
*Cœli, & astrorum requies, virùmq;*
*Iuge leuamen,*
*Musa, quæ numquam sinis interire*
*Nomen heroum, tenebrisque, & Orco*
*Vindicans, fortes hominum caduco*
*Eximis æuo:*
*Huc ades, si te numeris canenti*
*Bellicas laudes iuuat affuisse:*
*Huc ades, dum nos celebramus acris*
*Facta Vitelli.*
*Hostibus quàm sit metuenda virtus:*
*Orta quæ patrum semel è triumphis*
*Posteros deinde est comitata cunctos*
*Mille per annos.*

*Testis est nostris male fida rebus*
*Cyrnos haud vna labefacta clade:*
*Cum iugum presso vetus exuisset*
*Libera collo.*
*Quæq; suscepto temerè impediuit*
*Sena se bello minus auspicatò:*
*Tusca vbi effuso maduit recenti*
*Terra cruore*
*Sæpe, & audaces cecidere Galli*
*Non semel victi, nec acerba passi*
*Vna, sed crebro cumulata latis*
*Funera campis.*
*Testis & priscæ spatiosa Cossæ,*
*Nota quæ sæuo nimis ora Mauro*
*Suspicit muris, geminisq; tutam*
*Arcibus Iluam.*
*Quippe Turcarum refluens natauit*
*Sanguine: & sagittiferos maniplos*
*Vidit infractos Italis dedisse*
*Terga, manusque.*
*Venerat iussu Scythici tyranni*
*Nostra prædatum numerosa classis*
*Littora: & Tusci maris obsidebat*
*Aequor, & oram.*
*Illa non molles Arabas, Syrosve,*
*Non parum fortes Lycios vehebat:*
*Sed truces Dacos, & amica Marti*
*Pectora Bessos.*
*Quin & immites aderant Geloni*

*Pelli-*

Pellibus tecti caput: & ferentes
Gnossias tergo pharetras, & acres
Paeones arcu.
Nec suas non & Cilicum cateruæ
Iunxerant vnà validas bipennes:
Læua quos armat clypeo, latusq;
Cingitur ense.
Hos metu plenus Ligur, atq; Herruscus
Finibus pulsi patrijs dolebant
Arduas passim populare sedes,
Templaq; Diuùm.
Dumq; nutricis vel adhuc egentes
Liberos à se procul ire captos,
Duci & vxores, miseraq; vinctas
Compede matres
Triste plorarent: aciem superbus
Littore in primo maris instruebat
Hostis: vt Tuscas ferus inter vrbes
Castra locaret.
Tunc Hyappini memoranda virtus,
Ecquis ò mecum generosa pubes
Primus huc audax? ait, & paratum
Vadit in hostem?
Partus hic nobis hodie triumphus,
Et decus: quantum patribusque, auisque,
Facta quos clarant sua, comparasse
Nulla feruntur
Secula. His dictis metuendus hasta
Euolat, qualis Iouis imminenti ab
Rupe

*Rupe Massylos ruit in dracones*
*Fulua satelles.*
*Primus & densas aperit cohortes*
*Vi, minis, ferro: peditesque, & ipsos*
*Principes leto dat, & obstinatos*
*Fundit, agitque.*
*Nec manus pugna prius abstinere*
*Doctus, hostilem periisse quàm rem*
*Sentiat victor, tepefecit alta*
*Littora cæde.*
*Tunc humi fortes cecidere Daci,*
*Pæones, Bessi, Cilices, Geloni.*
*Tum suo primùm didicit periclo*
*Barbara classis*
*Dextra quid possit, quid auita virtus*
*Ausonum tanto duce: dum relicta*
*Parte maiori, sociisq; longè*
*Fugit inultis.*

## Ad Antonium Ciosium Iureconsultum.

FERVNTVR *olim tres fuisse virgines*
*Thaumante natæ, queis voracius nihil*
*Aetas parentum vidit, aut rapacius.*
*Testatur hoc vel oris horror asperi,*
*Manusq; obuncæ, venter & profundior,*
*Quàm Scylla, quàm Charybdis vlla immanior.*
*Quarum Celeno, quam vocamus principem*

*Locum tenere creditur, sed alterum*
*Furens Aello; tertium rapax soror,*
*Nomen volatus cui celerrimus dedit.*
*Hæ regis olim Thracis haud mensas modò*
*Cibis onustas inquinabant fœtidæ,*
*Sed in profunda deprimebant viscera*
*Quæcumq; promus-condus extulerat penu*
*Opes vt omnes deuorarent imperi,*
*Fameq; cunctos enecarent Bistonas.*
*Sed vt priora secula haud inaniter*
*Tibi locuta fortè persuadeas,*
*Quid has sorores ipse credam, percipe.*
*Fuere tres tum iudices, quos litibus*
*Dijudicandis ille Rex præfecerat;*
*Libidinosè & insolenter improbi.*
*Hi ius quòd ipsum vendiderunt omnibus,*
*Nefasq; miscuere fasq; sæpius,*
*Contentiones excitarunt plurimas:*
*Regemq; mentis lumine orbatum suæ,*
*Simulq; falsos virginum vultu Scythas*
*Ad indigentiam impulere huiusmodi,*
*Ut quod comesset, haud haberet quispiam:*
*Donec fugatos Zetus & Calais procul*
*Plotas relegant vltimas in insulas.*
*Illic rapaces in volucres Iupiter*
*Iratus omnes vertit: & iussit suas*
*Canes vocari sic, vt ipsæ sumerent*
*Modesta, cum liberet, ora iudicum*
*Varijsq; pœnas irrogarent gentibus,*

Quo

*Quo iure, quave iniuria. Sic plurimi*
*Fuere ab istis perditi, ceu perditè*
*Nunc nos ab ijsdem perdimur: nec profuit*
*Quòd tu Ciofi docte, quodq; ceperint*
*Paterque, filiusque me suam in fidem*
*Asinij, clientum fida spes, quòd æquior*
*Vsquam sit acta nulla causa gentium:*
*Quòd vestra præstet omnibus scientia,*
*Qui sunt, vel olim qui fuere maxima,*
*Terrarum vt orbis nouit, aduocatio.*
*Scitum ergo id est, quod dicitur: plus vnius*
*Apud rapaces posse summam gratiam,*
*Pecuniamque: iura quàm ciuilia,*
*Rem si probandam luce monstrent clarius.*

## Ad Tippulam medicum.

*NIL esse certum credidere nonnullæ*
*Scholæ, quod vlli percipi putent posse.*
*Nam sæpe quisque decipi suos sensus*
*Sentit, videtque. nempe in omnibus remi*
*Existimantur esse prorsus inflexi,*
*Imas in vndas cum trireme de summa*
*Pendent remissi. nec minus columbarum*
*Circùm refulget aureis nitens plumis,*
*Coloribusq; plurimis litum collum*
*In Sole dum versatur. & tamen falsum est*
*Et hoc, & illud. namque nec recuruantur*
*Remi, nec auro, nec coloribus fulget*

*Collum columbæ, quod videtur, in multis.*
*Nil ergo certum scire possumus quicquam,*
*Si veritatis nuntij, ministrique*
*Falluntur ipsi sæpe principes sensus.*
*Hęc disputantum somnia, & meras nugas*
*Ostendit esse nuper ille, quem dicunt*
*Et aptè, & eleganter inter æqualeis*
*Saltare consueuisse, & inde cognomen*
*Tulisse saltatoris, in scholis donec*
*Est Adrianis commoratus: artisque*
*(Quis tunc futurum credidisset hoc vmquam?)*
*Gnarus sciensq; nullius bonæ, nunc se*
*Gnarum medendi venditat malo planè*
*Cum damno Hetruscæ ciuitatis, & gentis*
*Certus peremptor, carnifexq; crudelis.*
*Ille ergo sæuus, ille scilicet tortor*
*Ostendit vnum hoc posse scire nos certum:*
*Omnes perisse, queis medetur, ægrotos.*

## Ad Ferdinandum Medicem Cardinalem.

*DARIVS olim Xerxis illius pater,*
*Quem nauigasse Thessalos montes ferunt,*
*Et ambulasse Thraciam Propontidem,*
*Cum fortè miræ granditatis Punicum*
*Malum patefecisset, vnde plurima*
*Apparuere grana mirum in ordinem*
*Digesta ciccos inter, & membranulas:*
*Interrogatus, an ne tot carbunculos*

*Habere vellet masculos? an quidpiam*
*Aliud, quod esset carius carbunculis,*
*Cunctisq; gemmis Indici maris? Equidem*
*(Respondit ille) si optio hæc detur mihi,*
*Non regna, non elegerim pecuniæ,*
*Aurive possidere tot prædiuitis*
*Venasque, thesaurosque: sed tot Zopyros,*
*Fidos amicos scilicet. ceu diceret*
*Se malle* COSMVS *ille, qui tuus est pater,*
*Habere, quàm tot regna, tot Torellios.*

## Ad Marium Columnam.

*OLIM volucres, cum solebant à metu*
*Nos inter ire liberæ:*
*Formidinisq; prorsus expertes malæ*
*Habere sic commercia,*
*Vt interessent omnium celebribus*
*Mortalium conuentibus;*
*Coorta derepente tristis extitit*
*Rerum omnium penuria.*
*In qua misellis cum nihil planè foret,*
*Quo pellerent diram famem,*
*Essentq; terris clausa cunctis horrea,*
*Agriq; contecti niue,*
*In concionem prodiere: quò modum*
*Rebus pararent perditis.*
*Ibiq; dictis commodùm sententijs,*
*In hanc itum est ab omnibus:*

*Vti volucres singulæ pennas sibi*
*Alis ab ipsis vellerent:*
*Et inde vestem texerent multiplicem.*
*Quæ, cum coloribus foret*
*Distincta pulchris, illico potentibus*
*Venumdaretur regibus:*
*Ac mox coacta publicè pecunia*
*Emptis redirent frugibus.*
*Id ergo tota vt approbauit concio,*
*Pennas volucres vellere,*
*Quas inter omneis ducerent pulcherrimas,*
*Vnumq; conferre in locum.*
*Dehinc, beatæ veste confecta, suas*
*Quæque æstimare plurimi:*
*Sibiq; soli plaudere: asserens fore,*
*Vt vestis ob suas modò*
*Pennas placeret: vtq; earum nomine*
*Diuenderetur optimè.*
*Primumq; res successit haud multo secus,*
*Atque antea putauerant.*
*Sed mox, vt illas alteras pennas semel*
*Pennæ voraces alitis,*
*Quæ sæuientis est ministra fulminis,*
*Mixtas vorarunt (& quidem,*
*Vt fabulantur, indidit vim Iupiter*
*Cum primùm ab Idæ vallibus*
*Tulere regis filium) sed vt tamen*
*Pennas vorarunt cæteras,*
*Contempta vestis ipsa, despicatui est*

*Pictura*

Pictura ducta textilis.
At rursus illæ; nesciæ videlicet
Quid accidisset, alteram
Quæstus, lucriq; spe futuri, credulæ
Cum mox venirent venditum,
Secumq; mirarentur esse neminem,
Qui vel leuem pecuniam
Ibi occupare vellet: hæc, petentibus
Silentij causam noui,
Respondit ipsis vnus ex emptoribus.
Abite fallaces aues,
Vobisq; habete vestra mercimonia,
Vnaq; pennas putridas.
Quòd si quid exportare posthac forsitan
Ex hisce vultis nundinis,
Pennis reuersæ ferte textam stragulam,
Quæ permanere in posterum
Alijs cito pereuntibus pennis, diu
Superstites ipsæ solent.
Sic nos Columna debitas pœnas tibi,
Phœbi Columna maximum
Decus, luemus è disertorum choro,
Cœtuq; reiecti: tuis
Qui perpolitis fortè nostros iunximus
(Cum versibus versus malos
Minuta vatum turba. nec, fastidio
Pro nostro: & insolentia,
(O, non ferendam tempore vllo audaciam,
Pœnaq; plectendam graui)

Vim

*Vim sustinere posse desperauimus*
*Mari, tuorum carminum:*
*Vim, quæ perinde nostra deuorauerit,*
*Attriueritq; carmina*
*Paucis diebus: vt vorari plumbeæ,*
*Et atteri lamnæ solent:*
*Quas, fortè lima dum secantur, ilicet*
*Euanuisse cernimus.*

## Ad M. Tullium Beroium.

*QVICVMQ. veram te quietem persequi*
*Diserte Beroi putat:*
*Vnumq; te miratus, vno in te stupet,*
*Haud errat is, me iudice.*
*Neque hercle dico hoc ipse, quòd parentibus*
*Virtute claris, & loco,*
*Et ciuitate peruetusta, sis satus:*
*Diuesq; opibus, & copijs*
*Tuæ beatus incolas sedes domus,*
*Solumq; dulce patriæ:*
*Felicitatis plurimum tibi hæc licet*
*Afferre non vlli negent:*
*Sed quòd subacti dotibus pulcherrimis*
*Ornatus ingenij colis*
*Musas ab vrbe procul, & ab negotijs*
*Vitæ molestioribus:*
*Canisq; lætus fertilis ruris bona,*
*Et, quæ sequatur singulas*

Horas

*Horas voluptas, quoq; fallamus modo,*
*Si nos quid vrit turbidos.*
*Nec, Vere cum soluta nix Fauonijs*
*Lapsus adauget fluminum,*
*Non dicis, almæ vitis vt propagines,*
*Tenerrimiq; palmites,*
*Supernè gemmas turgidas trudant suas,*
*Vt induant syluæ comas,*
*Arbusta florem, molle gramen pascua:*
*Quod mox petulcæ tondeant*
*Morsu capellæ, dum per asperos vepres*
*Lasciuientes gestiunt:*
*Vt rore dulci, vt vuidis herbis oues*
*Pastæ reuertantur domum:*
*Agnisque, clausos manè quos reliquerant,*
*Distenta portent vbera.*
*Quin pertinaces addis, vt cantus die,*
*Noctuq; Aedon integret,*
*Dum voce rura, voce mulcet æthera,*
*Totumq; iam flammis dolet*
*Nouis peruri pectus, & medullulas*
*Amoris æstu liquier.*
*Quos haurientes auribus questus, vagas*
*Ducunt choreas cum suis*
*Mixtę puellæ amantibus sub ilice*
*Densa, vel vlmo sub caua:*
*Afflantq; passim mutuæ mentem omnium,*
*Et ossa peruadunt faces:*
*Faces iugalis illices Cupidinis,*

*Casto-*

Castoq; amori præuiæ.
Quid? quæ canenti præstat vni non iners
Aestas tibi solatia?
Siue arua adunca dentibus falcis metis,
Seu tu maniplos alligas,
Spicisve grana discutis flauentibus,
Altève iacta ventilas.
Seu cum meridiatus exis vespere,
Et aspicis lætos greges
Cubare villæ limen ad notum suæ,
Eruoq; præpingues boues.
Vel cum celebras luce festa ludicrum
In gratiam viciniæ:
Soluisq; dulce præmium victoribus,
Quod quisque se dignum ferat.
Atque inde cum se torridus fregit calor,
Aut amne proximo lauis,
Lymphaq; temperata te refrigeras,
Salubribusq; balneis.
Aut conticentem suscitas musam lyra,
Fidesq; contentas moues,
Neruisq; molle carmen aptas, suauiter
Quod accinant puellulæ.
Iam verò ad illas quisquis oculos verterit
Suos, tibi quas exhibet
Autumnus vuas vite ab alta pendulas,
Et poma, quæ carpas manu,
Feruensq; mustum, quod cauo exceptum lacu
Pressos reponas in cados:

Quis-

*Quisquis per agros, & vepreta viderit*
*Vrgere te semel feras:*
*Atque impedire retibus densissimis,*
*Viscoq; deceptas aues,*
*Verè beatum, Marce Tulli, te putet,*
*His qui fruare commodis*
*Et ruri, & ipsa in vrbe: dum complecteris*
*Vitæ latentis singulas*
*Laudes venusto persecutus carmine:*
*Quod in futurum dulcibus*
*Nymphis dicatum (si qua vatibus fides)*
*Non vlla delebit dies.*

# PETRI ANGELII BARGAEI CARMINVM LIB. IV.

## AD L. AELIVM TORELLIVM.



*VT omnis tibi conſtet & negotij,*
*Atq; otij ratio, Torelle, noſtri,*
*Ad te mittimus hunc nouũ libellũ:*
*Nouum: nam mihi nuper inchoatũ*
*Saturnalibus hiſce ad vmbilicum*
*Duxere Aonides nouem ſorores,*
*Piſis dum ſchola conticeſcit omnis,*
*Dum frigent ſtudia ipſa litterarum*
*Prolata, & cupidè nimis iuuentus*
*Damnoſo vacat occupata ludo.*
*Hunc tu (ſi modò, qui legatur, eſſe*
*Dignum duxeris) oro diligenter*
*Totum perlege, & æſtimato tecum*

*Quàm sint ingenio poetæ inani:*
*Quibus cum pereant sui labores,*
*Non possunt tamen abstinere, quin se*
*Eodem loci identidem reuoluant.*
*Quamquam, quicquid id est, tuo absolutum*
*Hortatu sciet esse posterorum*
*Aetas. namque ego subleuata nulla*
*Non spe, non ope, iusseram valere*
*Musæ carmina nostræ. at vnus ipse,*
*Ipse inquam acriter increpans ad illam*
*Curam (pro quo etiam tibi patrone*
*Gratias ago) rursus impulisti.*
*Ergo quòd nouus exeat libellus,*
*Et quòd consilium meum perenne*
*Tacendi haud tuear, diserte Læli,*
*(Hæc si vmquam mea forsitan videbunt*
*Plus vno superesse grata seclo)*
*Acceptum referent tibi nepotes.*

## Ad Franciscum Bencium Societatis Iesu.

*BENCI, dum numeris Maronianis*
*Tuorum socium migrationes*
*Ad sedes canis ætheris quietas*
*Et doctè, & piè, & eleganter: vt qui*
*Legerit semel, hauseritque, quanta*
*Voluntate animi hostibus necandos*
*Ipsi se obtulerint, & impiorum*

Pij diruerint sacella, & aras;
Et cruces ibi fixerint colendas;
Statim sentiat intimas medullas
Cælestis patriæ flagrare amore:
Et desiderio beatitatis,
Quam Christus Deus vsque pollicetur
Suis, si modò se sequantur vnum,
Precari similem migrationem
Ad cælum sibi ab his tenebricosis
Orci sedibus: in quibus tot inter
Curas viuere cogimur, procaces
Æternæ comites, ducesq; mortis;
Dum tu, inquam, numeris Maronianis
Tuorum sociùm canis triumphos:
His nugis ego, versibusq; ab omni
Purgandis macula occupatus insto
Noctes iam propè perpetes, diesque,
Casti vt perueniant, & integelli
Ad manus hominum seueriorum.
Quos si tu quoque censeas legendos,
Dignos ipse etiam putabo, tristis
Quos legat Cato, Persiusq; doctus.

## Ad Marium Columnam.

O, spes maxima nominis Latini
Mari, nobiliumq; flos Quiritum,
Atque ingens decus addituræ genti,
Vnde es editus, & future tandem

*Tuæ gloria singularis vrbis:*
*Si quam olim puer asperam, arduamq;*
*Ingressus cupidissimè fuisti,*
*Qua possis ope cumque nunc ad vnam*
*Virtutem institeris viam, iugumq;*
*Perges exuperare, vbi illa dulces*
*Fructus suggerit omnium laborum,*
*Quos hic pertulimus, sinumq; ditem*
*Nobis pandit, & expedit fruendum.*
*O tum te meritò Mari beatum.*
*Nam si nobilitas auita, opesq;*
*Magnæ, ac tam bene constitutæ, & ipsum*
*Corpus egregiæ decore formæ,*
*Si virtus, animiq; magnitudo,*
*Quam quidem haud semel horruit superbus*
*Hostis; laudeque prosequutus omni est,*
*Cunctis principibus, gregariisq;*
*Cunctis, hospitibusque, ciuibusque,*
*Commendat modo te, facitque, vt omnes*
*Vnum suspiciant, amentque: quid tum,*
*Quid tum, inquam, fore credimus, Columna,*
*Cum virtus tua, cum laboriosus*
*Cultus ingenij perelegantis,*
*Cum multi simul, vberesq; partus*
*Doctrinæ interioris, & profundæ,*
*Quam nunc tu tibi comparare pergis,*
*Augebunt bona tanta? nonne tute*
*Iam vides fore, vt omnium colaris*
*Consensu, & pietate sic, vt vnus*

Inter nos quasi censearis heros
Seculi illius aurei, Iouiq;
Et Marti simul, & Mineruæ amici.
Perge ergo, ò animi Columna macte
Virtute: & labor vllus haud retardet
Ad tantum decoris, nec vlla frangat
Conatum tibi blandiens voluptas.
Nam quæ præmia consequere, laudem
Tuam in secula cuncta prorogabunt.
Nec nomen patientur interire,
Dum Sol aduenìens diem reducet,
Cedetq; hinc abiens locum tenebris.

## Ad Alexandrum Iustium I.C.

IVSTI, cur ego nunc domum redire,
Et reuisere patrios penates
Tam valde cupiam, rogas: & Vrbem
Laudas, quæ solet affatim beare
Ciues, & simul hospites benigna.
Audi si vacat: & tuum sodalem,
Qui te diligit, æstimatq; tanti,
Quanti nec potis æstimare quemquam,
Putato tibi vera confiteri.
Si qua me ambitio, insolensq; fastus
Perculsum retineret: aut habendi
Planè spes superesset vlla: & ipsum
Vitæ curriculum latentis vmquam
Damnauissem: equidem libenter essem hic

In

In orbis quasi totius theatro:
Jn quo conspici ab omnibus, simulq;
Omnes conspicere, atq; adire possem.
Nunc autem memor illius beatæ
Vitæ, cùm tenuis selibra oryzæ,
Cum farris mihi bis nouem duellæ,
Cum mites oleæ, recensq; bulbus,
Molles coliculi, intybi salubres,
Cum vini cotyle vna lenioris,
Aut fonte è gelido latex petitus,
Sedabant pariter sitim, famemque,
Odi delicias, opes, honores,
Et fastus tumidos potentiorum.
Meq; propterea domum referre
Ad cœnas tenues, dapesq; inemptas
Quàmprimum statui Vrbe derelicta,
Vt vitæ reliquum mihi ipse viuam.
At tu, cui patet vndique expeditus
Ad amplos aditus gradus, & ipsa
Morum candida comitas grauisq;
Virtus omnia summa pollicetur,
Et vires bona suppetit iuuenta,
Ne desis tibi: perser, vrge, & insta
Memor, nil sine maximo labore
Ab auctore dari omnium bonorum.

## De saxo curarum carcere ad hospitem.

*HOC viden' rude, prominensq; saxum*
*Ad læuum latus Elsulæ? quod astra*
*Nudo vertice suspicit. quod, æstus*
*Ingens dum furit, ingruitve frigus,*
*Atque omnes niue conteguntur alpes,*
*Sub dio manet horridum: suaq;*
*Sese mole tuetur à calore,*
*Atque à frigore: nec fatiscit vllo*
*Victum tempore, nec ruit, labatve*
*Nimbis, imbribus, ignibus, procellis,*
*Sæuis turbinibus, ferisque, & atris*
*Tempestatibus vndique appetitum.*
*Hoc, inquam, rude, prominensq; saxum,*
*Cum ruris dominus Biuilliani*
*(Hunc dico Meliorium Philippum:*
*Quo nemo melior, benigniorque,*
*Nemo affabilior domi, forisq;*
*Aut est, aut fuit, aut erit: nec vllus,*
*Qui Musis faueat magis libenter,*
*Magisque ex animo) negotiosa*
*Ab vrbe aufugiens, forensiumque, &*
*Rerum penè odio domesticarum,*
*In sinum quasi conuolans quietis,*
*Atque otij properè receptat huc se,*
*Carcerem voluit patere morbis*
*Nos, nostrumq; animum comesse suetis:*

*In quo compedibusque, vinculisq;*
*Constrictas rigidis haberet omnes*
*Curas peruigiles, & inquietas:*
*Ac tandem sibi viueret beatus:*
*Et sui frueretur otiosus*
*Ruris delicijs: opacitate*
*Nimirum nemoris comantis: atque*
*Fluxu, & murmure fontium perenni:*
*Et riui scatebris strepentis inter*
*Arbusta, & vario colore florum:*
*Extructisq; toris virentis herbæ:*
*Et Limoniadum tacente valle:*
*Ad quæ flagitium est tulisse curas,*
*Et morbos animi molestiores.*
*Quare idem dominus suis amicis,*
*Suis hospitibus, quibus parauit*
*Ista non secus ac sibi, & propinquis,*
*Hanc legem tulit omnibus futuram*
*Acceptamque, ratamque, dum manebit*
*Saxi immobile robur, & nepotes*
*Suos (namque alios nihil moratur)*
*Hæredes eadem sequetur vna hæc*
*Vitæ suauis, & integræ voluptas.*
*Hospes aut abes: aut in hocce curas*
*Omnes carcere mitte compeditas.*

## Ad Io. Baptistam Asinium I. C.

*QVIS me lætior est, beatiorque?*

Quando mox Asini alloqui, ac videre
Decem post hyemes, decemq; messes
Te summum mihi, & optimum, & perẽnem
Amicum potero videre, & vnà
Audire, & simul alloqui, fruiq;
A Sole exoriente ad occidentem
Te, quem sic ego diligoque, amoque, vt
Unusquisque oculos suos amamus.
A quo sic amor ipse rursus, vt qui
Amatur nimis impotente amore.
O quæ gaudia sunt futura? & , ò, quos
Amplexus repetemus? & vicissim
Ipse me, ipsum ego te osculabor, atque
In meis oculis tuos ocellos
Defiges penitus: nec amouebis
Pupulas nimio ebrias amore,
Ac desiderio mei flagrantes.
Nec meas ego pupulas, meosque
Non vsque in te oculos tenebo fixos,
Testes lætitiæ, intimiq; sensus,
Qui mihi os lachrymis madere coget:
Ac nostras itidem osculationes
Centies iterabit hinc, & illinc.
Quin iam nunc videor tuum videre
Pallentem nimio timore vultum,
Dum pericula tanta, dum labores,
Dum casus varios viæ, marisq;
Procellas, hominumq; barbarorum
Dum mores tibi, & instituta dicam:

*Addam & flumina lata, dum niualem*
*Ismarum, Rhodopemque, Peliumque,*
*Ossanque, atque Atho, insulasque in orbem*
*Describam, positas & ipsa Ponti*
*Percurram ostia, Thraciamq; sedem*
*Regis imperio prementis omnem*
*Europam, atque Asiam modo, Africamque.*
*At vos, tempora quæ soletis, Horæ,*
*Metiri, ipsaq; præterire cursu*
*Iouis fulmina, & impetum procellæ,*
*Et, si mobilius quid esse fertur,*
*Nunc, ò, nunc precor expedite pennas,*
*Et me, cui mora tantula hæc diei*
*Ingrata accidit omnis, & molesta,*
*Iam nunc sistite ad ostium, foresq;*
*Tam cari capitis, neque hæc vtrique*
*Incessu, nimiaq; tarditate*
*Nostrùm mutua dissipate vota.*

## Ad Octauianum Nigr. I.C.

*OCTAVI Niger erudite iudex,*
*Iudex integer, innocensq; vitæ,*
*Qui summa sapientia, fideque,*
*Qua polles, hominum molestiores*
*Congressus dirimis, secasq; lites,*
*Bargæus tibi gratus vsque grates*
*Agit, non quia veritate causam,*
*Præscriptoq; magis, quàm amore, & ira*

*(Has partes quoniam tuetur omnis,*
*Qui verè bonus atque habetur, atque est)*
*Iudicaueris ipse se secundum:*
*Sed quòd mehercule diligenter omnem*
*Tuum impenderis anxius laborem,*
*Vt nosses potior suus ne fortè*
*Aduersarius esset: an, quod ille*
*Negabat, prior ipse possideret.*
*Litem nec facilem, nec explicatam.*
*Quòd multis igitur solutus, in quas*
*Tricas inciderat, velut misella*
*Auis, retia cui tetendit auceps,*
*Tua nunc opera exijt: supremi*
*Iouis numina comprecatur, vt te*
*Dignum, tempus in omne qui supersis,*
*Seruent incolumem diu, ac beatum.*

## Ad Lælium Torellium.

*VELIM, si tibi fortè non molestum est,*
*Si magnus patitur vacare paulum*
*Nunc te à consilijs suum regendi*
*(*COSMVS *imperium, negotijsque,*
*(*COSMVS *gloria Hetruriæ, decusque,*
*Et terror Latijque, Galliæque:*
*Velim, inquam, relegas modò id, quod ad te*
*Scripsi epistolium appetente Vere:*
*Ac, tecum nisi me putas iocatum,*
*Nobis quando quidem propinquus instat*

*Iamdudum decimus Nouember, ex quo*
*Pisas venimus, adde ad illa, amabo,*
*Quæ tum sunt mihi scripta copiose,*
*Vel fusè potius, loquaciterque,*
*Quòd Venatio nostra ita absoluta est,*
*Nil vt quicquam aliud requirat à me,*
*Quàm bonos pedibusque, naribusque,*
*Et sæuo validos Laconas ore.*
*Hos, ni suppeditentur ampliores*
*Sumptus, haud equidem euocare possim*
*In syluas. etenim siti, fameque*
*Enecti miserè iacere malunt*
*Humi, quàm dominum sequi vocantem.*
*Quare ò præsidium, & decus bonorum,*
*Quem propter sapientiam, bonumque*
*Omnes in se animum, colunt, amantque,*
*Vt, quicquid reperitur integrique,*
*Et puri, in te homines reantur esse,*
*Læli: fac, precor, vt tuum, quod olim*
*(Oderunt nisi me nouem sorores)*
*Aetas audiet ipsa posterorum,*
*Venantem tibi censeas tuendum,*
*Ornandumq; simul. neque hercle par est,*
*Tuam quem semel in fidem recepsis,*
*Non omni auxilio putare dignum.*

## Ad Marium Columnam.

*QVOD nunc, vt soleo Mari, quotannis,*

*Ad vos non venio: sed hac in vrbe,*
*Quam vos deseruistis, esse pergo*
*Amicis procul omnibus: profectò*
*Nusquam me remoratur aut puellæ,*
*Aut Musarum amor vllus. hunc & illum*
*Nam dempsit mihi pergrauis senectus,*
*Et tristes animi, anxiæq; curæ,*
*Atque expes labor. at neque hercle rursus*
*Facit, quo minus aduolem, quòd ipse*
*Rebus distinear negotiosis,*
*Mea aut commoda persequar beatus.*
*Sed nec me retinet pecuniarum*
*Inanem metus ingruens latronum*
*Vias, atque iter vndique obsidentum:*
*Nec cuiusquam odium potentis hostis,*
*A quo tristia damna pertimescam:*
*Sed quòd horribilis, nimisq; sæuus*
*Affertur mihi nuntius, redisse*
*Ad vos Caculam, & attulisse secum*
*Plenum carminibus suis libellum:*
*Ac nunc omnibus illa lectitantem*
*Quærere in triuijs vocationes.*

## Ad Iosephum Boccam.

*QVOD te nobilitas vetusta, quòd te*
*Clarorum domi imagines parentum*
*Ad famæ decus excitant perenne:*
*Quòd tu, quod caput est, ad omne te te*
*Laborum genus apparas ferendum, vt*

*Virtute omnibus anteire possis:*
*Primùm qui meus est amor vetustus,*
*Et constans animi mei voluntas*
*Erga te, tibi plurimum, tuæque*
*Gratulor patriæ: voloque, & opto*
*Illud sit tibi, cæterisq; felix,*
*Faustumq; omnibus intimis, propinquis,*
*Cognatisque bonis, bonisque amicis;*
*Dein verò mihi gaudeo, quòd ipsi*
*Tandem præmia consequentur ampla,*
*Dum te perpoliunt mei labores,*
*Atque vnum simul instruunt ad acre*
*Parandæ studium, decusq; laudis.*
*Nam quæ gloria, quæque te sequetur*
*Claritas, eadem sequetur olim*
*Et me gloria, claritasq; famæ.*
*Quare, quod facis, obstinatus vrge,*
*Vrge, perfice, cura, & elabora,*
*Ne domo mage debeas vetustæ,*
*Quæ illustrat modo te, facitq; notum:*
*Quàm domus tibi debeat vetusta,*
*Dum se laudibus vndique affluentem*
*Augens assidue nouo, ac perenni*
*Gloriæ cumulo, atque litterarum*
*Splendore, ac studio, eruditionis*
*Laudibus facis affluentiorem.*

Ad Bernandum Vigniam I.C.

*QVAS puer tuus attulit virentis*

*Et dulces itidem ſapore oliuas,*
*Valde Vignia mi fuere gratæ.*
*Idq́; non ideo, quòd in me auarus,*
*Et rapax animus ſit, appetensque*
*Donorum (procul abſit hoc) ſed hercle,*
*Quòd ſum munere ſuſpicatus iſto*
*Memet admonitum, ſolere mentem,*
*Si cui durior, efferatiorq́ue eſt,*
*Non modo obſequio perennibusq́;*
*Molliri officijs, ſed arte blanda,*
*Et cultu, & ſtudio perinde, vt ipſæ*
*Omnem amaritiem exuunt oliuæ,*
*Non victæ ſale, non aceto ab acri,*
*(Lentum nam ſolet id negotium eſſe)*
*Sed intra ſpatium vnius diei*
*Aqua, quę prius æſtuante fluxit*
*Guttatim media eliquata calce.*
*Nam quid credam aliud per inuolucra hæc*
*A te præcipuè mihi indicatum,*
*Qui ſubtilior eſſe, acutiorq́ue*
*Soles omnibus explicans, docensq́ue*
*Ius ciuile? igitur fuere valde*
*Vno hoc nomine grata, quæ dediſti.*
*Nec minus tamen illa, quòd profecta*
*Sunt à te Charitum patre, atque alumno,*
*Et mei ſtudioſo honoris: & quem*
*Propter eximias perelegantis*
*Dotes ingenij, & parata multo*
*Ornamenta animi labore, ſemper*

*Pro*

*Amaui vnicè, & vnicum putaui,*
*Quem mecum iuuenes, senesq; amarent.*
*Vale Vignia, & ipse nos amato,*
*Amici vt boni, & integri, & modesti,*
*Et, qui gratum animum gerunt, amantur.*

## Ad Marium Columnam.

*QVIS nam carmina tam polita, quis nam*
*Versus tam lepidos & elegantes*
*Dictauit tibi mi Columna? quis nam*
*Ostendit numeros, modosq; dulces,*
*Quorum vi fera corda leniendo*
*Esse iam noua crederere Siren?*
*Siren, quæ mihi, cæterisq; furtim*
*Sensus afficeres, & excitares*
*Cunctis lætitijsque gaudijsque.*
*Quis te, inquam, docuit? quis erudiuit?*
*An Phœbus pater? an nouem sorores?*
*An certè simul ille, & illæ, vt omnes*
*Scribenti tibi cederent poetæ?*
*Sed, cui cui potes hunc referre cultum*
*Acceptum ingenij boni, ac subacti,*
*Fac tu versiculos frequenter ad me*
*Mittas: quos animo, auribusq; in ipsis*
*Defigam penitus: diesque mecum*
*Et noctes repetens, legensque, vitam*
*Degam perpetuò beatus omnem.*

## Ad Franciscum Vintham I.C.

*QVÆ, testes animi, tuiq; amoris,*
*A te carmina septimo calendas*
*Decembres tuus, erudite Vintha,*
*Paullus filius attulit, fuerunt*
*Tam grata Angelio, Ciofioque,*
*Quàm gratissima quę vel esse cuiquam,*
*Vel cuiquam à veteri euenire amico*
*Iucundissima sueuerint. quod idem*
*Paullus scilicet ipse, quo nec vnquam*
*Amari à patre dignior fuit ve,*
*Aut est, aut erit vllus, asseueret,*
*Paullus optimus vtriusque nostrûm*
*Testis lætitiæque gaudyque:*
*Quo nobis lepidum tuum poema*
*Perfuditq; animum, intimosq; sensus:*
*Quoque perpetuum, ac laboriosum*
*Docendi hoc onus alleuauit. Ergo*
*Cum tibi datur otium, potesque,*
*Si nos diligis ipse, si ipse sentis*
*Ipsum te quoque diligi, aut amari*
*A nobis potius, frequenter istas,*
*Istas Angelio, Ciofioque,*
*Laborum, bone Vintha, quos vterque*
*Perfert assiduos (ego in corona*
*Illustri iuuenum, virûmq; cætu*
*Explanans veteres bonos Poetas,*
*Bonos Historicosque, Rhetoresque:*

*Atque ille in celebri schola audientum,*
*(Consessuq; hominum graui, & frequenti*
*Ius ciuile docens) frequenter, inquam,*
*Tuis Angelio, Ciosioque*
*Mitte huiuscemodi molestiarum*
*Istas quæsumus alleuationes.*

## Ad Lælium Torellium.

*AT Musæ tua ob hoc Torelle factum*
*Facta conticeant, tuasq; laudes,*
*Quæ passim volitant virûm per ora,*
*Omneis prætereant, decusque: quando*
*Nil est, quod queat inuenire quisquam,*
*Cuius nomine iure te reprendat,*
*Vel tibi malè quid precetur: vnum*
*Præter hoc, Meliorius quòd ipse,*
*Ipse, inquam, Meliorius perenne*
*Decus, præsidium artium bonarum,*
*Nos te non prohibente nunc relinquit,*
*Et istuc redit obstinatus. ac tu,*
*Tu, quem consulere omnibus decebat*
*Nobis, quot sumus, hunc vides redire,*
*Vides, & patere, & nihil moueris.*
*O pectus scopulisque, cautibusque*
*Multo durius, & rigente ferro.*
*Hoc est, quod iuuenes boni senesque,*
*Sic me ament Superi, ferunt molestè*

*Nec est quod videant minus libenter,*
*Pisis qui assiduè negotiantur,*
*Ab illo fieri. dolet misella,*
*Quòd his, quem sibi ciuitas patronum, &*
*Ciuem asciuerat, hac profectione*
*Mœsta, atque omnia muta derelinquit.*
*Idq; mehercule iure: namque cuncti*
*Hunc, qui proximus est peractus, annum*
*Viximus benè, ac nimis beatè.*
*Quare, si cupis ipse inire magnam*
*Læli gratiam ab omnibus: precare,*
*Vrge, quod potes, vt recurrat ad nos*
*Quàmprimum, omnibus omnium expetitus*
*Votis: quod facere ipse si negabit,*
*Et sæuus volet hinc abesse, ruris*
*Tandem vt delicijs suis fruatur,*
*Et felix sibi viuat, & beatus:*
*Tum tu, quò luat obstinationis*
*Pœnas, des operam, vt iugum, quod ille*
*Villa suspicit è sua, quod altà*
*Horret abiete prominens, & vmbras*
*Frigentes iacit æstuante cælo,*
*Denudet ferus improba securi,*
*Et vastet nemus omne Seruianus.*

## Ad Io. Baptistam Minutulum.

*QVOD libros mihi, quos habere auebam,*
*Huc Minutule miseris ab vsque*

*Vrbe ista celeberrima, & beata,*
*Quam suis, vbi confluunt in vnum*
*Ararque, & Rhodanus rapax, fluentis*
*Alluunt; ago gratias, libensque*
*Illud polliceor professus vnum,*
*Me daturum operam, vt tui labores,*
*Tua haec munera, liberalitasque*
*Haud prorsus malè iudicentur à te*
*Esse in me posita. id quod assequemur*
*Si non te pariter remunerando,*
*At certè tibi gratiam hanc habendo*
*Magnam, & perpetuam. neq; hercle quicquam est,*
*Quod à me magis expetas, vel optes.*
*Nam tu quod bene promereris, & quod*
*Benignè facis, illud & perennis,*
*Et iugis potius bonos in omnes*
*Tui signum animi est, & instituti,*
*Quàm obscuri indicium, malique quaestus.*
*Sed si mi tamen offeratur vnquam*
*Vlla occasio; si qua sit facultas,*
*Vt possim tibi gratiam referre:*
*Ingratissimus arguar, nisi omni*
*Conatu efficiam, vt videre possis*
*Id me non magis ore praedicare,*
*Quòd olim tibi debeam, libentem;*
*Quàm quod iam semel ipse dedicarim,*
*Et prae me tulerim nouae, & perenni*
*Debere alterius benignitati,*
*Re persoluere debitum fatentem.*

## Ad Franciscum Vintham.

*VINTHA, quem dubium est diserta plusne*
*Musa diligat, an Minerua iuris*
*Custos, atque amet hæc, vt illa, namque*
*Nec sollertior esse, acutiorque*
*Quisquam te potis, æquiorve legum,*
*Quas & Romulus, optimusq; COSMVS*
*Tulerunt Latioque, Hetruriaque,*
*Dum patefacis abditos recessus,*
*Nodosq; haud faciles resoluis, in quos*
*Seuerus solet incidisse iudex.*
*Nec rursus facit eruditus vllus,*
*Vllus Aonidumque, Apollinisque*
*Alumnus vetus, & perennis vndæ*
*Cultor Pieriæ vndique expolitus*
*Magis carmen amabile, & venustum,*
*Nos vnà vnanimes tui sodales,*
*Bargæus fidibus sciens Latinis,*
*Si non mirificè, ac perinde vt ille,*
*Qui multum coluit, diuq; Musas,*
*Et Graias simul, & simul Latinas;*
*Ac Ciofius vtriusque iuris*
*Interpres bonus, omniumq; cultor*
*Doctrinæ optimus elegantioris,*
*Plurimum tibi gratulamur ambo,*
*Quòd æuo bene consulens futuro,*
*Et præsenti etiam, tuos labores*
*In lucem edideris: neque inde vterque*

*Grates*

*Grates non agimus, quòd in libellis*
*Tuis feceris ipse mentionem*
*Nostri honorificam, illiusq; testem,*
*Quo nos afficis, indicemq; amoris.*
*Quòd si quid quoque præter actionem*
*Possumus, bone Vinthæ, gratiarum*
*Præstare, aut opera, aut benigniore*
*Voluntate animi, illud & futurum*
*Apud nos tibi, & esse sic paratum*
*Scito, vt nil habeas, quod hic vel istic*
*Sit paratius, expeditiusque.*

## Ad Lodouicum Beccatellum Archiepiscopum Epidaurensem.

*O FLOS, ò decus o Bononiensis*
*Vrbis vnice Lodouice ocelle,*
*Quamquam sum nihil ipse adhuc mearum*
*Nugarum tibi mittere ausus vmquam,*
*Quæ palam facerent meum in te amorem,*
*Vel, quod verius, efficaciusq; est,*
*Voluntatem animi usque prosequentis*
*Omni te pietate, & omni honore,*
*Obseruantia & omni, vt alta virtus*
*Expetit tua, candidiq; mores:*
*Illud assidue tamen cupiui:*
*Non, inquam, mihi demererer vt te*
*Leui munere quopiam, graniue:*
*Nam quid possum ego tale polliceri?*

*Verum*

*Verum vt insererem tuum his libellis*
*Nomen, & fieret mihi in futurum*
*Hæc accessio gloriæ supremæ.*
*Quod si sum minus antea assecutus,*
*Pudori tribues, modestiæque*
*Meæ: funditus interisse quam nunc*
*Vt vides, ita censeas licebit*
*Huius gloriolæ assequendæ, & huius*
*In te testificandi amoris vnum,*
*Et cultus, & honoris, haud fuisse*
*Me desiderio parem ferendo.*

## Ad Ranerium Boccam.

*RANERI iuuenum, senumq; ocelle,*
*Pisarum decus vnicum tuarum.*
*Qui, duros veritus nihil labores,*
*Pergis, quo semel ire constitutum est.*
*Nec cursum piger ad bonas Camœnas,*
*Et artes Ciceronis ad disertas*
*Vsquam deseris: interimq; regi,*
*Quam debes, operam tuo, fidemque*
*Noctes assiduus, diesq; præstas.*
*Vt nec te studiosior sit alter,*
*Atque amantior artium bonarum:*
*Nec quisquam tamen excubans peræque*
*Ad nutus vigil vsque & vsque magni*
*COSMI Hetruriæ optimi parentis*
*Et summi Ducis adstet hæreatque,*

*Obser-*

*Obseruans cupidè quid imperetur,*
*Quidve agi deceat. puer beate:*
*Beate ò iuuenis: beatiorq;*
*Tuo isto ingenio future. cuncta*
*Cœlestum tibi vota rex secundet.*

## Ad Franciscum Sannium Venetum.

*QVOD cynegeticos meos libellos*
*Laudas magnopere, & perelegantes*
*Videri facis elegante versu:*
*Quòdq; suauidicis eos putasti*
*Ornandos numeris tuis: quòd & me*
*Hac re significasti amare multum,*
*Plurimum tibi debeam necesse est.*
*Sed, quales tamen esse cumque censes,*
*Gratias ago maximas diserte*
*Mi Sanni tibi, debeoque, quantum*
*Alteri pote debuisse quisquam est,*
*Tuum ob iudicium, tuumq; amorem.*
*Quorum ego alterutro ( neque hoc pudebit*
*Fateri ingenueque, libereque )*
*Delecter magis, explicare verbis*
*Non ausit mea Musa: nec profectò*
*Puto id, si audeat, esse præstituram.*
*Verum, vt iudicium tuum peracre*
*Hic forsan videatur esse nullum,*
*Illud polliceor tamen, daturum*
*Enixè me operam, tuo ipse amore vt*

*Indignus videar fuisse nulli.*

## Ad Marium Columnam de Porro cane.

*QVEM dono catulum mihi dedisti*
*Ablatum vberibus suæ parentis,*
*Columna ò decus omnium Quiritum,*
*Martis vnica spes, Apollinisque,*
*Scis me (quod puto) nominasse Porrum:*
*Idem, ac si Cicero Latiniore*
*Verbo, aut Varro Terentius vocasset*
*Verrucam. Atque ego non negem futurũ id*
*Fuisse aptius, elegantiusque.*
*Verùm hæc me duo terruere: quæ sunt*
*Et magnæ, & grauis æstimationis.*
*Vnum (quod meritò fuit timendum)*
*Is ne intelligeret parum Latinè,*
*Qui Roma procul vrbe natus esset.*
*Alterum (quod & ipse non negabis,*
*Quando est ponderis haud minoris, atq;*
*Minori haud vigilantia cauendum)*
*Ne, si perciperet vocabulumque hoc,*
*Et verbum vetus, efficaxque, & altum,*
*Lectumque è Latio, nimis superbè*
*Se se mox gereret domi, forisque:*
*Ceu si progenies foret Sabinæ,*
*Aut Marsæ canis, Appulæve: siquam*
*Ipse in delicijs habere suesset*
*Maximus Fabius tuus tribulis:*

Qui

*Qui passus facilè, & libenter olim est*
*Verrucosus ab omnibus vocari.*
*Vtrumvis igitur, Mari, accidisset,*
*Nimirum pariter vel hoc, vel illud,*
*Tulissem ægro animo, & nimis molesto.*
*Ergo mi libuit vocare Porrum.*
*Ac ne fortè alicui probo, & pudenti*
*(Quod vulgo fieri solet) viderer*
*Mendax, & nimium fuisse ineptus,*
*Nunc illi geminæ labris in ipsis*
*Verrucæ intumuere derepente:*
*Quæ videlicet indicant apertè,*
*Et palàm memorantque, prædicantque*
*Cum magno meo honore, gloriaq;*
*Cum vera, propriaque, deligendis*
*Me in prænominibus videre multùm.*

## Ad Iosephum Boccam.

*EN iam, quos ferus excitarat æstus*
*Ingentes Leo, Siriumq; sidus*
*Noctis longior hora, proximusque*
*October releuare, Bocca, cœpit.*
*Et nos ad studia eruditionis*
*Jamdudum Aonides vocant sorores.*
*Valete ò igitur leues volucres,*
*Valete incolumes feræ: valete*
*Pisces Æsaris vsque dum redibit*
*Bocca istuc decus omnium suorum,*
*Et solus iuuenum bonorum ocellus,*

*Musarumq; amor omnium: valete,*
*Inquam, & vos bona sospitet Diana:*
*Saeuoq; abstineat manus ab arcu:*
*Vt, cum rus iterum reuiset ille*
*Intactas agat, integrasq; praedas*
*Ferarumque, auiumque, pisciumque:*
*Ac se recreet ab labore, & aestu,*
*Aestu, & assiduo labore: qui nunc*
*A nobis repetendus, omnibusque*
*Cum Musis ratio est habenda. quando*
*Frigus id monet, atq; hyems propinqua:*
*Id mens delicijs refecta ruris*
*Iam iam mirificè expetitque, auetque.*
*Valete ergo iterum leues volucres,*
*Et feri lepores, vagiq; pisces.*
*Vobis nam satis est datum, superque.*
*Nunc id, quod reliquum, pereruditis*
*Dandum est temporis, aureisq; libris.*

## Ad Franciscum Vintham.

*COMMENDO tibi, mi diserte Vintha,*
*Id, de quo semel ipse, bisve tecum*
*Pisis, Vere ne adulto? an appetente?*
*An iam praecipitante? sum locutus.*
*Huius assiduè, acriterque vexat*
*Me molestia, cogitatioque*
*Ducendi suum ad exitum negotij:*
*Vexat hercule sic, vt inde vitam*
*Degam sollicitè, & laboriosè,*

Com-

*Complectens animo, velutq; ab alta*
*Prospectans specula volubilisque,*
*Et vagæ subitos, malosq; casus*
*Fortunæ: metuensq; posterorum*
*Lites, insidias, calumniasque.*
*Quare non modo postulo hoc: sed oro, vt,*
*Cum primùm poteris, dabitq; sese*
*Tibi occasio, Vintha, colloquendi,*
*Qui cum propterea loqui necesse est,*
*Reddas (quæ tua gratia est) id omne*
*Confectum mihi, quicquid est negotij.*
*Sic, qui iam omnibus antecellit vnus,*
*Quotquot se studio dedere legum*
*Filius tuus optimus, tuique*
*Corporisque, animique vera imago*
*Bellisarius afferat periti ad*
*Ornamenta patris, decusq; auitæ*
*Ingens, egregium, & perenne gentis*
*Virtutum cumulum ipse grandiorem.*

## IOSEPHI BOCCAE I. C. in sex libros Cynegeticorum Argumenta.

*HIC tibi, quas olim pubes exerceat artes;*
*Et quibus è signis speciesque, animosque ferarum,*
*Et latebras, annosq; notet: quas commoda vestes*
*Induat; & fluctus venti qui seruet odoros;*
*Contineatq; canes vestigia pressa sequentes:*

Quo-

*Quoque modo rarasque plagas, quoque ordine sepes*
*Texat: & occulto foueas tegat ore profundas;*
*Insidiasq; paret: quibus & sese instruat armis:*
*Pierides docto percurrunt carmine Musæ.*

## Argumentum libri secundi.

*HIC sese rigidi defendunt cornibus Vri:*
*Quique adeò multa saturantur cæde Bisontes:*
*Et, quos Aonij tauros; quos Sole perusti*
*Aethiopes: quos & Phrygij, & quos Pæones: & quos*
*Educunt Libyci saltus: quos pascua Pellæ;*
*Quos præceps Oxus; quos flumine turbidus Indus;*
*Et, quibus exurgit cornu de fronte videndum.*
*Hic & oryx: hic rhinoceros: hic bucera secla*
*Ceruorum, capræq; feræ, damæq; vagantur.*

## Arg. libri tertij.

*QVOS mores, irasq; truces, quos pectoris ignes*
*Jupiter addiderit, roburq; immane leoni:*
*Quo gemitu secum ingentes testetur amores:*
*Quoque sit ingenio panthera, & gratior olim*
*Dianæ, post illa vni gratissima Baccho:*
*Quàm celeri tigris cursu, & feritate tremenda,*
*Quo se vrsi, leporesque astu tueantur: itemq;*
*Alipedes onagri. quæ sit Venus omnibus: & qui*
*Aut amor, aut odium tibi proxima carmina pandent.*

## Arg. libri quarti.

*PROTINVS ingentis miracula maxima monstri,*

*Quem Graium lingua veteres Elephanta vocarunt:*
*Persequiturq; lupos animis, & viribus acres:*
*Diraq; nocturnæ portenta euoluit Hyænæ.*
*Hic vulpes, timidæque adsunt ad pabula Meles:*
*Hic calamos hystrix longè iacit. hic & Echinus*
*Furaturque, arcetque canes, teres inque volutus*
*Lutra lacus populat. Castor caua flumina tranat.*
*Pinguescunt somno glires, at glande Sciuri.*

## Arg. libri quinti.


*QVA specie decet esse canes, si fortibus ausis,*
*Si cursu properante pedum, si denique odoris*
*Naribus usus erit: tum quorum semine misti;*
*Excellant, prolemq; parent: quasque illa per artes*
*Et nosci, & primis educi possit ab annis:*
*Et mores, si quos prauos habet, exuat omnes.*
*Tum varijs morbis, scabieque, ipsique furori*
*Quæ fiat medicina: genus quod præstet equorum*
*Viribus, atque animis, complectitur ordine quintus.*

## Arg. libri sexti.

*VLTIMVS in syluas iuuenẽ, & stabula alta ferarũ*
*Ducit agens: & , qua possit capere arte leones;*
*Nec non & Bacchi varias ab origine Lyncas:*
*Informesque etiam summis in montibus vrsos:*
*Et canibus lepores canibus perquirere vulpes:*
*Quin & lucifugas laqueis innectere Meles,*
*Nocturnosq; lupos, ceruosque, genusq; caprarum*
*Venari, & sæuos inuadere comminus apros*
*Edocet: & laudum thyrso percellit ouantem.*

# LÆLII TORELLII V.C. AC I.C. celeberrimi de cæde Radagasi Getarum Regis.

*BARBARVS infesto Radagasus Medicis ictu*
*Dum ruit, & iam spes concidit omnis, ait.*
*Florentem at minor hanc, atque vrbem excindere Romã*
*Gloria erat, dextra quàm cecidisse tua.*



## ERRATA SIC EMENDATO.

| Pag. | Vers. | | Lege. |
|---|---|---|---|
| 9 | 18 | *postratus* | *prostratus* |
| 125 | 7 | *Arcadas* | *Arcades* |
| 164 | 4 | *concludant* | *concludens* |
| 214 | 4 | *immortalitatis* | *immortalis* |
| 250 | 16 | *berile* | *herili* |
| 257 | 8 | *apellem* | *appellem* |
| 370 | 16 | *Quia?* | *Quid?* |

# PETRI ANGELII BARGAEI SYRIADOS LIBRI SEX.

## PRIORES.




*SVPERIORVM PERMISSV.*

ROMAE,
Ex Typographia Francisci Zannetti.
M. D. LXXXV.

# SANCTISSIMO
## AC BEATISSIMO D. N. D. XYSTO V. PONT. MAX.



*Petrus Angelius Bargaus.*

NON omnino inconſultè, ac temere, ut mihi quidem uidetur, Xyſte V. Pont. Max. complures mirari ſolent; quòd, cum toties Chriſtiani principes Turcarum tyrannidem euertere conati ſint, aut inſignes ipſi clades acceperint, aut vnam aliquam victoriam conſecuti, leuiter potius ſauciato, quàm grauiter afflicto hoſte diſceſſerint; eiq; non ſolum occaſionem ad ſe reficiendum, uireſq; confirmandas præbuerint, ſed animos etiam ad imperij fines latius quotidie propagandos addiderint. Cur enim id uel prudentes etiam homines, & rerum vſu in primis exercitatos magnopere non commoueat? & in ſummam admirationem non conijciat? Nam ſi copiarum robur, & multitudinem; ſi militum diſciplinam, & uirtutem; ſi ducum, & imperatorum præſtantiam conſideremus; ſi cauſam cum cauſa conferamus; nihil plane reperiemus, in quo nos illis ſuperiores eſſe non debeamus. Conſtant illorum exercitus partim ex Græcis, Macedonibus, Illyricis, Scythis, qui ſæuiſſimæ tyrannidis diuturnitate oppreſſi, animorum præſtantiam, ſi qua olim in illis fuit, prorſus abiecerunt: partim etiam ex Aſiaticis, gentibus ad otium, & ſeruitutem natis. Noſtri ex Italis, Hiſpanis, Gallis, Germanis, Pannonijs, Sarmatis, nationibus ſine ulla controuerſia fortiſſimis, & rei bellicæ peritiſſimis. Valent illi equitatu: noſtri equitatu, & peditatu: nulla ferè

# SANCTISSIMO AC BEATISSIMO D. N. D. XYSTO V. PONT. MAX.



## *Petrus Angelius Bargaus.*

NON omnino inconſultè, ac temere, ut mihi quidem uidetur, Xyſte V. Pont. Max. complures mirari ſolent; quòd, cum toties Chriſtiani principes Turcarum tyrannidem euertere conati ſint, aut inſignes ipſi clades acceperint, aut vnam aliquam victoriam conſecuti, leuiter potius ſauciato, quàm grauiter afflicto hoſte diſceſſerint; eiq; non ſolum occaſionem ad ſe reficiendum, uireſq; confirmandas præbuerint, ſed animos etiam ad imperij fines latius quotidie propagandos addiderint. Cur enim id uel prudentes etiam homines, & rerum vſu in primis exercitatos magnopere non commoueat? & in ſummam admirationem non conijciat? Nam ſi copiarum robur, & multitudinem; ſi militum diſciplinam, & uirtutem; ſi ducum, & imperatorum præſtantiam conſideremus; ſi cauſam cum cauſa conferamus; nihil plane reperiemus, in quo nos illis ſuperiores eſſe non debeamus. Conſtant illorum exercitus partim ex Græcis, Macedonibus, Illyricis, Scythis, qui ſæuiſſimæ tyrannidis diuturnitate oppreſſi, animorum præſtantiam, ſi qua olim in illis fuit, prorſus abiecerunt: partim etiam ex Aſiaticis, gentibus ad otium, & ſeruitutem natis. Noſtri ex Italis, Hiſpanis, Gallis, Germanis, Pannonijs, Sarmatis, nationibus ſine ulla controuerſia fortiſſimis, & rei bellicæ peritiſſimis. Valent illi equitatu: noſtri equitatu, & peditatu: nulla ferè

apud illos arma, quibus corpora teguntur: omnes apud nostros acies, omnes turmę loricis, galeis, thoracibus, ocreis in primis munitæ, atq; instructæ, quibus telorum ictus facillime repellant. quare numquam antea vsu venit, vt Asiatici exercitus ex Europa victores discesserint. contrà, si veterum memoriam repetamus, & Alexandros, Syllas, Lucullos, Pompeios, Cæsares, Ventidios commemorare velimus, innumerabiles penè triumphos ex Asia in Europam reportatos esse, & eam gentem nostris semper paruisse intelligemus; imperasse numquam. Immò, ut Græcorum, & Latinorum annales, atq; historias omittamus, & ad tempora hæc nostra propius accedamus, nonne paulo ante hāc ætatem Georgius Castriota, qui Scanderbegus est appellatus, ingentes Turcarum copias parua admodum manu sæpissimè fudit, fugauitque? itaq; nationem illam attriuit, & profligauit, ut parum omnino abfuerit, quin ex Europa funditus eiecerit? Hæc igitur qui secum interdū cogitant, iure illi quidem, ac meritò mirantur, eò rem deductam esse; ut, quos non multò ante veluti mancipia quædam despiciebamus, eos nunc quasi quosdam inuictos hostes magnopere formidemus; & quod magis dolendum sit, contrahendi inter Christianos reges fœderis, & constituendæ aduersus immanissimas belluas societatis rationem ullam excogitare nequeamus. Cuius sanè rei causam vulgò homines cum quærunt, principum Christianorum discordiam esse statuunt, qua sit effectum, ut illi cum Africam, atq; Asiam occupauerint, tum bonam, magnamq; Europę partem in ditionē, potestatemq; redegerint. Ego, Xyste V. Pater beatissime, præterquam quòd id ab omnibus uerè dici fateor, illud præterea addo; difficillimū scilicet fore, vt bellum in Turcas quibusuis condicionibus, ac fœderibus à Christianis susceptum felicem exitum nanciscatur; nisi ipsi prius se emendarint, vitæq; innocentia Deo gratos reddiderint, ac non imperij propagandi causa, sed amplificandæ Christianæ pietatis gratia, huiusmodi bellum & suscipi, & geri oportere constituerint. Nam si ita fiat, discordiarum

om-

omnium quasi radices ipsæ; & semina tollantur necesse est, & Deus etiam ipse, causam sincero animo agi à nostris cum videbit, pios conatus adiuuabit. Etenim, cæterorum principes qui sunt, in Christi Dei hostibus bello persequendis non terrena quædam; atq; humilia, sed cælestia omnia, ac sublimia versare animo, ac spectare in primis debent; sic, ut honestum, & pium, quod est, ex instituto antecedat, vtile ex euentu, atq; occasione consequatur. Id quod quantopere a regibus, atque exercituum ductoribus obseruari oporteat, ut mentem nimirũ in Deum conijciant, omnemq; abijciant priuatæ vtilitatis cogitationem, quoties cum hostibus confligunt, suo ipse exemplo nobis Moses apertissimè ostendit. cuius videlicet copiæ in eo prælio, quod ab illo cum Amaleco commissum est, tum demum hostem in fugam uertebãt, cum ipse manus in cęlum protendebat; fugabantur rursus, ac passim cędebantur, cum easdem ad terram demittebat. Habendus enim ante oculos Deus est ab ijs, qui eius causam se agere profitentur, ac ne paulum quidem cogitationes ab eo amouendæ, neque ad regnandi cupiditatem, pietatis, ac religionis simulatione, traducendæ. id enim cum fit, illud etiam fiat necesse est, ut, qui se fœdere astrinxerunt, non iam communi, sed suæ quique priuatim utilitati inseruiant; & contempta pietatis causa, initam societatem deserant, & dissoluant. atque hoc cum incredibili Reip. Christianæ damno, & ignominia sæpe ante hoc tempus accidisse non ignoramus. Quòd si in id modò incumbatur, vt sublata Mehemetti superstitione, atque impietate, fides Christiana non solùm in eum locum restituatur, ex quo per vim deiecta est, sed etiam latius propagetur, & in externarum gentium mentibus radices agat, dubitari non potest, quin sint omnia felicissimè, atque ex sententia nobis euentura. Hoc autem quàm verum sit, argumento esse potest clades illa insignis, qua Pius V. Pont. Max. Turcas affecit immoderatè iam, atque audacissime exultantes; cum deuicta ac demersa ad Echinadas insulas innumerabili eorum classe, quæ

tum

tum quidem ceruicibus imminebat noſtris, ac certiſsimum exitium, fœdiſsimamq; ſeruitutem Italiæ minabatur, re ipſa vir ſanctiſsimus declarauit, victoriã eſſe a Deo pijs precibus potiſsimum impetrandam. Erant enim noſtri & triremium numero inferiores, & metu penè tot antea acceptis cladibus ſic exanimati, ac ſibi prorſus diffidebant; ut ad internecionem, & perniciẽ plerique omnes proficiſci ſe arbitrarentur. & tamen, cum primùm ad manus uentum eſt, quaſi diuino quodam claſsico excitati, magna hoſtes occidione deleuerunt, ut dubitari non poſsit, quin ea victoria ſanctiſsimi Pontificis precibus debeatur. Sed cum hoc docere Chriſtianos principes debet, in bello aduerſus Turcas Chriſti Dei cauſam agi tãtummodo oportere, non item ſuam; tum verò idem apertiſsimè demonſtrauit exercitus ille in expeditionẽ eductus auctore Vrbano II. Pont. Max. & è Gallis potiſsimum, atque Italis ad liberandam à Saracenorum, Turcarumq; ſeruitute Hieroſolymam collectus. cum quidem, non de augenda ſingulorum principũ potentia, nouisq; regnis conquirendis, ſed de Palæſtina, Syriaq; in priſtinum ſtatum, libertatemq; reſtituenda, & ad Chriſtum Deum reuocanda actum eſt. vt mirum nõ ſit, ſi poſtea intra tres annos noſtrorum virtute bellum illud cõfectum fuerit: quod plerique ſanctum à ſumma pietate, & ſanctimonia, qua ſuſceptum, ac geſtum eſt; plerique etiã heroicum ab animorum, & rerum actarum magnitudine appellauerunt. Tale enim, tãtumq; fuit, ut nullum omnino aliud fuiſſe conſtet, quod cum eo comparari debeat; & ex quo clarius intelligi poſsit, nihil à Chriſtianis principibus non ſperandum, ſi modò ipſi nõ ſuam (quod iam ſæpè dicimus) ſed Chriſti cauſam agendã ſuſcipiant. Atque hoc me, Beatiſsime Pater, cum ſuperioribus annis Ferdinandus Medices, herus meus, quem honoris, & obſeruantiæ gratia nomino, in illuſtri clariſsimorum, ac doctiſsimorum virorum frequentia, qui ad eum ſalutandũ ex inſtituto quaſi quodam quotidie conueniunt, & ab illo tum admodum hilarè, tum valdè copioſè accepti inter epulas, vt fit, de grauiſsimis rebus

ibus vel ad agendúm, vel ad contemplandum pertinentibus colloquuntur, cum me, inquam, ſemel, atque iterum hoc affirmantẽ, ac de tota re ſubtilius diſputantem audiuiſſet, proq; ea animi magnitudine, & in Chriſtianam Remp. pietate, qua præditus eſt, incredibili, principum, ac populorũ omnium animos ad præclarè aliquid audendum, moliendumq; accendi magnopere cuperet, etiam atque etiam hortatus eſt, ut, quod olim de huiuſmodi bello Syriaco poema inchoaueram, abſoluere pergerem: quòd futurum non deſperaret, cum vulgò ab hominibus legeretur, quanta erga Deum pietate, quantaq; inter ſe concordia principes illi ad liberandam Hieroſolymam conſpiraſſent, quin noſtrorum mentes ad aliquod huiuſmodi præclarũ facinus aggrediendum, Chriſtoq; vni inſeruiendum inflãmarentur. Magnas enim, vel mirabiles potius vires habet poeſis ad impellendas mentes ad honeſtè, fortiterq; agendum. Nam cum principes deſcribat tales, quales eos eſſe oportet, excitatur paulatim in omnibus ad eamdem gloriam, idemq; decus conſequendum animus. quare præſtantiſsimum illum Imperatorem, & gloriæ cupiditate penè flagrantem Alexandrum Macedonem cognomento Magnum Homeri lectione mirabiliter delectatum fuiſſe ſcimus: & Lacedæmonios ad pugnam intrepidè cum hoſte committendam Tyrtæi poetæ carminibus excitari conſueuiſſe legimus. Nec mirum ſanè, quando à natura omnes ferè animantes ita factæ ſunt, ut cantu, & muſica in primis capiantur. qua quidem in re, ut omittam cunctarum gentium, & nationum conſenſum, gratiæ certè cũ à Moſe, ac Dauide, cæteriſq; ſanctiſsimis viris, qui diuino ſpiritu afflati futura prædicebant, & ab ipſa ſanctiſsima Virgine IESV Seruatoris noſtri matre apud Eliſabethã Deo optimo maximo canendo actæ, laudeſq; muſicis numeris comprehenſæ, tum hymnus à turba Chriſtum ipſum cum acclamatione proſequente dictus, oſtendunt, poeticam non ſolùm hominibus, ſed ipſi etiam Deo gratiſsimã eſſe, modò ea non ad inanem quamdam, & Chriſtiano homine planè indignam voluptatem, ſed ad virtutem, & pie-

tatem

tatem tota comparetur. Atque ego ſanè iam inde à principio diligenter operam dedi, id vt vnũ præcipuè in hoc poemate meo perpetuum eſſet. caui enim accuratè, ne quid in eo legeretur, quod ad vnius Chriſti Dei gloriam non referretur. Id autem quàm feliciter ſim cõſecutus, alij exiſtimabunt. Ego certè illud, quicquid eſt, Sanctitatis tuæ iudiciũ ſubire, & eiuſdem nomine quaſi munitum duabus potiſsimum de cauſis exire in vulgus volui: primùm, ut Henricus Francorũ & Polonorum Rex Chriſtianiſsimus, & ad quem vnũ hoc ipſum opus magnopere pertinet, non modo tam pij, tamq; præclari facti commemoratione, ſed auctoritatis etiam tuæ pondere vel in primis cõmotus, ſe ſuosq; omnes ad auitam laudẽ excitari planè intelligat. quando eius inuictiſsimę nationis arma, & virtutem Turcæ incredibiliter pertimeſcunt; ipſamq; vnam ad illud imperium euertendũ natam eſſe cum ipſi per ſe credunt, tum veterum ſuorum oraculis, ac prædictionibus admonentur: quæ quotieſcumque aut recordantur, aut in eam mentionem incidunt, lugubri lamentatione & fletu imperij calamitatem & ruinã ſui non aliter deplorant & conqueruntur, ac ſi in re pręſenti verſarentur: deinde vt tu quoque, Beatiſsime Pater, ad grãde aliquod incœptum inuitari te, atque adeò currentẽ impelli ſentires. Nemo enim eſt, qui cũ primùm admirabili illo Cardinaliũ omnium conſenſu ad Pontificatũ euectus es, feliciſsima omnia Chriſtianis rebus ominatus non ſit. quando à tua tanta virtute, conſtantia, pietate nihil nõ magnũ ſperari oportere, cuncti arbitrantur, & ſtatuunt. Quod autẽ meum eſt, Pater Beatiſs. præterquàm quòd Deũ humillimè, atq; aſsiduè precari non deſinã, vt & Sanctitatem tuã diutiſsimè ſeruet incolumem, & eas vires tibi ſuppeditet, quibus ipſius hoſtes omnes profligati, aut meliorem mentẽ induãt, aut funditus deleantur; quantũ etiam ingenio, atq; induſtria conſequi potero, dabo operã, atq; enitar, nulla vt ætas de ſummis, ac diuinis laudibus tuis vnquam conticeſcat. Vale.




# AD HENRICVM III.

## GALLIAE ET POLONIAE

Regem Christianissimum.



## Petrus Angelius Bargæus.



*I VACAT egregias laudes audire tuorum,*
*Claraque facta patrum: si paulum ingentia regni*
*Pondera, quæ magnis onerãt tua pectora curis,*
*Ponere humi, facilesque potes dare versibus aures:*
*Accipe perpetuus nostro quæ nuper ab ore*
*In Gallos expressit amor, Rex maxime regum,*
*Vel pietas ingens potius, dulcisque cupido*
*Clarandi facinus: quo nullum maius in orbe*
*Terrarum audiuit quisquam, bella horrida postquam*
*Cæpere, & victo peperere ex hoste triumphos.*

** *Nam-*

Namque, vt non desint, meritò quæ maxima dicas,
Quæque animo mirere tuo, cum facta Quiritum,
Pellæive ducis Graiùm celeberrima chartis,
Aut portenta legis, quæ confinxere poetæ:
Multa tamen, si non risu dignissima, certè
Talia, quæ fieri numquam potuisse rearis,
Inuenies. quid enim credas, dum magnus Homerus
Flumine cum Xantho luctantem scribit Achillem?
Aut Veneris sæua violatam cuspide dextram?
Eque acie accepto cedentem vulnere Martem?
Cyclopive oculum terebrantem stipite Vlyssem?
Seque sub extremo dum colligit ariete tectus
Velleribus densis, dias in luminis oras
Subducentem antro? & sociorum cæde trementem,
Vitantemq; manus diri pastoris, & iram?
Aut inter fluctus, ventorum interque procellas,
Nauigio amisso, pendentem è vertice saxi;
Ereptumque alta caprifico ex ore Charybdis?
Vel cum monstra canit rerum speciosa nouarum,
Scyllamque, & Circen, Læstrigonas, Antiphatemque:
Inque feras versos socios, canibusque marinis
Absumptos, Ithacus quos secum auexerat heros?
Mira quidem, facili sed tantùm credita vulgo:
Non illis, quorum munit sapientia pectus,
Et rerum multarum animus percalluit vsu.
Ilium enim lento tandem cecidisse duello
Euersum, atque armis direptum, ignique crematum
Argolico, in cineres, atramque abiisse fauillam,
Quid mirum? non longè aberant Lacedæmone Troum

Per-

*Pergama, Ledææque Helenes inuisus adulter*
*E patrio Graium spectabat littore littus.*
*Cumque his suppeteret cunctarum copia rerum,*
*Se tamen in decimum victoria distulit annum.*
*Quòd si quis Peliæ durissima iussa tyranni*
*Obijciat, iuuenesque ausos irrumpere Pontum*
*Cyaneas inter cautes, dum fluctibus actæ*
*Altera in alterius frontem concurrit, & imas*
*Suscitat in cælum pelago exultante procellas:*
*Incolumis tamen vnde audax euaserit Argo,*
*Alitis emissæ celerem sectata volatum,*
*Ignotasque vias, ignotaque littora cursu*
*Emensa, Æetæ fuerit populata penates,*
*Et secum in luco suspensum auexerit aurum,*
*Cumque auro forma insignem, atque ætate puellam,*
*Perdomitis primùm tauris, quibus ora, pedesque*
*Ære renidèrent, quique atros naribus ignes*
*Spirarent: turbaque satis è dentibus orta,*
*Quæ sibi conscierit per mutua vulnera mortem:*
*Ingenium ipse equidem docti mirabor, & artem*
*Scriptoris: qui pertenuem rem, perque pusillam*
*Tantopere inuentis ornauerit vndique monstris.*
*Namque hęc siquis erit qui secum expendere pergat,*
*Non modò reppererit veterum mendacia vatum*
*Esse, sed effictas per vana poemata nugas*
*Vela latrocinijs, furtis obtendere noctem,*
*Flagitijs nebulas offundere turpibus atras.*
*Cum quæcumque animi gerimus virtute, manusque,*
*Cuncta reformident vani figmenta poetæ:*

Ne fortè occumbant mox vna oppressa ruina,
Dum cupiunt vero longè maiora videri.
Vt facie virgo ingenua, cui concolor ostro
Succus, & Alpina mistus niue, vitat & horret
Pigmenta, & fucos, natiuum abolere colorem
Qui possint, cultu illa suo contenta decenti.
Adde, superuacuis quòd siqua ornatibus vti
Cogitur; hæc formam deformem abscondat, oportet:
Queis deinde amissis dulces mouet orba cachinnos.
Ceu, cum fortè sibi grandes dempsere cothurnos,
Subsedisse humiles vulgo ridemus Iberas;
Quas modò credidimus quasi quasdam à stirpe gigātum
Procero magnas incedere corporis auctu,
Cum sint ancillæ similes, quæ paruula vestem
Ponè regit, ne tracta solum per compita verrat.
Ergo nec Graij, nec nostri habuere Latini
Dignum argumentum, quod mirarentur, & vnum
Sinceræ tamquam simulacrum ostendere possent
Virtutis, nisi figmentis, & anilibus omnia
Fabellis nuper variarent scripta repertis,
Et vani in vanas conferrent somnia chartas.
Tu ne igitur res heroum, & benefacta canentem
Ornatu spolias omni? nihil ipse relinquis,
Vnde argumentum diti se vellere Serum
Induat? & multis quasi picta coloribus Iris
In se oculos hominum passim conuertat, & ora?
Immo ego, quæ veteres scripsere poemata docti,
Non vmquam laudata satis fateorque, voloque
Tamquam propositum cunctis exemplar haberi.
Scri-

*Scribendi recte: vel tu verba ipsa, vel artem*
*Inspicias, certosque velis ediscere mores.*
*Sed si detractis eadem se nuda videri*
*Fabellis, nugisque suis patiantur, amentque;*
*Illa equidem vix apta legi, vix digna putabo,*
*Quæ quisquam miretur, & auribus audiat æquis.*
*At bellum, confisa suis quod viribus olim*
*Intulit Abdaridûm populis, Asiamque nefando,*
*Ipsam Asiam, cæsis hominum tot millibus, vna*
*Seruitio exemit fortissima Gallia, quisnam*
*Pro rerum euentu satis admirabitur vmquam?*
*Primùm etenim exuperãs Alpes, Scythiamq; niualẽ,*
*Fluminaque, & varios non vno nomine tractus*
*Europæ, gentesque adiens feritate tremendas,*
*Extremi ad fines se contulit Hellesponti.*
*Mox Asia in media Turcas aggressa feroces,*
*Annorumque trium spatio, tot castra, tot arces,*
*Oppida tot munita loco, tot fortia cepit*
*Regna manu, quot vix olim cepere Quirites*
*Post ter septeni quinquennia condita lustri.*
*Et gens illa tamen sumptis metuenda pharetris,*
*Et victis consueta nouas imponere leges,*
*Oppressos stabili populos ditione tenebat.*
*Atque hæc ipsa quidẽ iam magna est gloria, magnus*
*Gentis honos: procul à patria regione profectam*
*Eiecisse suis diros è sedibus hostes.*
*Verùm alios fecisse eadem non legimus? esto.*
*Quid? quòd non vllis odijs, non exijt vlla*
*Acta lue, non pulsa metu, bellisve coacta*

Externis, noua tecta sibi quæsiuit, agrosque?
Quid? quòd Christicolùm pro libertate reliquit
Fæcundos patriæ campos, cælumque salubre?
Regnatasque suis etiam tum legibus vrbes?
O pietatem animi memorandam, ò nobile factum,
O decus, ò nullis felix legionibus ausum,
Præter eas; quas ipsa volens tum Gallia misit
Ex se delectas, bellumque capessere iussit,
Quo neque nos maius, neque postera perleget ætas.
Salue magna Ducum mater, salue inclyta tellus
Virtutis veræ cultrix: tibi debita tantæ
(Tu modò læta faue) persoluere præmia palmæ
Ingredior, tenebrisque tuos heroas ab atris
Eruere, & seclis memores mandare futuris.
Illa aderit pubes, felix genus; illa canenti
Non figmenta quidem, non & mendacia, quæ nos
Vel legisse semel pudeat, pigeatque; sed vltro
Suggeret ex sese vera ornamenta, dabitque
Ipsa aliquid semper, quod tu mirere, probesque,
Et latere tuos tantis heroibus ortos
Illustres proceres; quorum pulcherrimus ordo
Immortale decus laudum putat esse suarum
Imperio parere tuo, Rex maxime regum.

# AD SERENISSIMAM
## ET CHRISTIANISSIMAM
### CATHARINAM MEDICEM

Henrici III. Galliæ & Poloniæ Regis Christianissimi matrem.




Petrus Angelius Bargæus.

*O ET Tuscorum proles certissima Regum,*
*Et claro è Morinû sanguine nata Ducû,*
*Quam quondam æthereas in luminis edidit oras*
*LAVRVS, ab Hetruscis nobile germen auis:*
*Vt, Regum mater, regeres fœcunda potentum,*
*Quos placida populos Sequana lambit aqua;*
*Et duris animum in rebus testata referres*
*Inuictum, & puram cum pietate fidem:*
*Hic MEDICES Regina, tuos, decora alta, parentes,*
*Ac possessa illis Attica regna leges:*
*Tum quæsita piè mirabere Solis ad ortum*
*Imperia, & forti bella peracta manu:*
*Bella, quibus paria vlla vsquam non viderit ætas,*
*Siue ea præteriit, siue futura venit:*
*Vt qui te hinc atque hinc heroum à stirpe profectam*
*Norit, & heroas mox peperisse nouos,*
*Idem optet parere tibi regna omnia, & omni*
*Spectari terræ nil nisi in orbe tuum.*



# PETRI ANGELII BARGAEI

# SYRIADOS LIBER I.



*ESPERIAS acies, magnoq; accepta Tonanti*
*Arma cano, quorum Solymis virtute reclusis*
*Christicolæ occiduis potuere in finibus orti,*
*Visere deposita dubiæ formidine vitæ*
*Bethlema, & Isacidis promissa parentibus arua.*
*Tu verò, cuius claro de lumine lumen*
*Exoritur nobis, tacitosque exsuscitat ignes,*
*Unde altam afflati mentem cælestibus auris*

*Deserimus populos, & habentes nubila terras,*
*Verus amor patris, natique æterna voluptas*
*Spiritus, hinc atque hinc pariter qui profluis, & qui*
*Cuncta mouens te tota hominum in præcordia fundis,*
*Mortaliq; doces ore immortalia fari,*
*Sancte faue: præstoque adsis ingentibus ausis.*
*Ac me, delectis dum sumpta heroibus arma*
*Dicere, & Ausonias conor vulgare per oras,*
*Da, reges memorantem, altas euoluere causas*
*Bellorum, & tanti narrare exordia motus:*
*Da, quoscumque animis diuturna silentia nostris*
*Exemere viros, reuocare ad lumina vitæ:*
*Nec tenebris, atraq; vllos caligine tectos*
*Ire sinat, quos vna sui fidissima merces*
*Sustulit ad cælum virtus, vastosque coegit*
*Traijcere Ionij fluctus, perque inuia Thracum*
*Vnanimes grauibus caput obiectare periclis:*
*Cum miseras Asiæ gentes, pressamq; nefando*
*Eripuere iugo dextris victricibus vrbem*
*Hanc, vbi sancta suis olim vestigia plantis*
*Impressit, vitæque dedit præcepta futuræ*
*Illa Dei soboles, certæ dux ille salutis*
*Mundi opifex, nostroque vno pro crimine passus*
*Ludibria, & pœnas, letumque informe, sepulchro*
*Exciuit sese, & manifesta in luce refulgens*
*Victor ad ætherei sedes remeauit Olympi.*
*Presserat insolitis nigri regnator Auerni*
*Supplicijs omnes, latum quicumque per orbem*
*Terrarum CHRISTI cultum, nomenq; professi*

*Suspicerent veros veræ pietatis honores.*
*Et nusquam deerant ficto de crimine pœnæ*
*In miseros, nusquam Diuûm bene cedere sueta*
*Relligio nostras properabat linquere terras,*
*Europam, ditemque Asiam, Libyamque patentem:*
*Præcipuè populos, quoscumque Ægyptus, & vnà*
*Læta Palæstinis regio pascebat in aruis.*
*Illic dedecorum maculæ, & genus omne probrorum,*
*Contemptusque acres, ignominiosaq; passim*
*Dicta sequi; nec verberibus, nec cædibus vllis*
*Parcere, sed sanctæ sæuire in corpora gentis.*
*Quin etiam templa ipsa manu subuersa nefanda,*
*Effusique aris calices, atque hostia fœde*
*Procul ata solo, raptusque in vincla sacerdos,*
*Dum se cœlicolum Regi purissimus offert,*
*Attollitque oculos, & sanctum numen adorat.*
*Quingentæ æstates, quingentæ ex ordine brumæ*
*Transierant, nullusq; aderat finisve, modusve*
*Christicolûm aduersis iam tot per secula rebus:*
*Cum pater omnipotens Solymorum ad mœnia vertit*
*Vltores oculos, tacitoque hæc pectore fatur.*
*En iterum infando populos Ægyptia tellus*
*Seruitio, duraq; premit iam compede nostros?*
*Impiaque assuetis deturbat honoribus aras?*
*Non ita. namque etsi debent mihi plurima pœnas*
*Ingentes seris nocitura nepotibus olim*
*Flagitia, & certæ subito sine vindice fraudes:*
*Extinxisse tamen populi scelerata rebellis*
*Regna iu. et: solioque alto pepulisse tyrannos,*

Qui modo longinquos sese profitentur Erembos
Liquisse, & Scythiæ campos fugisse malignos.
Hæc genitor, celeremque ad se vocat inde ministrum
Aligerùm è cœtu, sanctam qui protinus vrbem,
Quiq; Palæstinos populos, Syriamq; tuetur.
Vade age, care vigil, quò iam pulcherrima rerum
Vrbs Iudæa suas altis in collibus arces
Ostentat mole ingenti, & testudine templi
Marmorea augustum Nati complexa sepulchrum.
Huc præstantem animis, & magnum ingentibus ausis,
Et miro impulsum veræ pietatis amore
Aduenisse virum Celtarum a finibus vsque
Scimus, & inceptis, animus quæ destinat, aptum.
Illi vita insons, illi suadela, leposque,
Et dictis vis acris inest: nec sanguine cretus
Obscuro, solum montis secessit in antrum,
Cum primùm obduxit teneras lanugine malas,
Verum vt liberior cultum pietatis obiret,
Et mihi sinceros animi libaret honores.
Is nunc & macie confectus, & obsita pannis
Membra ferens, supplex oculos ad sidera tollit:
Vtque velim finem miseris imponere rebus,
Ac tot supplicijs Solymos prohibere fideles,
Per mortem testatus, & incunabula nostri,
Perq; resurgentis factum memorabile Nati,
Cum fletu, precibusq; petit. luat impius ergo,
Seu sit Arabs, seu Persa fugax, mihi sanguine pœnas
Tantorum scelerum. Tu, quò succedere possint
Ocyus, & mentem hanc nostram rata iussa sequantur,

I celer, atque illum tacitis hortatibus imple.
Dic abeat quamprimum Italas delatus ad oras,
Nostraq; Pontifici referat mandata: piorum
Concilium cogat, regesque impellat amicos,
Gallosque, Ausoniosq; duces, fortesq; Britannos,
Suscipere vnanimes, tantumq; capessere bellum.
Ipse ego nusquam abero. Dictis his Aliger altæ
Militiæ, ventis & fulminis ocyor aura,
Ilicet immensum rapidis secat æthera pennis.
Iamque inter nubes terras delatus ad imas
Aspicit innumeris viridantia littora palmis,
Sirbonisq; lacum fluitante bitumine, & oræ
Oppida Sammariæ geminas despectat Iamnes.
Mox & humi propior, quà se Galilæa propinquæ
Finibus insertat Syriæ, superimminet ales
Cernuus, atque vndas amnis veneratur amœnas
Iordanis, sterilemque agrum, duraque salebra
Horrentem tractum, riguamq; perennibus arcem
Fontibus, ingressus peregrinum heroa salutat.
O animos olim regum impulsure feroces
In bellum, & flammas pro libertate meorum,
Ipse preces, fletusq; tuos Pater audijt æquis
Auribus, & populo præsens succurret egeno.
Tu modò, cum primùm stellas aurora fugarit,
Surge celer, rectaque Iopes ad littora gressus
Tende: vbi iamdudum ventos expectat euntes
Nauis in Italiam merces vectura Sabæas.
Nec prius in Belgas, & patria regna reuertes,
Quàm positam Aruernis Elauer propè flumen in oris

Vrbem

Vrbem adeas, sanctumq; Patrem, qui praesidet orbi,
Hortantem populos ad bellum videris, huius
Laturos tanti mercedem, & praemia facti.
Haec ait, atque illum procumbere in ora volentem
Suppliciter, fletusque humiles, lachrymasq; cientem
Deseruit, tenuesque abijt resolutus in auras.
At pius insolita laetatus imagine rerum
Surgit, & aeterni veneratus numinis aram,
Has secum tacito fundit de pectore voces.
Summe Pater, cuius sedes stellantia caeli
Claustra premit, sic nulla vsquam gens incolat orbem,
Quae laudes, nomenq; tuum non tollat ad astra,
Et meritos confessa vni tibi reddat honores:
Cuius & in medio solus non pectore regnes,
Et fieri videas quicquid vis ipse, iubesque,
Non secus ac purae cum iam mortalia mentes
Exuerunt, labemque omnem exemere, luemque.
Da, Pater omnipotens, summo mandata referre
Pontifici, regumque animos accendere bello:
Adde & opes, adde & vires, quibus impius hostis
Pareat, aut multo vitam cum sanguine fundat.
Sic memorans, humiles properat Symeonis ad aedes:
Isacidae Symeonis, erat qui maximus vnus
Christicolûm princeps patrum, custosq; sacrorum
Iura ministrabat populo, patriasq; benignis
Hospitijs assuetus opes effundere, cunctos
Ipse domi Solymam peregre accipiebat euntes.
Ergo illum festinus adit, laetumq; salutat
Laetus, & ingentes voluens sub pectore curas:

*Scis Symeon, scis ipse, inquit, quibus ante querelis*
*Res fratrum afflictas, & tantæ fleuimus urbis*
*Excidia, & magni polluta altaria templi:*
*Sume animos. tetigere Deum tua vota, precesque.*
*Ipse mihi, dum genua graui titubantia somno*
*Fortè labant, medioq; tholi sub fornice victa*
*Procumbunt, clarus manifesta in luce refulsit*
*Nuntius æterni referens mandata Parentis:*
*Atque hæc palmiferæ cedentem ab littore Idumes*
*Ausonio patri narrare incendia iussit,*
*Cogat vt innumeros, armetque in prælia reges.*
*Tum Symeon: Eadem ista mihi modò visa loquentis*
*Effigies, somnus lassos dum serpit in artus,*
*Aligeri effigies lachrymantem, & multa timentem*
*Affari, & fletum placidis compescere dictis.*
*Ergo age rumpe moras, & te, quò prospera rerum*
*Tantarum series vocat, atque æterna voluntas,*
*Siste volens: Deus ipse bonis bonus annuit orsis.*
*Hæc illi inter se vario sermone serebant:*
*Ac templum ingressi puro ter flumine frontem*
*Aspersere suam: sanctis ter fulsit ab aris*
*Flamma repens, templumque insueta luce repleuit.*
*At Petrus (namque ipse Petri pius aduena noto*
*Nomine dictus erat) precibus, sacrisq; peractis,*
*Cælestiq; cibo mentem, potuq; refectus,*
*Alta Palæstinæ Turcis regnata tyrannis*
*Mœnia deseruit, portumque, Iopemque petiuit.*
*Nec mora mutati spatia in contraria venti*
*Aspirant flantes Eoi ab limine Solis*

In puppim. facilis salsas volat illa per vndas,
Atque Ægyptiaci latè maris æquora sulcat.
Iamque procul videt, & Cretam scelerata secutam
Arma Iouis: summa qui pulso è sede parente
Mortali, est ausus Diuùm sibi poscere honores.
Exin Sammonij rupes, atque ardua montis
Saxa legit: dextraq; Cason, celsamq; relinquit
Carpathon, & salebris duram Pholegandron acutis,
Mox Diam, Melonque. illic gens Attica quondam
Extinxit miseros tenera cum prole parentes.
Nec non & rigidas Cranaes inamabilis oras
Præterit: illicitos vbi primùm infamis adulter
Tyndaridi dedit amplexus, castamq; cubile
Polluit iniustæ pariturum incendia Troiæ.
Inde autem Maleæ scopulos, vndasq; sequaces
Exuperans, placido cursu Messenia radit
Littora, & Ænussas Euro impellente relinquit.
Illam etiam scopulosa Ithace mirata volantem est:
Miratæ Ionios celerem percurrere fluctus,
Quæ modò deuictos testantur Echinades hostes
Thracas, & vndisono submersas æquore classes
Hesperiæ scelerum pœnas soluisse merentes.
Et vos Leucatæ nimbosa cacumina montis,
Fulminibusque altam percussa Ceraunia frontem,
Protinus ingressam Adriacas vidistis in vndas
Peucetios petere, & tuto se condere portu.
Qualis vbi aerij summo de vertice saxi
Ilicet aurarum strepitu commota columba
Auolat, & magni præpes secat ætheris oras,
Et

*Et tandem patria lætam se turre recondit.*
*Sic illa, indomitum postquam tranauerat æquor,*
*Littus adit victrix, claræque allabitur vrbi:*
*Quam quondam (ceu prisca ferunt monimenta priorũ)*
*Dædalides, omnemque agrum, quà Daunia tellus*
*Culta patet proprio ducens è nomine nomen*
*Fecit Iapygiam: seri sed deinde nepotes*
*Dixerunt Barium: primi vnde insignia regni*
*Sceptraque, purpureosque habitus, sacrumque tiaram,*
*Sumere tum reges Siculique, Italique solebant.*
*Ergo ipsi optata tandem potiuntur arena,*
*Votaque solliciti persoluunt debita nautæ*
*Nicoleo, cui templum altis sublime columnis,*
*Marmoreumque, ingensque, calet fumantibus aris:*
*Et circum Arabijs permiscet odoribus auras.*
*In medio sacram testudo intercipit vrnam*
*Aurea, quæ Diui cineres, atque ossa sepulti*
*Complexa, ambrosium summo de marmore fundit*
*(Mira quidem, sed certa fides) iniussa liquorem.*
*Huc pius ingrediens heros sanctissima primùm,*
*Aurea pyxis vbi niueum complectitur orbem*
*Cælestis crusti, mysteria pronus adorat.*
*Mox humilis, supplexque altam contendit ad aram:*
*Ac pressa genibus terra sic voce precatur.*
*Diue, Myram Lyciæ cui sex ex vrbibus vnam*
*Innumeris illustrem atauis, populoque frequentem*
*Insueta patres olim dant sorte regendam:*
*Qui puer, & nutricis egens lactantis ab ipsis*
*Vberibus, quoties lux quarta, & sexta refulsit,*

Auertens faciem seras ieiunus in horas
Sensisti gelidæ venisse crepuscula noctis:
Mox & opes patrias miseris largitus egenis
Sancta Palæstinæ visis loca: & vndique nauem
Iactatam ventis, agitatam & fluctibus atris
Ipse Deo supplex optato in littore sistis
Incolumem, sæuique expertus vincla tyranni,
Post tristes casus, post dura incommoda tandem
Discedis, curasque hominum, terrasque relinquens
In cælum sublimis abis, vnde arduus orbem
Despicis, & tantos tecum miserare labores:
Sis bonus, o, nostrisque faue sanctissime, cæptis.
Dixerat, & cælo supplex immota tenebat
Lumina, largifluo spargens sibi flumine pectus:
Sustuleratque ambas, quasi raptus ad æthera, palmas:
Cum senior, cui prima sacri custodia templi,
Curaque perpetuis adolere altaria flammis,
Supplicis aspectu subitò commotus, & ore:
Dic nobis, dic hospes, ait, nomenque, genusque,
Quisquis es: & mensas hodie dignare paratas.
Namque diem solemnem agimus, quo maximus heros
Hinc abijt clara cæli in statione locatus.
Sic memorans, dextra apprensum in sacraria ducit,
Atque auro è solido solidas ostendit acerras,
Et pateras, calicesque graues, purosque lebetes,
Vasa ministerijs, cultuque accommoda templi:
Ille autem admirans placido est sic ore loquutus.
Non equidem sine mente Dei, sine numinis aura
Adueni has primùm terras, & Iapygis vrbem,
Quam

Quam victor populorum heros Patareius vnam
Protegit, & fidus præses, custosque sacrorum
Ipse suis patrocinijs tutatur egentem.
Iam Solymæ manifesta salus, iam Persidis atra
Cæde Palæstinis tepefient flumina campis.
Desierat fari senior, cum talia Alethes
Miratus magno scitandi ardescit amore,
Quæ sit tanta salus, quæ cæde tepentia crescant
Flumina; quos ducat victrix Europa triumphos.
Subijcit hæc igitur cupienti habitator eremi.
Non vllus (mihi crede) furor, non vlla futuri
Vana superstitio percellit imagine mentem:
Verùm animo tanti præsens fiducia Diui
Addita, & Ausoniæ felix aduentus ad oras,
Quas ego concepi spes imo in pectore cunctas
Integrat, & cœpto suadet dare vela labori.
Namque Palæstinas nuper nouus aduena terras
Dum peragro, & Solymæ vestigia cuncta videre
Pressa Deo iuuat, atque ipsi aduigilare Sepulchro,
Et modò Carmeli montes, modò visere Idumem
Palmiferam, & sacros Iordane ex amne liquores
Sumere, tum si qua est regio testisque, memorque
Mortis, & exactæ per tot miracula vitæ,
Aut lacus, aut rupes, aditum perrumpere, & ad se
Ire iubet: vidi euersas, proh dedecus, aras,
Templaque, cornipedum præsepia facta ferorum.
Sed me dicentem iam deserat auricomus Sol,
Si fœdas ignominias, si dura piorum
Exitia, & sæuos casus memorare libebit.

Exarsere ignes animo: subit ira ruentem
Vlcisci pietatem armis: scelera inde nefanda
Deturbare procul, nostrisque afferre salutem,
Immanis quos ipsa premunt regna impia gentis.
Ergo ego primores Solymæ iuuenesque, senesque
Alloquor, & miseris quæ sit sententia posco.
Ast ollis (neque enim certæ se dedere morti
Iam dubitent, tempus siquando id postulet, & res)
Omnibus idem animus populos è sede superbos
Deijcere imperij, sæuosque expellere reges,
Aut vltro cunctos vni dare colla securi.
Hæc eadem Syrij, quos flumine magnus Orontes
Alluit, Antiochi veteri cognomine dicti,
Hæc Cilices, Lycijque volunt: hæc Olbia, cuius
Ascanius placido perfundit mœnia fluctu:
Nec qui Byzanti populo dominatur, & vnus
Obtinet imperium quà se fera Thracia pandit,
Quæque adeo Pelopis tellus circumdatur vndis
Auxilium iam ferre neget. sed viribus impar
Non audet lapsis Asiæ succurrere rebus,
Expectatque tacens dum se Germania bellax
Excitet, aut Italùm virtus miserata ruinas
Imperij, labesque graues; aut Gallia fortes,
Gallia magnanimùm mater generosa virorum,
Cogat in arma duces, belloque ea regna lacessat.
Ac mihi versanti tantam sub pectore molem,
Nuntius in somnis alto delapsus olympo
Constitit ante oculos, & cœpta capessere iussit.
Quare ego nunc primùm vestras appulsus ad oras

Ausoniæ

*Ausoniæ ingredior reges aditurus, & ipsum*
*Christicolûm patrem, septem qui collibus vrbis*
*Præsidet, atque hominum mentes, sensusque potentum*
*Impellens stimulante Deo regit vnus, agitque.*
*Desierat, cum longæuus sic infit Alethes.*
*Magna quidẽ, magna, ò hospes, neque temporis huius*
*Cœpta paras, &, ni me animi sententia fallit,*
*Nulla ope mortali, nullo superanda labore.*
*Namque inter sese diuisa potentia regum*
*Infregit solidas bellorum ad munia vires*
*Iamdudum, imperijque Italos spoliauit habenis.*
*Si tamen hæc audere potes, si fixa voluntas*
*Ista tibi, precibusque tuis Deus applicat aures,*
*Accipe quæ primùm studio suscepta fideque*
*Perficias: neque enim, tanti quem gloria facti*
*Certa manet, nobis hæc intentata relinquas.*
*Exitus omen erit. nam res opis indiga, & vno*
*Vindice digna Deo cœptis bene gesta fauebit,*
*Et spem non dubiam dubijs modò mentibus addet.*
*Hanc partem Italiæ, belloque, & pace potentem,*
*Imperio postquam patrio cessere Quirites*
*Thracibus, & Tiberis dominatum amisit auitum,*
*Externi tenuere duces. nos ante superbo*
*Seruitio oppressi, iussisque, minisque Getarum*
*Paruimus: nos sæpe Arabum sumus impia passi*
*Imperia, & victi pœnas expendimus Afris.*
*Postremo dum compositis iam rebus auaras*
*Græcorumque manus, & mores ferre proteruos*
*Cogimur, atque animo placidas assuescimus artes,*

*Extremis*

*Extremis orbis gentes in finibus ortæ,*
*Inde vbi vicinam ſpectant Electrides Arctos*
*Inſulæ Oceano in magno, venere Chadeni,*
*Baſtarnæque truces, & fortia pectora Cimbri,*
*Quos patriæ, veterumque ætas ignara locorum,*
*Nec tamen ignota terrarum à parte profectos*
*Noſtra hæc Normannos inuento nomine dixit.*
*Quippe ea gens Septem gelido ſubiecta trioni*
*Liquerat & campos, & inhoſpita ſaxa Chaluſi:*
*Ac poſt euerſas ipſis cum mœnibus vrbes*
*Gallorum, & miſeris paſsim viduata colonis*
*Rura, ferox noſtris regionibus intulit arma,*
*Nacta ducem magna virtute, & fortibus auſis*
*Tancredum præſtantẽ, opibusque, & ſanguine clarum,*
*Et forma inſignem, & numeroſa prole beatum.*
*Namque illi fines, alienaque regna colenti*
*Biſſenos natos fœcunda creauerat vxor,*
*Edoctosque ſitim in ſyluis perferre, famemque*
*Sæpe graues cœli tolerare coegerat æſtus,*
*Sæpe etiam pedibus rigidas calcare pruinas,*
*Immanes dum luce feras, dum nocte ſequuntur.*
*Ceu ſus innumeros limo durata nepotes*
*Quæ poſt terga trahit, valles ingreſſa profundas*
*Decuſſæ ingentes glandis populatur aceruos,*
*Et procul inde vrſos fugat, & genus acre luporum:*
*Solaque fœcundæ ſaltus, & paſcua ſyluæ*
*Inſidet, atque epulis pingueſcere pergit opimis.*
*Ipſe etiam genitor natis comitantibus, omnes*
*Expulit obſeſſis Inſubrum è finibus hoſtes,*

Et vitreo quæcumque vado Ticinus, & ingens
Eridanus, quæcumque vagus secat Ollius arua,
Abduaque, & tenuis gelido cum flumine Rhenus,
In leges iurare suas deuicta coegit:
Imposuitque iugum populis à littoris ora
Adriaci ad fines Samnitum, & ab amne Phiterno,
Quà fluit in longum regio ditissima, adusque
Hydrunti, & mollis cultissima rura Tarenti.
Nec satis hæc Siculos Afris extrema luentes
Supplicia, hinc vrbes, illinc populantibus agros
Defendit, peditesque omnes deleuit, equosque.
Post etiam cæde ingenti congressus iniquas
Prostrauit turmas, & funere mersit acerbo
Innumeros. at tu dictis Argiue maneres,
Pactaque victrici deferres præmia genti.
Mox veteris custos moris, legumque seuerus
Gessisti vindex regnum Roberte paternum:
Acri animo, claraque ingens virtute, tuaque
Ante alios omnes pietate insignis, & armis.
Brundusium tibi se terra oppugnata, marique
Dedidit vrbs, Graijs longè discedere iussis:
Et tua Trinacrij venere in iura, fidemque.
Ac nisi mors tantis obsisteret inuida cœptis,
Victrices superata manus iam Thracia, iamque
Barbara seruitium quæ gens minitatur acerbum
Europæ (sic spes fuerat) sensisset & arma.
Quorum adeò veriti virtutem animosus Acarnan,
Et latrocinijs, raptuque exercita pubes
Ætola, imperium dextræ subiere potentis

Vltro

*Vltro omnes, vltro inuicti sunt regia paßi*
*Iussa ducis. verùm postquam discordia fratrum*
*Impulit inter se miseros concurrere ciues,*
*Desciuere omnes, & nos liquere rebelles.*
*Nam soboles natu maior Boemundus auita,*
*Et patria in primis nulli virtute secundus,*
*Haud æquo patiens animo, quòd frater ademptas*
*Ferret opes, regniq́ue vnus poteretur habenis,*
*Italiam repetens victor dimisit Achiuos.*
*Ac nunc germani sæuo premit oppida bello:*
*Depopulatur agros: altæque in mœnia Melphes*
*Arietat, excidiumq́ue vrbi, populisq́ue minatur.*
*Hos motus, ni fortè parum Deus obstet amicus,*
*Comprimere, atque iras primùm sedare necesse est:*
*Quando hic militiæ veteris graue robur, opesq́ue*
*Ingentes, nec non classes, naualia, portus,*
*Vnde ad palmiferam facilis traiectus Idumem.*
*Vix hæc fatus erat æui maturus Alethes,*
*Cum sese ad templum victor Boemundus agebat,*
*Vota soluturus Diuo, quæ fecerat ante,*
*Nicoleo, vt caperet sine cæde, & sanguine Melphem.*
*Ergo aderat circùm ducibus stipatus amicis,*
*Et corde, & vultu quærens à numine pacem,*
*Suppositum genibus preßit puluinar, & ambas*
*Ad cælum palmas humili cum voce tetendit.*
*O, qui coniectos Byzanti in vincla tribunos,*
*Damnatosq́ue neci per fraudem, & crimen iniquum,*
*Seruasti incolumes, meritas tibi maxime grates*
*En agimus, lætiq́ue tuis aduoluimur aris.*

*At tu,*

At tu, sancte pater, si, quod te poscimus, æquum est,
Si iustum gerimus bellum cum fratre, piumque,
Da positis odijs certo nos fœdere iungi
Concordes, sumptisque ambos discedere ab armis.
Hæc ille vt secum tacito sic ore precatus,
Surgit, & ex ebeno nigranti, alboque elephanto,
Quam mira Assyrius fabricauerat arte Phraates,
Et cocco, & denso famulus constrauerat auro,
Augusta sese sublimem in sede locauit.
Mox alij circùm proceres capita ardua nudi
Stabant, incœptisque sacris intenta tenebant
Ora, sacerdoti linguisque, animisque fauentes:
Heroemque omnes Lyciæ, Pataræque potentem
Orabant humiles, ducis vt sine labe iuuentam,
Et vitam in longos facilis produceret annos:
Germanosque ira inter se, belloque diremptos
Concordes stabili fratres sociaret amore.
Mox autem precibusque pijs, sacrisque peractis,
Occurrit venienti vltro longæuus Alethes.
Inclyte rex Robertiades, tibi gratulor (inquit)
Victori: atque istam, peperit quam viuida virtus,
Lætitiam rebus nusquam variantibus oro
Perpetuam, vt dulci placitam cum pace quietem
Nactus, in externos vires, atque arma tyrannos
Conuertas, Graiumque oras, & littora Thracum
Imperio adijcias, & barbara regna lacessas.
Quod virtus tua promittit: quod gloria gentis
Postulat, vnde genus iuuenis fortissime ducis.
Quodque adeò fuit inuicti cura vna parentis

*Conficere, & regni longè producere fines*
*Ausonij: populisque feris imponere leges;*
*Juraque nobilium reparare amissa Quiritum.*
*Nam memini, cum Tarpeia de rupe rebelles*
*Deiecit ciues victor, cæsisque maniplis*
*Henricum, fautrix cui tum Germania fasces*
*Detulerat, procul vrbe fugam celerare coegit,*
*Eximere oppressum longa obsidione, metuque*
*Pontificem, sanctæque in sceptra reponere sedis:*
*Cuius ab auspicijs bello multo ante gerendo*
*Impositus, munusque obiens insignis honoris,*
*Bis Venetos, bis secum ausos concurrere Graios*
*Contuderat, geminasque imo sub gurgite classes*
*Merserat, atque acie victor dimiserat Orco*
*Millia multa virùm: iamque affectabat ad oras*
*Byzanti festinus iter, iam Thracia vastis*
*Concipiens animis inuadere regna parabat.*
*Ipse ego, quem secum casus deduxit in omnes*
*Sacra ministrantem festis peragenda diebus,*
*Mirabar sublimem animum, mirabar & vnà*
*Ad decus intentum, stimulosque cupidinis acres*
*Egregiæ, & magnos curarum in pectore fluctus*
*Voluentem, quorum impulsu iam concitus ibat*
*Supra omnes, regnisque Asiæ, Libyæque ruinam*
*Molitus tacita capiebat gaudia mente.*
*Tum Robertiades lachrymis Boemundus obortis,*
*Hæc, ait, hæc nobis, quæ nunc, pater optime, narras*
*Nota nimis, semperque animo genitoris imago*
*Fixa hæret iusta in Thraces capere arma monentis,*

*Atque*

*Atque Asiæ campos bello vastare iubentis.*
*Nec semel ante oculos in somnis constitit ipse,*
*Qualis erat, facieque minax, vultuque seuerus,*
*Oppida cum prostrauit humi Taulantia, & arces,*
*Altaque Dyrrachij subuertit mœnia victor:*
*Aut cum Cassiopes moriens propè littus, acerbæ*
*Cassiopes littus, cunctarum infame sepulchrum*
*Virtutum, extincto quæ tum periere parente,*
*Mærentem dictis consolabatur amicis.*
*Nate, tui effigies, & spes fidissima patris,*
*Nate Italis, nate externis exercite bellis,*
*Tantorumque adeò socius, testisque laborum,*
*Quos ego suscepi, quos nunc ego linquere cogor*
*Effusos (sic certa Deo, stabilisque voluntas)*
*Ipse vides, alacres quàm te comitentur euntem*
*Ferro accinctæ acies, quàmque vndique circumsistant*
*Agmina multa virùm, & nostri studiosa iuuentus*
*Nominis, obscuræ iampridem inimica quietis.*
*Hæc tibi pacatis, qui nunc obstare videntur,*
*Hostibus, ingentem summis heroibus addet,*
*Imponetque sacrum capiti gauisa tiaram:*
*Quem modò longinqua Deus in regione paratum*
*Seruat, & impensè per mille pericula rerum,*
*Perque adeò varios casus, durosque labores*
*Quæsitum. si vera olim mihi numine plenus,*
*Afflatusque Deo cecinit longæuus Ionas,*
*Spectabunt læti prouecta ætate nepotes.*
*Hæc pater ingenti natorum accensus amore,*
*Ne regni causa Italici discordia fratres*

 *Diuide-*

Diuideret, viresque absumeret inuida nostras.
Quamquam, ô, sed noxæ, quarum persoluere pœnas
Cogimur, innumeræ mentemque, animumque benignum
Auertere Dei: qui nos amittere passus
Propterea tot regna armis quæsita, manuque
Inuicti genitoris, auitæ & robora gentis.
Verùm hæc sancte senex, vni cui cura piandi
Flagitia, & summi placandi numinis iram
Credita, si precibus non dedignabere castis
Exorare Deum, nostri, vt rerumque misertus
Extinguat clemens tanta hæc incendia regni
Ausonij, & cœpti discordia semina belli:
Idem etiam fortasse viam monstrabit, & altum
Sternet iter, sceptra euertens Orientis, opesque.
Vix hæc desierat fari, cum magnus Alethes
Subijcit: O ingens patris decus, ò noua gentis
Gloria, quæ nam in te regum fortissime primùm
Laudarim? pietatem animi, roburque iuuentæ?
An belli audaces, an pacis amabilis artes?
Omnia quæ pariter seclis venientibus ætas
Suspiciens, pariter magnum super æthera tollet,
Et tibi diuinos famæ instaurabit honores.
Non temere, astuteve aliquid fortissimus heros
Ipse tuus genitor, quod veri effœta senectus
Acta metu solidas animi languescere vires
Senserit, extrema est titubans in morte loquutus.
Namque eadem ætatis sub limina prima ruentis,
Cum belli arderet studijs, persæpe canebat
Ista mihi de te puero: non Appula tellus,

Non & Iapygiæ, quæ Daunia finibus hæret,
Iam capere hunc possit, cum primùm adoleuerit, & se
Nouerit haud vsquam patriæ virtutis egentem.
Et nunc si veri quicquam mens augurat, ingens
Tantarum nobis rerum est oblata facultas.
Namque hic adueniens Solymorum nuper ab oris,
Iudæa ex media ciet alta ad præmia reges
Ausonios, totamque Asiam promittere prædam
Non dubitat populorum vno vos ore vocantum
In regna, & dominos cupientum expellere Turcas.
Hæc memorans, ardorem animis iniecit, vt vltro
Christicolùm cuperet narrantem audire labores.
Nec mirum: namque ipse Deus, qui pectora regum
Vnus obit, sensumque mouens alternat, & vrget,
Iamdudum mentem diuino afflauerat æstu,
Insuetoque imas accenderat igne medullas.
Ergo ait, O vtinam summi regnator olympi
† Hæc inter reges componat fœdera, & acres
Excitet Europæ populos, quos conscia virtus
Ipsa sui stimulet tam iusta in bella, feroxque
† Sponte sua pubes raptis sese induat armis.
Ipse ego, quem præsens germani iniuria versat
Immeritum, proprijsque palàm deturbat ab agris
Hæredem, & summo secum contendere iure
Cogit, vt armatis in mutua vulnera dextris
Fraternos Italo fœdemus sanguine campos,
Victas dedo manus victor, regnisque paternis,
Si modò quod memoras, hospes venerande, sequatur
Fœdus amicitiæ, iam nunc discedere certum est.

Sin

Sin autem secus ac volumus, res cesserit, & nos
Exitus ingenti de spe frustrabitur omnes,
Tum tu Pontificem Romæ exorare memento,
Litibus imponat nostris finemque, modumque,
Suscipiens uno dignam se iudice causam.
Quoque id commodius, nisi fortè indebita posco,
Conficias, certos nostra hac ex vrbe legemus
Quàmprimum, tecum quos dimittamus amicos,
Componi orantes constanti fœdere pacem.
Interea (neque enim tantis conatibus instes,
Illorumque expers hominum, ignarusque locorum,
Quique adeò teneant Asiæ vel regna, vel vrbes
Vndique præsidijs, & multo milite vinctas)
Dic age, nec cupidis notæ tibi nomina gentis,
Cuius ad hæc tenuis famæ loca peruenit aura,
Auribus inuideas, quique arma capessere contra,
Qui conferre manus, qui bello audere ferantur.
Hæc Robertiades Boemundus. at inclytus hospes
Ex alto repetens diri primordia regni:
Expulerat Parthos armis victricibus, inquit,
Imperij fines adoriri Heraclius ausos,
Auxilio populorum vsus, quos incola terræ
Arabiæ felix proprio de nomine dictos
Ipsa suo quondam Romana in prælia misit.
Militiæ sed enim postquam, morumque periti
Bellandi cunctas didicere artesque, dolosque,
Ingentique æstu, atque insueto frigore corpus
Durarunt, hostesque sua virtute subactos,
Disiectosque duces, desolatosque manipIos
Videre,

Videre, & mœstas vertère in terga phalanges,
Desciuere fide, seque adiunxere volentes
Imperijs Arabum, tum primùm in bella secuti
Abdaridem: quo non alter versutior vmquam
Extitit, aut varias populis intexere fraudes,
Deceptasve semel compellere ad impia mentes,
Euersorem Asiæ, portentum immane, luemque
Excitam barathro, qui verum è pectore cultum,
Inque Deum pietatem omnem subuertere doctus,
Et miseros imis animos damnare tenebris,
Dum simulat sese venienti numine totum
Afflari, mentemque Deo, sensusque teneri:
Ilicet ingenti turbæ rudis auctus opum vi
Ægyptum aggreditur, Syriamque in iura, fidemque
Cogit, & euersos Persas belloque, fameque,
Occupat, ac miseris ritus describit habendos
Sacrorum, & faciles infanda ad crimina leges.
Inde igitur firmis legionibus vndique septus
Iudæam inuadit, Solymosque oppugnat, & vrbis
Mœnia, deiectis passim custodibus, atrox
Æquat humi, populosque pios obtruncat, & ædes
Templaque, quæ CHRISTO trãsacta dicauerat ætas,
Excindit, sacratque sibi, pro dedecus, aras:
Infandas aras illic, vbi nuper IESVS
Vera Dei soboles, summique exemplar amoris,
Ad cælum monstrarat iter, sublatus iniquis
Iudicijs, duræque cruci data victima, primi
Morte sua luerat peccatum immane parentis,
Infernasque domos victor recluserat: illic

Fun-

*Fundamenta iacit diri teterrima ritus.*
*Vlla nec immemores etiam dum cura nepotes*
*(Heu labem sceleris numquam vlla in gente relictam)*
*Tangit, & in populos vindex agit ira rebelles.*
*Sexcentos iam capta annos infamibus aris*
*Seruit adhuc Solyma, & culta in conualle Damascus.*
*Nec pudet egelidi Daphnen ad littus Orontis,*
*Quae populos* CHRISTI *de nomine prima vocauit*
*Ausa suos, necnon Biblon, Sidona, Tyronque*
*Oppressa ceruice iugum perferre, suaque*
*Desperare omnes de libertate: nec vllam*
*Partem Asiae, magna quae non ditione prematur*
*Turcarum, atque Arabum. Quando gens illa nefanda*
*Acta fame quondam Scythiae deserta reliquit,*
*Et vitae ingrato quaerens alimenta labore*
*Ipsa suas operas Persis famulata locabat.*
*Sed simul ac iuuenum coetu florere, virumque*
*Coepit, & instructas potuit secernere turmas,*
*In dominos ausa est proprios conuertere dextras,*
*Atque acie fusis patrias imponere leges.*
*Sic Medos, sic Armenios, Cilicesque feroces,*
*Et Lycios, Lydosque manu superauit, & audax*
*Intulit arma Arabis. nec erat tum viribus aequis:*
*Congressi tamen in pugnam, seque inter adorti*
*Discessere pares, foedusque his legibus ictum:*
*Esset vt his idem, atque illis Deus, impius idem*
*Cultus, & Abdarides vnum modo numen vtrisque.*
*Ac veluti par acre canum, cum valle latentes*
*Impulsi quaerunt odijs immanibus apros,*

*Saepe*

*Sæpe illi inter se rixam committere sueti,*
*Ambo animis paribus, paribusque ætatibus ambo,*
*Undantes cohibent irarum in pectore fluctus,*
*Donec ad expositæ directo in tergore prædæ*
*Peruenere dapes. subitas ibi protinus acti*
*In furias, pedibusque pedes, atque oribus ora*
*Impliciti dubiæ ruperunt fœdera pacis,*
*Alter in alterius fauces, iugulumque ruentes*
*Mutua vulnificis laniarunt dentibus artus.*
*Atque hic ipse Asiæ status est: hæc denique rerum*
*Cunctarum facies, dux inuictissime, quando*
*Iamdudum imbellis sua iura amisit Alexis*
*Graius; & imperij vix ipsum à finibus arcet*
*Irrumpentem hostem flumen Tanaisque, palusque*
*Mæotis, Pontusque ingens, & Bosphorus, & quæ*
*Influit Ægæas dimissa Propontis in vndas.*
*Quem tamen Europæ si pars coniuret, opemque*
*Afferat & regno, sæuaque tyrannide pressis,*
*Præcipitemque, actumque procul fugere inde videbis*
*Ad montes Scythicos, atque incunabula patrum,*
*Rursus & in cæcas Arabum remeare cauernas.*
*Nam quis tam timidus, quem desperare coactis*
*Non pudeat tantis populorum viribus ipso*
*Defensore Deo? cuius si certa voluntas*
*Christicolûm rebus non aduersata fauebit,*
*Ipse ego mille acies peditum, mille agmina solus*
*Contemnam, aeriasque suis cum molibus arces.*
*Dixerat, atque animo voluentem talia regem,*
*Ararum, & populi custos compellat Alethes:*

Optime dux Italûm, seclis decus addite nostris,
Quem modò stelliferi moderator maximus orbis
Opportunum ad nos, ipsoque in tempore misit,
His tectis quamquã angustis, quamquam hospite tanto
Jndignis, pater ipse tuus successit, & altæ
Victor Japygiæ nostra hæc ad limina adibat,
Et tenues mensas, & res dignatus egenas.
Tu quoque si contemnere opes, luxusque beatos
Nunc potes, ingreditor nostros, Boemunde, penates,
Et dapibus lætus iamdudum accumbe paratis.
Sic ait: actutumque hilares ex æde profecti
Unà omnes abiere domum senioris Alethæ.
Hic ipso in medio, quò se spatiosior aula
Explicat, antiqua ex cedro, læuique cupressu
Jnduerant mensas niueis mantilia villis;
Et mira picti pendebant arte tapetes
Parietibus: quippe impositas ex ordine plagas
Ægypto textrix depinxerat æmula. primùm
Flumina purpureo currentia tota cruore,
Sanguineos etiam riuos, & stagna, lacusque.
Præterea (horrendum visu, & miserabile) siqua
Vasa domi priuos olim seruantur in vsus,
Omnia cernere erat tetro fluitantia tabo.
Strataque mox querulis ranis adoperta viarum,
Obsessasque fores, obsessa cubilia, nec non
Consumptum omne penus turba accedente loquaci.
Ipsi etiam culices tellurem, atque aera magnum
Complentes, hominumque genus, iumentaque passim
Lædere, & impressis maculosos dentibus artus

*Liuere: ac magnas muſcarum implere cateruas*
*Atria nobilium, thalamosque, aulasque patentes:*
*Quadrupedesque feras graſſantem extinguere peſtem:*
*Vlceribus periiſſe homines, periiſſe videres*
*Quicquid habet pecudum regio ditiſſima Nili:*
*Vſque adeò magnæ magni ſtant cædis acerui.*
*Poſt quæ fulminibus ſummus circumſonat æther;*
*Verberat & grando ſata læta, boumque labores;*
*Et ſubiti è denſis deſcendunt nubibus imbres;*
*Pinguiaque innumeræ populantur rura locuſtæ:*
*Quæ virides auido ſegetes abſumere morſu*
*Pergentes, ſtrictim detonſa noualia linquunt.*
*Parte alia cæca nigra caligine nubis*
*Contectas terras credas horrere perennes*
*Æternæ tenebras ventura in ſecula noctis.*
*Poſtremò, quæ prima vſquam ſunt edita primis*
*Partubus, & prima in lucem venere, diemque;*
*Siue ſit ancillæ, ſeu regis amabile pignus,*
*Seu pecudum fœtus, miſerè ſublata iacebant:*
*Turbaque Pellæi luctum male ſana Canopi*
*Miſcere, & tantis hærere incredula monſtris.*
*Hæc dum oculis, animoque ingens ſimul hoſpes, & heros*
*Mirantur, pueri magnis à patribus orti*
*Dant manibus lymphas, & candida lintea puris.*
*Tum verò ſupplex animis, atque ore ſacerdos*
*Adſtitit, inque preces ſolemnia verba reſoluit:*
*Summe Pater rerum, nobis qui cuncta benignus*
*Suggeris, & varias largiris egentibus eſcas,*
*Adſis ò præſens epulis, & numine luſtra*


Ipse tuo hunc cœtum, & castæ conuiuia mensæ.
His dictis sedere omnes, dapibusque paratis
Jniecere manus, lætique medentia siccis
Faucibus hauserunt generosi sobria vini
Pocula, festiuo tempus sermone trahentes.
Interea cithara præstans Minturnus eburna,
Minturnus, quem Fibreno cum flumine Liris,
Dum fugit exosus nemora inter opaca profanæ
Antiquos ritus, & sacra horrenda Maricæ,
Miserat instructum numeris, atque arte magistra,
Inuicti cantat laudes, & maxima Mosis
Facta ducis, tacitosque ortus, vt conditus alueo
Pertenui, in summo primùm fluitauerit amne:
Vt puerum virgo sæuo prognata tyranno
Regia seruatum matri mandarit alendum:
Vtque domi acceptum, postquam primoribus annis
Accessere dies, ceu natum amplexa, fouensque
Ingenti cura, studioque eduxerit omni.
Addit & Ogygium cum ferro obtruncat, & alta
Littore Niliaco contectum occultat arena:
Cum fugiens odium sæui Pharaonis, & iram
Tutus ad Arabios se contulit aduena fines:
Et magno genitas septem Raguele puellas
Tutatur præsens, sumptisque vlciscitur armis
Solus, & infestos fugat ipso à fonte latrones.
Inde autem, iussuque Dei, monituque reuersus
Ægypto in media sumpta miracula virga
Edit, & Jsacidas miserè seruire coactos
Eximit imperio dominorum; atque amne relicto

*Arsinoe oppositam ad ripam deducit ouantes.*
*Intentansque manu non enarrabile rami*
*Robur, Erythræas vndas discludit ab vndis:*
*Littoreque aduerso potitur, quem ponè sequentes*
*Currusque, & turmas equitum, peditumque cohortes*
*Demergunt fluctus, coeuntiaque æquora in vnum.*
*Hæc vates. citharamque vnà cum voce repressit.*

# PETRI ANGELII
# BARGAEI



# SYRIADOS
## LIBER II.



*AVREVS interea medium superauerat orbem*
*Phœbus, & Oceani properans vergebat ad vndas,*
*Cum sic ad regem senior conuersus Alethes:*
*Quod felix, faustumq́ue tibi, Boemunde, tuisq́ue,*
*Europæq́ue, Asiæq́ue omni, Libyæq́ue patenti,*
*Iamdudum aspicimus tanti primordia belli,*
*Vt volumus: resq́ue ipsa suo se pondere librat;*
*Et precibus nostris placidas Rex magnus olympi*
*Aduertens aures, iam nunc fore monstrat, vt olim*
*Ipse tibi manifesta volens hæc omina firmet,*

*Tan-*

Tantorumque operum præclara incæpta secundet.
Ergo age (quandoquidem melior pars acta diei
Admonet haud longè terris instare tenebras
Noctis, & Hesperio properare a littore somnum,
Nec cænæ dum tempus adest) in tecta vocari
Nostra iube lectos, quos mens tua destinat vnà
Ire viros, almam cumprimùm crastina lucem
Aurora extulerit, vegetosque è mollibus artus
Ingressurus iter stratis erexerit hospes.
Tum Robertiades vultuque, & pectore lætus:
Ista, inquit, mihi, sancte senex, tam grata voluntas,
Quàm quæ olim votis rerum prosperrima nostris
Eueniunt, faustisque preces successibus æquant.
Namque ego dum tantam tacitus mecum ipse reuoluo
Hanc curam, & partes vrbis conuertor in omnes,
Te solum statuo, molem qui muneris huius
Ingentem subeas, qui nostra fidelis ad aures
Pontificis mandata feras, ac protinus vni
Polliceare fidem, dextramque ad iusta paratam
Arma: modò hæc reliqui veniant in fœdera reges
Gallorum, quos ille adijt digressus ab vrbe
Nuper, vt Abdaridem cunctos accendat in hostem.
Quoque id commodius confectum ex ordine reddat,
Concilium in medijs nunc primùm indicit habendum
Aruernis: regesque illuc, populosque vocari
Imperat, & magni proponit præmia facti
Ipse mihi præsens præsenti ingentia, fratrem
Dum pacat, mentemque vnam conatur vtrique
Addere, & æternæ calcaria subdere laudis:

Omnia-

Omniaque incassum. nam nos discordia demens
Impulit infecta tristem dimittere pace.
Nunc autem, quando hæc certo sine numine Diuûm
Confieri nequeunt, & iam via lata patescit
Hostis ad excidium Schytici, Solymæque salutem,
Ite animæ illustres, quas hic coniunxit in vnum
Æterni patris vis, atque immota voluntas.
Ite illuc celeres, postquàm lux tertia Solem
Extulerit terris, & me fore dicite iussis
Parentem, atque vltro subeuntem pondera rerum
In partem, & cunctas ad tanta incæpta paratum
Fundere opes, nostri neruos, & viscera regni.
Hæc ille: &, noctis cum iam pars prima sub vndas
Oceani stellas secum deuexa tulisset,
Cænati seræ se composuere quieti.
At non & Petrus, non & longæuus Alethes
Per membra, atque artus dulcem fudere soporem
Ante, pias quàm mente preces, & voce tulissent,
Æternum numen concepta in vota vocantes.
Interea roseis Aurora inuecta quadrigis
Fluctibus ex alti surgit maris, & sua cælo
Astra fugans, retegit montes, camposque patentes;
Primaque sollicitis hominum corda anxia curis
Excitat ad varios terræque, marisque labores.
Illi igitur, postquam venientem à limine regem
Voce salutarunt humili, lætumque precati,
Felicemque diem, prior est ita fatus Alethes:
Quod mandas, fierique iubes, rex optime regum,
En adsum subiturus iter; nec me ægra senectus
Effæ-

*Effœtæve queant incœpto auertere vires:*
*Conatum modò respiciat dominator olympi*
*Hunc nostrum; & rerum euentu fortunet euntem.*
*Interea (nisi fortè aliter videatur) ad aram*
*Nicoleo sacrum fieri de more iubendum est:*
*Quò communis amor, natique, patrisque supremi*
*Spiritus, à nobis in vota, precesque vocetur,*
*Allaturus opem linguæ, cum facta potestas*
*Dicendi fuerit, tua cum mandata referre*
*Pontifici heroum mediis in millibus vnus*
*Cogar inops animi, longoque infractus ab æuo.*
*Ille mihi persæpe aliàs præsensque, volensque*
*Affuit oranti, dulcesque ex ore loquelas*
*Extudit, & voces, Iboris queis sæua tyranni*
*Pectora pacamus, populoque auertimus iras*
*Immanes, vllis opus insuperabile verbis.*
*Vsque adeò magnum est diuina afflarier aura.*
*Hæc ait. & regem præeuntem ad templa secutus,*
*Primùm ambas de more manus lauit, induit ambas*
*Purpureis plantas soleis: obnubit amictu*
*Candenti caput, & latos circumtegit armos,*
*Inque crucem filo pectus super impedit acto:*
*Cui Pelusiaci talos currentis ad imos,*
*Inque sinus laxè byssi spatiantis honorem*
*Addit, & adducta cohibens premit omnia vitta.*
*Tum vero è collo tactum prius ore, labrisque*
*Demittit venerans limbum, quem sedula textrix*
*Ternarum spatiis crucium distinxerat æquis.*
*Postremò horrentem multo superinduit auro,*

Et diti Serum contextam è vellere vestem.
Mox niueum tegmen, gemino cui vertice duplex
Surgit apex, gemmisque procul radiantibus ardet,
Protinus imponit capiti, quo taenia subter
Demissa hinc, atque hinc pendet breuis. inde precatus
Æternum numen, labentem desuper auram,
Sanctam auram, communem aurã Natique, Patrisque;
Toto animo, tota fundit pia murmura mente
Cernuus, & verbis, precibusque potentibus ipsum,
Ipsum vnum presso ore Deum, cui pontus, & æther,
Cui parent elementa, vocat: venit ille vocatus
Cæleste in crustum, & donum (admirabile) Noæ.
Inde autem postquam precibus, sacrisque litatis
Casta sacerdotum series præcessit euntem,
Succedunt proceres, mox turba incondita vulgus,
Longæuique senes, nec non longo agmine matres
Omnia succensis illustrant compita flammis:
Densa diem, Solemque suum funalia vincunt.
Ille Deum, genitumque Deo, sanctamque parentem
Voce vocat, cæloque animas, mentesque receptas,
Ordine quamque suo: vocem chorus omnis eamdem
Vnà iterans implorat opem, qua labibus olim
Placatus nostris, oculos mortalibus æquos
Aduertat miseris alti regnator olympi.
Hæc postquam repetita, die sancteque, pieque
Altera, & alterius festo lux agmine vidit,
Rege salutato senior discessit Alethes,
Nobilium in primis iuuenum comitante corona.
Quaque adeunt, certis implent rumoribus vrbes,
Oppidaque Italiæ: bellum exitiale parari

+In Turcas, Arabasque feros, diuinitus actam
Aduenisse diem, pœnas cum penderet hostis
Sacrorum, ararumque Dei, cum libera collum
+Exueret Solyme, flueret iam maior Orontes,
Ac cælo grates ageret Nicæa, Tyrusque.
Daunius hæc primùm, quà panditur Appula tellus,
Audijt, & pelago quæ brachia porrigit Ancon,
Diues opum, diues pictai vestis, & auri.
Nec non & bellum Rubicon indicere suetus
Hostibus imperij, sed nunc ciuilis amator
Dissidij, & patrio qui sanguine fœdus abundet.
Quin pater Eridanus, populi quem mille fluentem
A dextra, læuaque colunt, qui dissecat arua
Insubrum, superumque rapax defertur in æquor,
Talibus impulsus monitis commouit ad arma
Ipse suos, miroque animos calefecit amore
Bellandi, atque Asiæ campos, Syriæque videndi.
Mox & Inalpini fama inflammantur eadem,
Allobrogesque olim rebus gens læta nouandis
Illa quidem, sed nunc regum studiosa suorum.
Ergo vbi iam Graias horrendi verticis Alpes,
Duraque piscosi superarunt saxa Lemani,
Quàque Araris, Rhodanusque vnà sua flumina iungũt,
Accelerant gressus; Nannetumque arua petentem,
Et cursu ingenti certantem, atque amne Garumnæ
Transmittunt Ligerim, & celebri clarissima fama
Mœnia, quæ gelidis Elauer præterfluit vndis,
Adueniunt, rigidi subeuntes ardua montis.
Huc Vaticanæ genitor qui præsidet arci,

*Terrarumque omnem moderatur legibus orbem,*
*Accierat reges, populisque æterna ferentes*
*Iura sacerdotes, quicumque ad munia Belgas*
*Sancta vocant, quicumque viam, quæ tendit ad astra,*
*Ostendunt medijs inter vaga flumina Celtis.*
*Huc vbi Iapygia venisse ex vrbe profectos*
*Audijt ad sese summus Pater, ilicet omnes*
*Imperat hospitio recipi, paucosque moratus*
*Inde dies, dum se longo recreare labore*
*Possent, & memori mandata reuoluere mente.*
*Mox autem rerum custodem in tecta senatum*
*Aduocat, atque vna seniorem accersit Alethem.*
*Conuenere patres, lectissima corda, suaque*
*Vnanimes clara sublimem in sede locatum*
*Pontificem densa circumsedere corona.*
*Affuit & procerum virtus, & maxima vulgi*
*Vndique conuenit vis inconsulta, procaxque.*
*Ac veluti ingenti vitiosæ ex ilicis alueo,*
*Corticibusque cauis densæ simul vndique nubes*
*Egrediuntur apum, volitantque ad florea Tempe,*
*Rura cateruatim nusquam tamen vnà petentes;*
*Sed varios vario populantes agmine saltus.*
*Haud aliter quicumque vrbem, quicumque colebant*
*Aruernorum agrum, diuersa è parte ruebant*
*In tecta, & sacri palatia celsa senatus.*
*Protinus ingenti strepitu completa remugit*
*Regia: & insueto gemuit sub pondere tellus,*
*Puluereamque altum prorupit in aera nubem,*
*Dum teritur pedibus venientum, & pressa fatiscit:*

*Quorum alios properè ingressos spatiosa recepit*
*Aula, alij sub porticibus consistere iussi*
*Vestibulum ante ipsum. creber nam rumor ad aures*
*Iamdudum acciderat cunctorum, ab Iapyge rege*
*Mitti oratores, longinquaque bella parari.*
*Ergo vbi consessu in medio data copia fandi,*
*Atque alij tacuere omnes, sic infit Alethes:*
*O Pater, ò custos populorum, ò maxime, cuius*
*Discedens terris, qui nunc tenet ardua cæli*
*Astra Deus, certæ voluit committere curæ*
*Cunctorum, quicumque aura vescuntur inani*
*Christicolæ, rituque pio assueuere, salutem:*
*Venimus extremis Daunorum à finibus vsque,*
*Emensi Italiæ campos, cæloque minantes,*
*Et glacie rigidas, niuibusque perennibus Alpes:*
*Venimus huc celeres, iussit ceu maximus armis,*
*Maximus imperio, & pietate insignis, & vni*
*Ipse libens tibi qui sese, & sua regna, suosque*
*Subijcit, & fasces vltro, sæuasque secures*
*Roberti proles magni Boemundus auitas:*
*Quas Siculi, quas Ausoniæ pars maxima, quasque*
*Illyrij, Graijque omnes venerantur, & horrent.*
*Ille dare in primis sua nos hæc oscula iussit,*
*Quæ damus, & sanctis aduoluimur vsque volentes.*
*His pedibus, coramque genu sanctißime flexo*
*Numen adoramus præsens, quo limina cæli*
*Clausa pijs aperis, & aperta nocentibus obdis*
*Certus, iterque hominum nullo reparabile nisu*
*Obstruis æternùm, sontesque ad tartara trudis*

*Impia,*

*Impia, vbi certa certam spem quisque salutis*
*Abijcit, & lento consumitur impius igni.*
*Mox si fortè aliquas generosi pectoris iras*
*Excitat exoriens Persarum in finibus hostis,*
*Dum cladem Europæ infandam, exitiumque minatur,*
*Dumque aras, & templa Dei, dum funditus imis*
*Euersurum animis veræ pietatis honores*
*Sperat, opes Asiæ latè populatus, & vrbes:*
*Hoc vno si fortè metu, quo certius vllum*
*Haud turbare potest mentes, animosque piorum,*
*Sancte pater (ceu fama refert vulgata) moueris,*
*Ipse opibus regni, quascumque habet, ipse vetustæ*
*Militiæ cunctis se viribus adiuturum*
*Conatus, nullasque vices bellique, domique*
*Vitaturum vnquam spondet; modò iusta parentur*
*Arma, quibus Turcarum acies, Arabumque rebelles*
*Perdomitæ nostris cedant legionibus agros,*
*Oppidaque, & populos, quorum ceruicibus hæret*
*Turpe iugum, pater, an potius miserabile dicam?*
*Dicam vtrumque equidem, nec dicto ludar inani.*
*Ecquis enim nescit nostrorum crimine patrum*
*Creuisse, & partis Latium spoliasse trophæis?*
*Dum se desidiæ dedunt, dum corpora bello*
*Fortia desuescunt, dum se somnoque, ciboque*
*Eneruant, odijsque animos ciuilibus implent:*
*Sic strauere viam, quà nostra inuaderet audax*
*Hostis, & Ægæas sese penetraret in oras,*
*Et campis Asiæ, & Libyæ poteretur opimis.*
*Ac nunc ille quidem Solymæ (pro dedecus ingens)*

*Regnat ouans, Christoque Deo multo ante sacratas*
*Funditus euertens (quæ quis tristissima fando.*
*Temperet à lachrymis?) tolli iubet impius aras;*
*Proque aris templisque suis stabula alta reponit*
*Dirus equis, nostro quos sanguine pascat, alatque:*
*Fretus vt ijs miseras misero premat vndique gentes*
*Seruitio, & dura iam compede vinciat orbem*
*Terrarum, ac media dominum se sistat in vrbe,*
*Pressurus mox colla iugo tibi Galle, tibique*
*Germane armipotens, tibi dulcia pignora natos*
*Ablaturus, vt in mores, ritusque nefandos*
*Conijciat, castasque nurus, tenerasque puellas*
*E gremio matrum raptas ad stupra reseruet.*
*Et, quos ad laudem & decora alta Britannia, quosque*
*Ausonia, & felix ad spem virtutis auitæ*
*Europa extulerat mater, nec ad vlla crearat*
*Seruitia, & labes, ignominiosaque vitæ*
*Dedecora, ingenuos ollis abolentia flatus,*
*Et quicquid virtutis habent à stirpe relictum,*
*Ad sese abductos (heu dira opprobria) cogat*
*Iungere semiuiros obscœna, incestaque lecti*
*Fœdera, vel Caribus lixis inhonesta, Syrisque:*
*Membraque præduris sectos persæpe flagellis,*
*Aut foribus vigiles astare ad limen, herilisque*
*Obseruare oculi nutus, & verba potentis;*
*Aut ancillarum conclusos molibus altis*
*Custodire greges, quibus improbus ille tyrannus,*
*Ille Dei, nostrùmque hostis teterrimus omnium*
*Præficit exectos ad munia fœda ministros.*

Et tamen haud magnum fuerit vicisse superbos,
Elatosque animis populos, vbi vincere sueta
Assuetas vinci nulla formidine gentes,
Illa olim redeat nostra in præcordia virtus.
Namque Itali si fortè duces, acresque Britanni,
Et Galli coeant vnà socia arma ferentes,
Seque adeò in priuas acies, priuosque maniplos
Singillatim omnes populi secernere pergant,
Abdaridas quoties in pugnam, atque arma vocarint,
Præstabunt numero; quamuis certamine in ipso
Priuæ acies priuos adeant peditesque, equitesque.
Ergo age sancte Pater, quoniam, quod poscere votis
Tota videbatur iampridem Europa, quierunt
Mota odijs inter populos ciuilibus arma,
Et se cessurum fratri Boemundus auitis
Finibus imperij spondet, regnisque paternis,
Scilicet & circum florenti milite septum
Aggressurum armis Asiæ, si iusseris, oras:
Vel quemcumque pio statues præponere bello,
Illius auspicijs in prælia semper iturum:
Aggredere ingenti dignum pietate, quod vlla
Non abolere dies, memorique euellere mente
Possit opus; non vlla animis delere vetustas:
Vel si se toto permisceat æquore tellus,
Et rapidis summus conflagret ab ignibus æther,
Absumens æui monimenta æterna prioris:
Aggredere ò pater, atque Asiæ miserere, tuum quæ
Auxilium implorans, ad te, post funera mille,
Mille hominum cædes, & versas funditus arces

Con-

Confugit, & supplex oculis te respicit vnum;
Vnum orat Solymæ plebes miseranda, quòd hosti
Seruiat Abdaridæ, quòd iniqua facere iussa
Cogatur: sed quæ nil ferre aduersius vmquam
Posse putet, quàm quòd dominis seruire profanis
Illam vrbem videat, cuius nulla orbita, nulla
Sint loca, quæ CHRISTVS pedibus nõ presserit, & quæ
Non habeant nostræ vestigia fixa salutis.
Hæc Boemundus: & hæc Syriis qui nuper ab oris
Nuntiat adueniens grauia & miseranda relatu
Cuncta quidem, sed longè ipso teterrima visu:
Ac se præsentem præsens vnum omnia sæpe
Perpessum, & flagris cæsum seruilibus artus
Testatur, dum sancta pius loca visit: & aræ
Adsistens humilis diuinum numen adorat,
Hic vester, vestra in patria iam natus, & altus,
Ciuis, & à puero sanctæ vetus incola eremi.
Hæc postquam fari desit grandæuus Alethes,
Cunctorum assensus procerum, vulgiq; secutum est
Murmur, vt Alpinis cum flabra increscere syluis
Incipiunt, pulsumq; aura nemus omne remugit.
Vtq; etiam Zephyrus tumidum cum verberat æquor,
Exagitatq; ruens fluctus stridentibus alis,
Scinduntur spumæ: & scopuli sparguntur acuti.
Atque aliquis prope se stantes affatus amicos:
O vtinam vera vt nobis oracula fudit
Iste senex, ita Pontifici videantur: & omnis
Protinus Abdaridas Europa armetur in hostes.
Hæc ille. ast alter: Subeat modò pectora talis

 Cura

Cura patrum, me me in partem misisse pericli,
Communiq́ue operam iuuet impendisse labori.
Sustulit inde oculos summus pater; altaque rursus
Maiestate manus seruare silentia iussit:
Oraq́ue propexa ad pectus canentia barba,
Et multis longæ rugis inarata senectæ
Vertit ad affusam vulgi, procerumq́ue coronam;
Atque hæc sedata mæstus sic voce locutus:
Non his, ò procerum lectissima pectora, quæ nunc
Audistis, resonant primis conquestibus aures
Nunc primùm: fletus quoniam lachrymasq́ue dederunt
Sæpe aliàs oculi, & luctu mens victa resedit
Ipsa suo, dum mæsta nihil superesse videret,
Auxilium vnde aliquod miseris afferret, opemq́ue:
Tanta olim populos discordia, tantus vbique
Seditionis amor reges in bella vocarat:
Quorum armis, quorum in primis virtute decebat
Defendi imperij fines: procul vndique pelli
Abdaridas: Solymæ ius libertatis ademptum
Restitui: soluiq́ue metu surgentis ab ortu
Scilicet, inque caput nostrum sine more ruentis
Turbinis, horrifica postquam cecidere ruina
Omnia, quæ medij disterminat vnda profundi,
Oppida, & Europa longè discludit ab alta.
Sic tibi, summe Deus, scelerum certissime vindex,
Cunctorumq́ue operum iudex æquissime, visum.
Nunc autem quoniam, quod nec conatibus vnquam,
Nec votis cessit vostris, quod oportuit, vllis,
Vnanimes vincit felix concordia fratres,

Ausonijs

Ausonijs quorum latè dominatus in oris,
Gratia magna tibi regum Deus armipotentum,
Mentibus infundis cæcis qui lumen, agisque,
Et cohibes, quandoque libet, populosque, ducesque.
Magna quidem sese rerum, atque inopina facultas
Offert, ò dubij fidissima robora belli;
O gens armorum studijs exercita Galli;
Qua cupidè arrepta, quis non intelligit vnis
Cessurum tanti decus indelebile facti:
Cum præsens Gallos, cum sera fatebitur ætas
Eiecisse Asia è media, corda impia, Turcas:
Cumque vrbs sancta Dei Solyme, cum diues Idume
Iuris facta sui dicet, se fortibus ausis
Deberi vestris vestra virtute redemptam?
Gallorum proaui dextris victricibus vsi,
Et nullum memores animis præstantibus vsquam
Posse iter occludi, quamquam insuperabile, quamquam
Rupibus obseptum vastis, atque vndique tutum
Defensore suo; tamen hi magnamque, bonamque
Italiæ partem quondam tenuere, colonis
Eiectis, qui tunc illic habuere; marisque
Ionij superum permensi classibus æquor,
Substructam Delphis mendacis Apollinis ædem,
Ædem auro, & gemmis nitidam, sectoque elephanto
Conspicuam, & positis opulenta sacraria donis,
Vertère in prædam: & populos vno agmine adorti
In media potuere Asia componere sedes,
Indereque æternum victis de nomine nomen.
Et quota Gallorum pars tum fuit illa iuuentus?
 Nec

*Nec numero certè vobiscum æquanda, nec armis:*
*Nec pariter belli dubijs exercita rebus,*
*Sed vaga, & imperijs ductorum incommoda pubes.*
*Adde quòd auspicijs falsorum impulsa Deorum,*
*Finibus egressa è patrijs aliena subegit*
*Regna tamen, domuitque viros feritate tremendos.*
*Vos, quibus ante alias summa est præstantia gentes,*
*Siue animos, siue egregias spectabimus artes*
*Militiæ, & firmas robusto in corpore vires;*
*Vos, victor quibus ipse Deus, Deus ipse præibit*
*CHRISTVS ouans, circumque atra formidine cinctus*
*Fulguraque, & rapidas vibrabit ab æthere flammas*
*Hostilem in turmam, inque acies, inimicaque castra;*
*Vos cultu gens vna pio gratissima cœlo,*
*Natam in seruitium gentem, atque infensa Tonanti*
*Mancipia, è Scythicis nuper digressa cauernis,*
*Non modò regna metu vestra vt soluatis ab atro*
*Omnibus instantis tam dira à gente periclis;*
*Vestra sed vt virtus miseranda ergastula frangat*
*Christicolis Asiæ, Libyæque patentis alumnis;*
*Inuasisse pio dubitabitis impia bello?*
*At non ille tuus semper memorabilis heros,*
*Ille tuus quondam, fortißima Gallia, ductor*
*Martellus, numero quamuis, & viribus impar,*
*Abdemarum Libyæ victorem in regna ruentem*
*Vestra, & Aquitani latè fœcunda tenentem*
*Arua soli, & circùm magnis legionibus auctum,*
*Occurrens medijs dubitauit sistere campis,*
*Celtarumque aditu populos prohibere rebelles.*

Ille

*Ille igitur multo tepefecit sanguine campos,*
*Atque cadaueribus Ligerim compleuit inultis:*
*Et terram innumeris cæsorum intexit aceruis,*
*Nullus vt ad diros remearit nuntius Afros*
*Excidio ex tanto: sola res dedita fama*
*Abdaridum, qui longè aberant, tum perculit aures.*
*Nec nos decipiat, nostris quòd longius absunt*
*Finibus, & cædes alio miscentur in orbe:*
*Præstò aderunt, ferroque omnes, atque ære corusci,*
*Vlturi strages, quas accepere suorum.*
*Omnis enim iratis facilis via. quicquid & illic*
*Nunc perit, Europæ toti perit. impia si non*
*Gens extincta cadat, pia gens cadat omnis oportet.*
*Namque vt nulla lupis pax est, & mitibus agnis:*
*Sic & amicitiæ ratio, sic iusque, fidesque*
*Nulla potest inter natos Erebique, Deique*
*Esse vmquam: vigeant atris infecta necesse est*
*Corda odijs. quamquam interdum concordia discors*
*Distinet assultus illorum, & comprimit iras,*
*Donec ad insidias rursus, cædemque refecti*
*Fallaces animos, periuraque fœdera vertant.*
*Ergo agite, ò iuuenes, tantorum sanguis auorum,*
*Certa ducum soboles, rerum spes vna labantum,*
*Hoc vos tam iustum vobis deposcite bellum.*
*Ite, aperite viam ferro: vos fortia fortes*
*Facta decent; ignaua alijs sint otia cordi,*
*Quorum præclaræ tangit præcordia laudis*
*Nullus amor, nullo ad magnas spes suscitat æstu*
*Gloria, nulla domi maiorum inflammat imago.*

Ipse sua vos voce vacat Deus: ipse parauit
Iamdudum vobis Asiam victoribus omnem,
Quam mox imperio deuinctam, & lege regatis.
Quamquam aliter si tota cadat res (omen abesto
Triste procul, potiusque Arabas se vertat in hostes)
Expectare tamen cœlestia præmia vestri
Conatus, vestrum cui non optabile? cui non
Et turpe, & miserum rediture parcere vitæ?
Nec spatium angustum breuis, & mutabilis horæ,
Æternæ, ac certæ præponere velle iuuentæ,
Et circumscripto nullis à finibus æuo?
 Vix ea fatus erat, procerum cum cœtus ouantem
Sustulit exultans clamorem ad sidera, qualem
Nubibus abruptis dare sæpe tonitrua suerunt,
Poscentes bellum, seque in diuturna vetantes
Tempora perplexis differri ambagibus, idque
Vnum omnes ore exclamant, vnum ore frequentant:
 Vult Deus hoc fieri bellum, iubet arma moueri
Hæc Deus; & specubus resonans respondet ab imis
Vox eadem: quin ipsæ etiam cecidere volantes
Tecta domosque super sublimi ex aere lapsæ.
 Non secus ac Boreæ cum iam frigentibus auris
Impulit autumnus steriles à vertice syluas;
Arentes labuntur humi, ramosque relinquunt
Aerios, passimque fluunt ex arbore frondes:
Aut cum maturas decussit ab ilice glandes
Horridus, ac suibus dat pabula læta subulcus.
Intremuere Alpes fluuiusque exterritus vnda
Substitit: atque amnem Ligeris, cursumque repressit

Ilicet,

*Ilicet, & Rhodanum Volcæ stupuere morantem,*
*Et sese extremo reuocantem ab littore Rhenum.*
*Jamque adeò clamor cùm consedisset, & omnis*
*Conuentus procerum, vulgusque, & turba sileret,*
*Percussus subito sanctus Pater omine mentem:*
*Extudit hanc vocem vestro Deus (inquit) ab ore,*
*Extudit ò proceres, crebroque iterauit eamdem*
*Jlle Deus, qui se vobis comitemque, ducemque*
*Exhibet, atque animos stimulis accendit acutis.*
*Subijcit ille faces, quibus inflammatus ad arma*
*Tam pia sollicita pertentet pectora cura*
*Quisque sua, reddatque parem se fortibus ausis.*
*Vos igitur posthac, quoties in bella, necesque*
*Ventum erit, afflati quam nunc quasi numine vocem*
*Pectore fudistis, memores repetatis, & vna*
*Illa eat incœpto ceu cognita tessera bello.*
*At tu, clare senex, cuius gratissima nostris*
*Mandata inuicti regis vox auribus affert,*
*In patriam cum te referes, refer ordine quicquid*
*Egimus, atque illi grates age nomine nostro*
*Ingentes: hortare tenax persistat, idemque*
*Vrgeat incœptum cunctis memorabile seclis;*
*Seque suæ egregios causa pietatis honores*
*Speret adepturum capta admirabilis vrbe.*
*Nunc autem tanto tantorum ex agmine patrum*
*Ecquis erit, nostro qui nomine primus amicas*
*Consectari acies poscat sibi? & addere sese*
*Audeat, his animo nusquam, nec viribus impar?*
*Vix hæc fatus erat, gemini cum sede relicta*

*Surre-*

*Surrexere viri, latum quos tonsus in orbem*
*Sacrati capitis vertex, quos linea vestis*
*Circumiens humeros operit candore niuali:*
*Hi sibi commissos fidei, curæque perenni*
*Insigni populos animi probitate regebant,*
*Rite ministerio sacrorum, & munere functi*
*Pontificis, cunctos ceu pignora cara fouebant,*
*Addemarus Biturix, & Narbonensis Hilelmus:*
*Ambo ætate pares, pariterque ad iussa parati,*
*Cœptaque ad optatum cupidi perducere finem;*
*Ambo alacres vitam, præsens si postulet vsus,*
*Fundere, & à claris ambo maioribus ortis*
*Sed qui diuitias, & nobilitatis honores*
*Promeritis hominum longè postponere suessent:*
*Vna vtrisque eadem virtus, pietasque ferebat*
*Ingentes animos, famamque, & amabile nomen:*
*Illi inter Celtas, & proxima rura Cadurcis;*
*Huic inter populos, Isaræ qui fluminis vndam*
*Suscepturam aliud celebri mox nomen ab amne,*
*Quique tuos sparsis incerta Druentia ripis,*
*Dũ Rhodanũ ingrederis, tumidumq; excurris in æquor,*
*Epotant latices, atque arua feracia versant.*
*Surrexere igitur quamprimùm è sedibus ambo,*
*Atque humiles adiere Patrem: tum poplite flexo*
*Ad terram, pedibus dederunt sancta oscula sanctis:*
*Post autem Addemarus supplex sic voce profatus:*
*Haud equidem, tanto quòd nos dignemur honore,*
*Sancte pater, viresve pares satis esse putemus*
*Tanto oneri; & tantæ nostros supponere moli*

*In-*

Insuetos humeros, vltro nos, nostraque primi
Christicolùm audemus communi offerre saluti.
Sed quoniam iniussi mandatum linquere munus
Esse nefas scimus, ne, cum custodia longè
Acris abest, pleno lupus insidietur ouili,
Atque animas ouium raptarum in tartara secum
Ducat ouans, ideo nosmet modò sistimus ipsi
Sanctos ante pedes, soluique à lege rogamus.
Ibimus vnanimes quò tu, Sanctissime, cumque
Iusseris, & ducibus parebimus vsque volentes:
Ibimus, atque armis, opibusque, & sanguine nostro
Priuati socios, & tanta iuuabimus orsa.
Nec nos militiæ nobis deposcimus vllum
Munus, & in nostros ius exercere tribules.
Vnum illud concede Pater, capiamus vt arma,
Inque hostem aduersum seruata lege ruamus.
Hoc sat erit. præeant alij, nos castra sequemur;
Et primi ante acies, pugnam cum miles inibit,
Corpora, quæcumque hæc fuerint, sistemus vterque;
Morte obita vt nostris animos addamus, humumque
Sanguine perfusam CHRISTO sacrasse feramur.
Hæc pius Addemarus: nec multùm deinde moratus
Pauca quidem, sed plena Deo, subiecit Hilelmus.
Quidquid erit, seu vita mihi comitabitur vsque,
Siue illam in medijs continget ponere campis,
Cuncta animo stat ferre alacri. tu pectoris huius,
Sancte Pater, maculas, quoniam potes, elue cunctas.
Dixerat: ille autem lachrymantia lumina cælo
Sustulit, & duplices palmas cum voce tetendit.

CHRISTE Deus, qui corda hominum succendis, & vris
Igne nouo, miroque nouæ pietatis amore,
Ardorem hunc animis reliquorum immitte, tuosque
Da, Pater omnipotens, lætos ex hoste triumphos
Ducere, & in patriam victricia signa referre.
Vos autem illustres animæ, vos ite, vicemque
Vos explete meam: dictis & pondus inesto,
Seu bona, siue etiam dira, atque infanda precentur
In meritos, iubeantque aris procul esse profanos
Christicolùm, & sontes communi absistere cœtu:
Ius tamen Addemarus legati, & nomen hebeto,
In partemque oneris tanti succedat Hilelmus,
Tempus vbi, & rerum præsens sic exigat vsus.
Hæc Pater. ast illi suscepto munere læti
Discessere ambo, solitaque in sede quierunt.
His actis animum diuina impulsus ab aura
Ante alios, florensque annis iuuenilibus Hugon,
Hugon syluarum latebras consuetus iniquas
Quærere, & informes vrsos prosternere, aprosque:
Regia progenies; sed qui nec bella, nec hostes
Nosset adhuc, laudisque auidus tamen vnius esset,
Et nota virtute duces complexus amaret:
Eximit è numero sese tum primus, & vltro
Pontificis præsto parentem hortatibus offert.
Ad quem tum senior Pater est his vocibus vsus:
Macte noua virtute, nouum sic fortibus ausis
Ad superos aperitur iter. te nobile quondam,
Æternumque decus memori clarabit in æuos
Grataque te solum reliquis tribuentibus omni
Heroum

Heroum è numero, qui factum illustre sequentur,
Posteritas verò Magnum cognomine dicet:
Sic volumus, sic nostra libens Deus omina firmet.
Tum verò proceres delecti accedere, & vnà
Militiæ certatim omnes dare nomina sacræ.
Quorum se longè princeps Gofredus agebat
Tullingus, cunctos humeris, & vertice toto
Exuperans, forma insignis, mediæque iuuentæ
Ora intonsa ferens, & maiestate verenda,
Iucundus populis, nec formidabilis vlli,
Militiam castè veterum de more colebat:
Quin & flagitijs dignas imponere pœnas
Suetus, inoffensas seruabat pectoris iras.
Illum olim Eustachio peperit formosa marito
Ida ducum, regumque parens: genitoribus Ida
Clara suis, ritusque pij sanctissima cultrix,
Præscia venturi vates. Ast acer in armis
Eustachius, Morinos fuerat qui maximus inter,
Et Gessoriaci rerum flectebat habenas,
Iucundo spolians ipsum se nomine patris,
Misit in imperium, Leucis quo libera solus
Iura daret, pacisque vnus, bellique gerendi
Arbiter, vt primùm liquisset auunculus auras
Ætherias. Ergo is regni moderator adepti,
Artibus & clarus pacis, sed clarior armis,
Et ducibus circùm, & præstanti milite septus,
Pontificis placida sic voce est fatus ad aures:
Summe Pater, cuius nutus, & verba iubentis
Qui vultu, qui secum animo contempserit audax,

*Ille hominum dignus qui cœtu exclusus ad hostes,*
*Vrbe, domo, patrioque solo vagus, exul, inopsque,*
*Atque exors erret vitæ communis, & expes.*
*Sed si militiæ quis detrectare laborem*
*Huius amet, pressasque iugo crudeliter vrbes,*
*Seu Libyæ, seu sint Asiæ, sanctumque Sepulchrum,*
*Noster vbi plagis iacuit confossus iniquis*
*Seruator Deus, æternæ via sola salutis,*
*Eripere è manibus Turcarum negligat; ille*
*Ille, Pater, manes diris defixus ad imos,*
*Atque ad nigrantum sedes, loca senta, meretur*
*Sentiat vt trudi vel se viuensque, vidensque.*
*Nemo igitur, nisi fallor, erit tam turpiter ortus,*
*Nemo animo tam demisso contemptus, inersque,*
*Tamque sui socors (vtero modò terra cadentem*
*Gallia materno cupidis exceperit vlnis)*
*Abneget vt solus se tantum accingere ad ausum.*
*Ipse equidem, de me quicquid promittere possum,*
*Præstò adsum, vitæ, quæcumque est, prodigus huius;*
*Atque hoc in bellum regna effusurus, opesque.*
*Hæc vbi dicta dedit Leucorum maximus heros,*
*Pauca refert Pater Vrbanus: Quas dicere grates,*
*Quasve referre parem tibi, dux fortissime? quando*
*Nil reperire queam, quod non præstantibus impar*
*Sit meritis, quæ te illustrem super æthera tollunt.*
*Ipse Deus, Deus ipse dabit, mihi crede, laborum*
*Præmia magna tibi, Solymæ cum ceperis arces,*
*Signaque submittens sancto victricia templo,*
*Feceris in media nudis vestigia plantis*

*Vrbe,*

*Vrbe, & adorandam supplex extruxeris aram.*
*Interea capiti tegmen, cui fausta precati*
*Rite sumus verbis solemni more peractis,*
*Impositum subeat meriti diadematis instar:*
*Et lateri hic noster læuo tibi pendeat ensis,*
*Qui fuget hostiles subito terrore phalanges.*
*Hæc memorans, læta lætus dedit oscula fronti,*
*Et stimulis auctum magni dimisit amoris.*
*Huic se, Tectosagas inter qui maximus ibat*
*Imperio, adiunxit comitem; cui viuida bello*
*Dextera, consilijsque habitus fidissimus auctor:*
*Omnia maturè properabat, & omnia certum*
*Ad finem voti compos perducere suerat,*
*Quæ peragenda forent: quando nec doctior alter,*
*Seu librare metum, stimulos siue acribus acres*
*Addere, & armatas acies, atque agmina certis*
*Instruere ordinibus, nec quisquam impellere turmas*
*Promptior in cædes, inimicaque castra, manusque*
*Conserere, & pugnæ loca commoda nosse futuræ;*
*Seu valles, colles ve humiles, campi ve iacentes*
*Instent, seu saltus surgentis in ardua montis.*
*Illi Atacem quicumque amnem, quicumque rapaces*
*Illiberimque, Obrimque bibunt, quicumque palustres*
*Agrorum tractus habitant, vbi sæpe latentes*
*Fuscina, dum limo innocui vescuntur, & vnda,*
*Perfossa defigit humo (mirabile) pisces.*
*Illi etiam munitæ arces, quas Cemmenus alto*
*Vertice habet, bellis gens assuetissima, parent;*
*Parent & celebris cultissima rura Tolosæ,*

*Quam*

Quam gelidus pulchro præterfluit amne Garumna.
Huic galeam cono insignem, cristisque comantem
Dat Pater, & pectus thorace inducit aheno;
Verbaque pauca viro non rerum improuidus addit:
I, bone quò virtus tua te vocat, i, pede fausto;
Vtque soles, patriam factis decorare memento.
Inde animis, opibusque ingens, & prouidus astu
Ingenij, manibus promptus, facundus & ore
Insequitur Stephanus nulli virtute secundus;
Si sit opus tacitas hosti componere fraudes,
Occultosve dolos celeri præuertere cursu,
Instantemque fuga socijs auertere cladem.
Carnutum pubes, Senonumque effrena iuuentus,
Læta virum mediæ versantem in limine vitæ
Insequitur, quando consueta facessere tanti
Iussa ducis, permulta manu certamina belli
Contulit; atque omnis prorsus discriminis expers
Sæpe domum vacuo rediit tutissima campo.
Illum igitur Pater Vrbanus donauit euntem
Insigni clypeo, duplex cui circuit oras
Vndique, & in sese rediens subit æreus orbis,
Quaque superficies latè patet, euomit vmbo
Inducto ex adamante ignes, monstratque natantem
Delphinum, medio qui captet in æquore prædas,
Retibus inclusas prædas, inclusus & ipse;
E quibus vt primùm libuit se carcere rupto
Liberet, & tutas referat se tutus in vndas:
Atque his ornatum verbis discedere iussit.
Quas artes olim belloque, & pace decoras,

Dux

*Dux animo pariter, dextraque inuicte potenti,*
*Exercere soles, tecum sint vsque; nec vlla*
*Immemorem capiant sociorum obliuia. sed te*
*Excitet, & virtus dubijs in rebus, & acre*
*Consilium, quæ iuncta vnà tuta omnia reddant.*
*Post autem venere duces, duo fulmina belli*
*Roberti; non illi, ijsdem qui patribus orti,*
*Sed genus, & proauos diuersa à stirpe trahentes,*
*Non secus ac gemini fratres sese inter amarent;*
*Inque hostem pariter ruerent, gressumque referrent.*
*Idem vtrique animus, cædisque insana cupido.*
*Alter ab Iceno natus patre; regia cuius*
*Sponte sua extremi faciebant iussa Britanni,*
*Et Thule, & rigido glacialis Hybernia cælo,*
*Oceano disiuncta procul: tamen ipse Caletum*
*Littora seruabat custos, populosque regebat*
*Assuetos gladio pugnam committere, & arcu.*
*Alter Rholonis proles fortissima Cimbri,*
*Imperio qui Lexouios frenaret, & armis,*
*Aulercosque, & Nannetes: cui protinus vni*
*Pareret gens, Oceanum quæ spectat, & Arctons.*
*Gens assueta leues in gyrum flectere habenas*
*Assultantis equi, & celerem conuertere cursum,*
*Inque hunc, inque illum tela intorquere, facesque.*
*Latum illi pectus, impexaque barba, genæque*
*Horrentes, rigidis adopertaque brachia setis:*
*Cædem oculis, cædem vultu, cædem ore minatur.*
*Rebus in aduersis ad agendum pronus, & audax,*
*Verborum longè parcissimus: vnus auorum*
Qui

*Qui facta egregijs æquare ingentia factis*
*Vellet, & in longum virtute extendere famam*
*Ipse suam; seros olim quæ clara nepotes,*
*Ex se quod prodit, verum decus esse moneret.*
*Quin etiam, si quando hostes in terga, fugamque*
*Verterat, atque acri premeret vestigia planta,*
*Æquabat celeri Borealia flamina cursu,*
*Vsque adeò pedibus velox, & corpore pernix.*
*Ergo vtrique suam nodis, atque ære rigentem*
*Donat habere viris clauam, geminasque bipennes*
*Vrbanus; placidoque hæc insuper addidit ore;*
*His olim Carolus Libycos est vsus in hostes;*
*Illius his etiam in pugnam comes irruit Eudon;*
*Quos animi virtus ingens, quos dextra, fidesque*
*Spectata egregij vinclo sociarat amoris:*
*Accipite ergo hilares, & spes hinc discite vestras.*
*At postquam cessere retro, vacuique patebant*
*Vnicuique aditus, dubius similisque timenti*
*Aduenit ora ferens casto suffusa rubore*
*Arpinus Biturix, quo non formosior alter,*
*Nec iuuenum quisquam robustior: ille palæstram*
*Exercere agilem, longeque ad sidera discum*
*Mittere, & aerias vectem vibrare per auras:*
*Quin etiam armatus sublimem ascendere saltu*
*Suerat equum, versoque super dare corpore gyros*
*Aerios, seque ipsum alta componere sella:*
*Rursus & in terram tergo reuolutus ab alto*
*Defluere, atque leui vestigia figere planta.*
*Has ergo effudit generoso è pectore voces:*

Non me quòd ducibus credam, Sanctissime, tantis
Æquandum, & primi dignum cui dentur honores;
His ego nec factis, nec par ætate, nec vsu
Rerum vllo experiens, magnis heroibus addam:
Verùm vt militiæ duros perferre labores
Incipiam, atque artes bellorum his nosse magistris,
Quicquid ero, tibi semper ero bellique domique.
Nam me nullus amor patriæ, me nulla parentum,
Quos ego composui dudum tellure sub ima,
Cura subit, dubium cœptis quæ auertat ab altis.
Prædia nec mea me mutare, vrbemque pigebit,
Quam mihi decedens pater ipse reliquerat, auro;
Tu modò virtuti, si qua hoc in pectore virtus
Esse potest, lætus linguaque, animoque faueto.
Dixerat. at contra senior sic ore locutus:
O præstans animo iuuenis, præstantior actis
Euasure tuis, non te virtutis egentem,
Seu sit Arabs, seu Persa fugax, seu Turca, videbit.
Interea, nobis quem mater Iberia misit
Sithonia conceptum aura, Zephyroque tepenti,
Portet equus, pugna qui multum exercitus acri
Irruit in medias acies, equitumque cateruas
Aggrediens, rediit spoliis indutus opimis.
Hæc Pater: & stabulis promissum munus ab altis
Imperat educi. circùm ille hinnitibus auras
Personat, & crebris cauat ictibus vngula terram,
Et frenos mandens spumas agit ore niuales.
Nunc parere manu doctus decurrit in orbes
Multiplices, seu dextra vocet, seu læua ruentem:

Nunc etiam stabili firmans vestigia gressu,
Non secus ac scopulus, media consistit in acta,
Interdumque, vagæ quoties laxantur habenæ
In spatium, rapidus rapidos præteruolat Euros.
Mox ingens, abiegna, grauis superadditur hasta,
Quam gelidæ summis in verticibus Pyrenes
Expositam Boreæ millesima viderat æstas.
Hæc, inquit, Capeti numquam frustrata vocatus,
Cum res Gallorum primus sibi vindicat armis,
Et Senonas, Rhemosque iugo subiungit eodem:
Vade age, & æternum factis fer ad æthera nomen.
Sustulit inde sacræ decus inuiolabile dextræ,
Inque crucis speciem circumtulit. ilicet omnes,
Deletis animo maculis iuuenesque, senesque
Discessere illinc, seque ad sua tecta tulerunt;
Inque vicem crebris acuunt hortatibus iras:
Totaque concepta flagrant præcordia flamma.
Omnibus idem animus crudelem excindere gentem,
Vlcisci scelera, & Solymos exoluere duro
Seruitio, populisque piis afferre salutem.
Gallorum extemplo cunctas it fama per vrbes,
Decretum in Turcas bellum: passim arma parari:
Certos esse duces, quorum inuictissima virtus
Excierit forteis tanta ad certamina Gallos.
Nec minus Italiæ postquam peruasit ad oras
Nuntius, atque auidas lætis rumoribus aures
Compleuit populis, quos fida Britannia, quosque
Diues opum, & præstans animis Germania nutrit,
Certatim expediunt, & se belloque, viæque

*Iniussi accingunt. hic neruum explorat, & arcum,*
*Hic ocreas multo circum squallore, situque*
*Perpolit obductas, galeamque ex ære nitentem*
*Induit, atque humeris loricam obtendit; aduncæque*
*In gladios abeunt falces, abit omnis in enses*
*Vomis, & alterni reuomunt sua flamina folles,*
*Dum passim innumeræ positis incudibus vrbes*
*Tela nouant. sæuasque acuunt mucrone sagittas,*
*Atque hastis, iaculisque addunt inamabile ferrum.*
*Et spes quisque suas accendere promptus, & acer*
*Castigare moras. socios hortatur, & vrget.*
*Quæ nos desidies, quæ mollis inertia lentos*
*Detinet, atque Asia iamdudum auertit opima?*
*Sunt vestes. sunt arma illic, sunt plurima equorum*
*Armenta, & nusquam argenti vis maior, & auri.*
*Hæc illi, quos Belga pater collegit in vnum,*
*Belga Deo gratus, sed longè audacior æquo,*
*Quemque animi, non certa ducis præstantia raptim*
*Duceret, inque acres cupientem impelleret hostes.*
*Ille igitur festinus iter dum præcipit, & se*
*Primus agit, vulgò accurrunt, exercitus ingens*
*Augetur magis, atque magis: quascumque per oras*
*Fert gressum, innumeris viduat cultoribus agros;*
*Inclyta quos eadem raptabat in arma voluntas.*
*Parte alia misti populis comitantibus ibant*
*Heroes, supraque omnes capita alta ferebant*
*Illustres, veluti sparsa inter nubila quondam*
*Cælestes splendent radijs fulgentibus ignes;*
*Maiores ignes, primaque in nocte micantes.*

 *Quos*


*Quos aliquis fortè aspiciens: Quas, inquit, in oras*
*Hos iuuenum flores hodie, mea Gallia, mittis?*
*Et Ver ipsa tuum primùm nunc demis ab anno,*
*Heroum dum te tantorum robore nudas?*
*Quo sine quis fines nostros tueatur opesque?*
*Contra alius: Nescis quàm sit fœcunda virorum*
*Gallia, vel sumptis quantæ virtutis in armis.*
*Vanaque formido te decipit; & tamen istum*
*Terrorem Deus infidos auertat in Afros:*
*Gallorumque decus lætis successibus auctet.*
*Quod fore non dubijs sperat mens prouida signis.*
*Nam quis nunc tantis obsistere viribus ausit?*
*Ipsi Asiam infidi properent nisi dedere Turcæ,*
*Vndabunt subito madefacti sanguine campi,*
*Omniaque iniectis flagrabunt oppida flammis.*
*Sed tamen immensum miseris terraque marique*
*Instat iter: tranandi amnes: superandus Amanus:*
*Expugnandæ arces: bellum cum gente gerendum*
*Infesta, & numquam quæ fessa laboribus vllis,*
*Abstulit, inuicti quæcumque habuere Quirites.*
*Hæc ille, atque alij pagos, & compita circùm*
*Dum iactant, eadem secum repetuntque vicissim,*
*Ipsæ etiam inter se nuptæ, innuptæque puellæ,*
*Et fractæ longa iamdudum ætate parentes*
*Templa adeunt, reditumque suis, & læta precantur*
*Euenta, ac multis onerant altaria donis.*
*Post autem coràm aggressæ natosque, virosque,*
*Quæque suum, tristi discedere voce queruntur:*
*Nate mea, quondam spes magna, & sola senectæ,*

*Ecquis prӕterea miseram solabitur? ecquis*
*Ipse suis manibus morienti lumina claudet?*
*Tu tamen incolumis (precibus Deus annuat ӕquis)*
*Cum Solymam ingressus positas veneraberis aras,*
*Atque animo supplex sancto aduoluere Sepulchro,*
*Nate, patris (si iusta peto) matrisque memento.*
*Hӕc illa. at coniux iuuenem complexa maritum*
*Si qua tenet, medijs interserit oscula verbis,*
*Inque sinum lachrymas fundens affatur euntem.*
*Nam cur me miseram, desolatamque relinquis?*
*Cur cupidam tecum non aduehis? ipsa laborem*
*Ferre viӕ, sӕuosque ӕstus, & frigora possum.*
*Nil graue, quod tecum patiar, mihi cesserit vmquam;*
*Sim modo iuncta comes lateri; sim debita lecti*
*Pars, & cura tui: te sarcina fida leuabo:*
*Te sequar, & pro te sӕuis mea pectora telis*
*Opponam, quoties inimica in castra fereris.*
*At proceres, iamdudum armis, rebusque paratis*
*Quisque suis, postquam sacris de more litarunt,*
*Vnanimes mouere loco fulgentia signis*
*Agmina, & instructas ad sancta incœpta cohortes.*

# PETRI ANGELII BARGAEI



# SYRIADOS LIBER III.



*FAMA per Hesperias cum primùm diditur vrbes,*
*Finibus è patrijs facto simul agmine Gallos*
*Exire vnanimes, dulcesque relinquere sedes:*
*Ausoniæ passim populi, gentesque Sicanæ*
*Coniurant: stimulisque acuunt haud mollibus iras:*
*Nec iam ferre queunt Italos tam fortibus ausis*
*Dissimiles pigro nimium torpere veterno;*
*Nec celeri ad laudem cursu præuertere quemquam,*
*Oblitos decoris patrij, & virtutis auitæ.*

*Conue-*

Conuenere igitur, quorum haud auersa voluntas
Bellandi, atque alio vitam sub Sole trahendi.
Protinus innumero completur milite tellus
Appula. non illos piscosi compita Bari,
Non pagi ingentes capiunt, non oppida quondam
Nominibus celebrata suis, notissima fama:
Netion, & Latij bustum lachrymabile Cannæ.
Non Cilicis fœcunda croci, fœcunda ferarum
Venatrix Celia, & Canusi spatiosa vetusti
Mœnia, quæ rapida præterfluit Aufidus vnda:
Non, quæ ductorem Libycum florentis amore
Virginis vrbs potuit victum mollire, sed omnes
Impediuntur agri: præsens vt cuique facultas
Se dabat hospitijs; & vbique incondita pubes
Pernoctat, pedibusque terit conferta viarum
Strata, nec hyberni terretur frigore cœli.
Quam iussi monitu postquam præconis in vnum
Conuenisse locum vidit rex Daunius, & se
Altius extructa sublimem in sede locauit,
Alloquitur mittens generoso è pectore vocem.
Non equidem, ò Italùm flos, ò delecta iuuentus
Ausoniæ, veterum sanguis rediuiue parentum,
Quorum olim virtus gentes inuicta subegit
Quascumque Oceanus refluis complectitur vndis,
Et Sol è medio circumspicit aureus orbe,
Vt vos ad tanti præsens decus horter honoris,
Grandiaque ingentis succendam ad præmia cœpti,
Nunc primùm affari institui; sed vt omnibus vnà
Lætitijs aucti Diuùmque, hominumque parenti

Suppli-

*Suppliciter grates (nam res ita poscit) agamus:*
*Sublatis quòd regum odijs radicitus omnis*
*Europa in nostri coniuret nominis hostes.*
*Ipsaque, quæ quondam miserè conuerterat in se,*
*Abdaridis tandem decreuerit arma tyrannis*
*Inferre, & Solymæ sacrata ad mœnia tutum*
*Reddere iter, colloque piæ iuga demere gentis,*
*Serua Palæstini quæ nunc Iordanis ad vndam*
*Flens sedet, atque aditu longè prohibetur ad ædem*
*Seruantem sancti monimentum insigne Sepulchri:*
*Hic vbi Rex terræ cœlique æterna potestas,*
*Postquam illum gens dira trabi suffixit acernæ,*
*Occidit extinctus, redijtque ad lumina vitæ,*
*Morte triũphata CHRISTVS Deus. Atq; vbi grates*
*Egerimus; factumque satis cœlestibus aris*
*Iam fuerit, tum carpere iter, conscendere naues,*
*Æquoraque Ionij transmittere cærula ponti*
*Cura sit, & nostros illuc contendere cursus,*
*Quò commota suis iamdudum à sedibus omnis*
*Gallorum pubes, vnaque Britannia florens*
*Innumeris equitum turmis, peditumque maniplis*
† *Pergit, & emensa est properans Rhenumq; Mosamque,*
*Pellere certa Arabes, Solymosque extinguere reges:*
*Conatu aut tanto sola desistere morte.*
*Quod decus, ò socij, quis iam non credat emendum*
*Vel vita, quæcumque sibi peragenda supersit?*
*Ipse ego, cui tantum paret terræque, marisque,*
*Cui non argenti, non auri copia desit,*
*Quique adeò, si totam optem traducere vitam*

*Delicias inter cunctas, atque otia, possim*
*+ Secura cum pace frui, tolerare labores,*
*Et varios belli casus, cupioque, voloque*
*Ire viam primus, patriosque relinquere fines:*
*Atque omnes mecum, genitor quascumque reliquit,*
*Vestrave iam peperit virtus mihi, ferre per vndas*
*Ionias, mediosque hostes, quas partiar in vos*
*Largus opes, superetque nihil, quod commodius vltro,*
*Quo res cumque cadent, vnum & commune mihique,*
*Et vobis haud esse velim. Non nunc ego primùm*
*O socij, vos in belli discrimina duco,*
*Externasque oras, inimicaque castra volentes.*
*Vos patris auspicijs mersistis in æquore classes*
*Euganeas, Graiosque acie fudistis adorti.*
*Tempore quo vestras, vestra est ea gloria, Thraces,*
*Altaque Byzanti trepido concussa tumultu*
*Mœnia terribiles iras timuere, manusque.*
*Vos ijdem me sæpe aliàs comitemque ducemque*
*In pugnas, acresque hostes, flammasque secuti,*
*Prostrauistis humi turres, cæpistis & arces,*
*Ducentes victo claros ex hoste triumphos.*
*Nec prædæ quisquam immunis discessit, & expers,*
*Me præter: quem nemo vmquam tamen abneget vllas*
*Sustinuisse vices, durosve obijsse labores,*
*Vobiscumque sitim pariter tolerasse, famemque,*
*Horrida sub dio perpessum frigora, & æstus.*
*Quamquam regna manent illic opulenta, nec vsquam*
*Et vis maior opum, & multarum copia rerum*
*Argenti cumulos plures promittit, & auri:*

 *Quærere*

*Quærere quos nobis solita virtute queamus.*
*Atque hæc ipsa à me minimè memorata puteris,*
*Quòd dubitem vestros ne animos inflammet ad arma*
*Gloria bellandi magis, an vesanus habendi*
*Cogat amor. neque enim Ausoniam fas credere pubem*
*Et decus, & laudem diti postponere prædæ.*
*Non ita nos proaui quondam docuere, patresque*
*Assueti duro longinqua lacessere bello*
*Imperia, & certas victis imponere leges;*
*Vt famam, nomenque sibi immortale pararent.*
*Quod vos facturos si quis tamen abneget, idem*
*Abneget Ausoniis vos esse è patribus ortos:*
*Et me Gallorum prodisse à sanguine regum,*
*Quos pietas insignis, & admiranda coegit*
*Gloria militiæ semper comes, omnia vitæ*
*Commoda iucundæ penitus contemnere, & vnam*
*Se spectare animis, & nobile sumere bellum;*
*Quo neque nos maius, neque post vlla audiet ætas.*
*Talibus orantem dictis nihil addere miles*
*Passus ad hæc. Vni tibi, Rex inuicte, videndum,*
*Quid statuas: nobis certum est parere iubenti.*
*Nam neque tam longè tellus disiungitur vlla*
*Finibus à nostris, neque gens tam barbara mores*
*Exuit humanos, quò te fortissime ductor*
*Pæniteat, pigeatve sequi. sic annuat ausis*
*Ille tuis, qui stelliferum fabricatus Olympum est,*
*Et cœptum fortunet iter. nos agmine certo*
*Venimus instructi, rebusque ad cuncta paratis,*
*Militiæ iam nunc nomen cuicumque daturi,*
*Et*

*Et vitam in cunctos alacres exponere casus,*
*Ac nullas vitare vices. Sic deinde locutus*
*Et verbis ijsdem, atque assensu exercitus vno,*
*Conticuit; subitoque ingens per cuncta cucurrit*
*Ora fremor: ceu cum pluuijs furialibus aucti*
*Inter saxa ruunt amnes, & in arua feruntur*
*Præcipites, placido sueti sua lambere fluxu*
*Septa prius, tenuique vado discludere ripas.*
*At Robertiades dictis lætatus amicis*
*Subijcit: O, decora Italiæ, fortissima nostræ*
*Pectora militiæ, non his sine numine Diuûm*
*Addixisse animum cœptis reor. omnia quamquam*
*Ante alacri semper studio, quæ iussimus, ipsi*
*Præstare in primis, confectaque reddere suestis.*
*Quando igitur vestro hæc animo sententia sedit;*
*Et mecum Adriaci iuuat ire per æquoris vndas,*
*Finibus inque Asiæ bello noua quærere regna,*
*Seruitio Syriam longo, Solymamque leuantes,*
*Quod superest, curate aliquo ne crimine mentes*
*Infectos videat Vesper vos crastinus, & iam*
*Quisque sacerdoti supplex aperire paret se.*
*Vt maculas, animo si quæ insedere latentes,*
*Eluat, inque hostes Arabas pius induat arma:*
*Et pius, vt primùm puppi vocalis ab alta*
*Ære cauo signum dederit tuba, protinus actam*
*Velisque, & remis properet conscendere classem,*
*Cessuram è portu mediæ post tempora noctis,*
*A terra exoriens ventus cum pellere fluctus*
*Incipit, & puppes vrget leuis aura Fauoni.*

Ite, bonos curate animos, humilique precati
Voce Deum, quales cupere, & sperare futuros
Nos decet, euentus tantis exposcite cœptis.
Dixerat. atque illi foribus per templa reclusis
Affusi passim proprias, facta impia, noxas
Auribus exponunt castis, & ad illa paratis
Officia, & veniam culparum ex more petitam
Nacti omnes, primam cùm primùm postera lucem
Extulit, & terris Aurora affulsit apertis,
Cœlestem sumpsere dapem; gratique, piique
Inter se amplexus dulces, & amica dederunt
Oscula: postremò transacti expleta diei
Perpetuis passim mensis ieiuna cupido est.
At cum pulsa fames, largeque epulata iuuentus,
Sublatæque dapes: hi iam sermone quietos
Oblectare animos: illi contendere cursu:
Ast alij dura membra exercere palæstra:
Flectere equos: vibrare hastas: manibusque minaces
Explorare arcus: iaculisque attingere signum,
Certatimque grauis librare per aera vectis
Pondera: & ingentes saltu transmittere fossas.
 Urius interea, quo non præstantior alter
Præsagire auras, qua cœli è parte ferantur,
Quæ mare sollicitent, quibus & commota quiescant
Æquora: quæque dies portendant certa serenos
Sidera, seu pluuias terris, imbresque minentur:
Urius Æolij soboles generosa Pelori,
Puppe gubernator residens ita fatur ab alta.
 Quem votis optare licet, rex optime, ventus

En

*En vocat Ionias classem festinus in vndas.*
*Surge, age, tolle moras, naues exercitus intret*
*Omnis, vt hinc celerem quàm primùm ad saxa vadosæ*
*Illyriæ tendat cursum, subeatque sonantis*
*Ostia Drilonis, procuruaque littora Lissi:*
*Portus vbi, & tutæ miles se credat harenæ.*
*Hæc ille. & regis iussu caua buccina Dauni*
*Imperat ad littus properare, & scandere naues,*
*Et laxos implere foros. tum protinus omnes*
*Ad sua signa ruunt, & scalas agmine complent.*
*Ceu cùm longinqua terrarum à parte volantes*
*Aduenère greges auium, densaque caterua*
*Ingentes campos subter telluris inumbrant.*
*Mox medio è pastu quercusque, ornosque propinquæ*
*Certatim obsidunt syluæ: varijsque teguntur*
*Arboribus. pressi curuantur pondere rami:*
*Et nemus ingenti circumsonat omne tumultu,*
*Compositæ donec somno suadente quierunt.*
*Et iam nox medium cursu superauerat orbem,*
*Frigentesque imis flabant è vallibus auræ:*
*Vrius in summa residens cùm puppe magister*
*Dat signum, soluique iubet retinacula classi.*
*Ilicet vnà omnes portu cessere relicto.*
*Quaque adeò sublatam altè fert regia flammam*
*Puppis, & Ionium rostro secat vncta profundum,*
*Remigijs actæ tendunt. mox carbasus auras*
*Excipit, ac Zephyris implentur vela secundis,*
*Spumeaque inflexas circumstrepit vnda carinas.*
*Et iam purpureo crines infecta colore*

Au-

*Aurora exoriens noctis restinxerat ignes:*
*Cum procul aerios montes Epirus, & arduas*
*Ostendit Macedum positas in collibus arces.*
*Illæ iter incæptum peragunt, vrbemque salutant*
*Dyrrhachium; & littus sublatæ ad sidera voces*
*Dum feriunt, vastæ responsant vndique rupes.*
*Nulla tamen contra solito de more dabantur*
*Lætitiæ signa vnanimis: quæ Daunius heros*
*Miratur, causasque suo cum corde volutat:*
*Atque animum dubius nunc huc, nunc diuidit illuc.*
*Quid faciat? recto ne petat Taulantia cursu*
*Littora? an in dextras proram detorqueat vndas?*
*Hæc alternanti celeri præmissa phaselo*
*Nuntia fama refert: obsessum iter omne, nec vllum*
*Fraude carere locum: coniectum in vincula magnum*
*Vgontem, & longè Byzanti ad mœnia ductum.*
*Qui modò Brundusij multis comitantibus vrbem*
*Liquerat, & fidis nauem commiserat Euris,*
*Primus vt Emathiam, Thracenque emensus adiret*
*Bosphoron Euxini fauces, & ad ostia Ponti:*
*Ipse suis opibus præsens muniret euntes*
*In bellum, & Solymæ pro libertate pacisci*
*Audentes letum, tranquillaque commoda vitæ.*
*Nuntius hæc. sed enim cursum remorata triremis*
*Constitit: & reliquas ad se vocat Appulus heros,*
*Atque ait. Haud equidem, ò socij, cum tanta viderem*
*Agmina conuenisse virûm, quos vna coegit*
*Relligio, & pietatis amor, fore rebar, vt essent*
*Vitandæ insidiæ Graiorum, artesque cauendæ,*

Ne

Ne qui forte duces vincli s, & carcere clausi
Ultrices dextras nostrorum, atque arma manerent.
Nimirum seruare fidem mens improba nescit.
Ergo vrbem hanc infandam imo stat vertere fundo,
Atque omnem ferro, flammisque extindere gentem
In nostros tantum sceleris tam turpiter ausam.
Hæc dicens, vultu conceptas detegit iras:
Atque huc, atque illuc ardentia lumina voluit:
Et puppi tacitus tandem consedit in alta.
Tum Mentor, quem certa fides, expertaque bello
Dextera, & innumeris annis non victa senectus
Ante omnes gratum Regi iam fecerat vnum:
Digna quidem sceleris facies, quam vindice ferro
Vlciscamur, ait; nec, si tibi protinus vrbem
Aut capere, aut cinctam longa obsidione liceret
Vrgere, & bello ingenti vastare, fameque,
Conatus, dux magne, tuos, queis scilicet vsus
Abrumpas vincla, & captum tuearis amicum,
Damnarim. sed enim tempus nunc instat eundi,
Quò nos Pontifici nuper data dextra, fidesque
Voce vocat: quoque expectant multo ante profecti
Germani, Gallique, & fortia corda Britanni.
Vt minor hoc vno nobis stet gloria. quando
Et decus, & laudem quæuis mora turpis auenti
Quærere, & insigni frontem vincire corona.
Adde quòd Euxinum spatio propiore tenentes
Exercere iras facilè, & terrere tyrannum
Fas erit Odrysium, per vimque reposcere captos.
Nec tamen interea frater certissimus vltor

Non

*Non aderit; multo repetat qui sanguine pœnas,*
*Seruitioque premat populos. Hæc ille locutus*
*Conticuit. tumidaque animum deflexit ab ira*
*Daunius. Et longè scelerato à littore classis*
*Omnis eat iam nostra, inquit. primusque triremem*
*Remigio impulsam medios conuertit in Austros,*
*Et properans Zephyris obiectam Aulona relinquit*
*A læua, & gelidi transit celer ora Celydni,*
*Chaoniamque omnem: mox execratus acerbam*
*Caßiopem, celsas Phæacum in collibus arces*
*Circuit, & bimarem cursu defertur ad Isthmum.*
*Hic tanti excitus fama, & molimine belli,*
*Obuius occurrit Medix. Ille vnus Athenis*
*Cecropidùm populo legesque, & iura ferebat,*
*Aut bello foret, aut tranquilla in pace regendus.*
*Et, quamquam Grays longè regnaret in oris*
*Liber, auos, atauosque tamen generosus abusque*
*Tuscorum antiqua numerabat origine regum.*
*Qui quondam ex Osco ducentes nomine nomen*
*Magnanimæ fecere suæ cognomina genti.*
*Vnde etiam seri virtutem hausisse nepotes,*
*Et patriam dicti iuuisse ingentibus ausis.*
*Barbarus at postquam Scythicis in finibus ortus*
*Italia in media regnorum est sceptra potitus,*
*Et simul infracta est Tyrrhena potentia, partim*
*Discessere suis paulatim ex vrbibus acti,*
*Aeriasque altis posuere in collibus arces:*
*Partim etiam varios casus, & bella secutis*
*Ad regnum patefecit iter durißima virtus:*

*Et pedibus Graios, pedibus subiecit Athenas.*
*Hic igitur Tusco veniens à sanguine Medix*
*Lætus adit Regem: qui primam egressus in aciam*
*Fortè recensebat numerum: vultusque suorum,*
*Et quæ cuique foret facies, vel forma, vel ætas,*
*Discebat: memoriq́ue animo mandata notabat*
*Nominaq́ue, & patrias. senior quem talia agentem*
*Alloquitur Medix. Ego me, fortissime ductor,*
*Inuisam rebar Superis traducere vitam:*
*Qui te militiæ rediuiuum exemplar auitæ*
*Affari, & coràm dextræ coniungere dextram*
*Non possem Italiæ longè disclusus ab ora.*
*Quando etiam mentem iuuenili accensus amore,*
*Et magni admirans ingentia facta parentis*
*Ipse tui, patriæ fines, camposq́ue reliqui,*
*Despicit ex alto quos vndique Fæsula colles;*
*Vulturniq́ue volens accessi ad fluminis vndam.*
*Innumeras tum dirus Arabs vastauerat oras*
*Ausoniæ, & Capuam longa obsidione premebat.*
*Ac, nisi opem afferret genitor tuus, ilicet vrbis*
*Illius extaret nunc tantùm informe sepulchrum.*
*Ipse illam solus longa obsidione leuauit:*
*Atque acie victos à mœnibus expulit Afros.*
*Non ita sublimi defertur ab æthere præceps*
*Fulmen agens nimbum, scopulosq́ue, & septa domorum*
*Eruit, & subita miscet collapsa ruina.*
*Vidi ego in aduersos armato milite septum*
*Irruere, & densas ferro perstringere turmas:*
*Pœnorumq́ue ducem medium differre securi*

Dogrissam, triplici pectus cui texerat ære,
Et fronti galeam aptarat Maurusia nutrix
Carminibus sacram magicis, & sidere certo
Confectam, vt ferri cunctos contemneret ictus.
Sed neque verborum murmur, neque profuit astri
Obseruata dies. caput illi vtrinque pependit
In geminas scissum scissa cum casside partes.
Vidi equites, peditesque vnà cùm mitteret Orco,
Cogeret & nostris Arabum dare terga phalanges.
Quàm facile aut Boreæ flatus, si vertice ab alto
Incubuit segeti, fragiles infregit aristas,
Arentesve sua decussit ab arbore frondes
Auster, & impulsas ad littora pertulit vndas.
Ille etiam postquam cæsorum vidit aceruos
Spectator cuiusque operum, testisque laborum,
Et serus rediit spoliis indutus opimis,
Ornauit coràm virtutem, atque acta suorum
Laudibus, & merito cunctos dignatus honore est.
Et mihi, qui densos cogentem in bella maniplos,
Vertentemque armis Italas in terga cohortes
Comminus aggressus immani corpore Maurum
Ense trucidaram, ferratæ pondera clauæ
Detulit ipse suæ, bellique insigne decorum
Ferre dedit clypeo, Mauri caput ora nigrantis,
Candida circumdat summam cui tænia frontem.
Ille Diochryso, cui mollis inertia Thracum
Imperium abstulerat, reditumque, atque arma paranti
Adiunxit comitem: mox rerum euenta secutum,
(Namque Arabes crebris Graias incursibus oras

Va-

*Vastabant) omnis præfecit Achaia bello:*
*Armorumque vnum iussit, pacisque potentem*
*Esse, & opes, patriosque manu defendere fines.*
*Et nunc, ni grauior tardaret membra senectus:*
*Si foret illud idem defesso in corpore robur,*
*Quod fuerat, cùm acres animos, viresque iuuenta*
*Prima dabat, ceu fixa eadem stat corde voluntas,*
*Ipse ego te Graiæ lecto cum robore pubis*
*Primus ad ingentem Syriæ comitarer Orontem:*
*Et tibi præcipuum factis testarer amorem.*
*Quod quoniam fieri prohibet iam serior ætas,*
*Hic tecum florens annis iuuenilibus ibit,*
*Quò te cumque feres, gnatus meus; vna parentis*
*Spes, & cura sui, patrio cognomine Medix:*
*Ibit, vt admirans vnum te maxime ductor,*
*Militiam, & claros magnæ virtutis honores,*
*Præmia suscepti lætus putet esse laboris,*
*Sæua manu confecta tua cum bella videbit.*
*Dixerat: & regi centum candore niuali*
*Donat equos, numero ex omni quos legerat, & quos*
*Hinc, atque hinc phaleræ, & demissa monilia collo*
*Ornabant, strato intectos pugnantis ad vsum;*
*Ferrea cui spondam lorica vtramque tegebat*
*Surgentem, primamque aluum, lumbosque tuentem*
*Sessoris, firmum in pugna tutamen equestri.*
*Munera mox socios largè partitur in omnes:*
*Vina cadis onerata suis, quæ plurima Naxo*
*Iusserat afferri iampridem: ea deinde sequuntur*
*Depulsæ dudum in montes à matribus agnæ,*

Indigenæque boues, & prima ætate iuuenci.
At Robertiades tanti hospitis interuentu
Lætatus, pauca hæc placido sic pectore fatur.
Ipse meum memini, dux ô fortissime gentis
Tyrrhenæ, inuictam virtutem, & facta parentem
Narrare, & veras ad cælum tollere laudes
Medicis Hetrusci (namque hoc mihi sæpe per aures
Nomen yt, magnique animo defixa remansit
Fama viri, cui nulla vmquam sperauerit ætas
Ferre parem, aut bello claros æquare labores)
Medicis. absentem tacita quem mente colebam
Absens. & magno mecum venerabar amore,
Quod solum licuit: neque enim fuit hoc mihi tempus
Sperandum, quo te veterem complexus amicum
Hospitij possem iura instaurare paterni.
Nunc autem quando votis prosperrima nostris
Ipsa fauet res nata, Deique occulta voluntas,
Accipio, agnoscoque libens, certumque vetustæ
Pignus amicitiæ nostro comes vsque futurus
Hærebit lateri natus tuus. illius ingens
Cura animum semper Dauni ductoris habebit.
Hæc vbi dicta, epulis vnà accubuere paratis:
Atque inter sese longo sermone requirunt,
Quæ via Threiciam breuior contendat ad vrbem:
Si qua loca infestis: si quas deuinxerit arces
Præsidijs: si quos aditus Byzantius armis
Insideat; Ponti prohibens à limite Gallos.
Quæ postquam ducibus satis explorata, superque
Ostendere palàm compendia tuta viarum,

Iamque exempta fames, & amor compressus edendi est,
Ære dari signum iubet ipse, & castra moueri.
Incedunt armatæ acies, nec ab ordine quisquam
Liber abit, sociosque suos, & signa relinquit:
Pars equitum anteeunt agmen: pars terga tuentur,
Iniusto sub fasce viam dum carpere miles
Tendit, & vnanimis gressum maturat eundo.
Primùm illi Bœotum agros, vallesque, lacusque
Prætereunt Oncheste tuos, longeque relinqui
Parnassi iuga summa vident; mox Othrin, & Oetam,
Sperchiumque amnem, magni cunabula Achillis,
Frondosumque caput celsi mirantur Olympi.
Tum vada Penei, celeresque Haliacmonis vndas,
Emathiaque Italo fœcundos sanguine campos:
Et quos Mygdonius spatioso flumine colles
Ambit, & affusa lætissimus irrigat vnda
Axius, Ægæum dum se deuoluit in æquor.
Tum demum Ausonius suspecta per oppida Thracum,
Perque agros facturus iter, exercitus omnis
Constitit obliquæ decliui in margine ripæ.
Hic certatim omnes ducto circumdata vallo
Castra locant, somnosque petunt, & corpora curant.
At parte ex alia Gallorum interrita pubes
Prætergressa iugum, quo cælo æquatus Adula
Contegitur glacie, niuibusque perennibus horret,
Transierat: nec Vindelici, quos dextra securi
Armat Amazonia, nec promi ad furta Genauni,
Nec rapto celeres assueti viuere Brenni,
Per saltus, vallesque imas potuere morari

Ince-

*Incedentem aciem, dum tela opponere quærunt,*
*Vlteriorem Oeni iuncto ne flumine ripam*
*Ascendat victrix, & Norica regna peragret.*
*Illa igitur Cetij superans altissima montis*
*Culmina, labentum diuortia liquit aquarum:*
*Et gressum in Chalybum rutilis tulit ausa metallis*
*Insignes agros, Istri quos fluminis alueum*
*Augentes Saus hinc, vnda Draus alluit illinc.*
*Atque vbi Pannoniæ fines, & limina primùm*
*Ingressi tetigere duces, castrisque locatis*
*Corpora præterito requierunt fessa labore:*
*Ecce vident ad se properantem, & membra trementem,*
*Fundentemque imo trepidas è pectore voces,*
*Velitis os, habitumque, & velitis arma gerentem.*
*Isque, vbi confertas acies ante ora ducumque*
*Constitit, atque armis septum se vidit amicis,*
*Talia deposita tandem formidine fatur.*
*Si patrios postquam fines liquistis, & agros*
*Vlla vmquam vestræ tetigit vos cura salutis,*
*Vertite iter retro, sedesque reuisite auitas,*
*O, miseri, & terris procul his, procul ite relictis,*
*Dum licet, atque fugam raptim celerare potestis*
*Incolumes. vel si dictis parere negatis,*
*Et pudet emensos Alpes, atque inuia terræ,*
*Insolito trepidare metu, statuatis oportet*
*Omnibus esse vnam per cladem, & vulnera mortem*
*Sperandam, & passim confusa strage cadendum.*
*His dictis perculsi animi, tacitumque per agmen*
*Murmur it, cupidique inter se quærere pergunt*

*Quid*

*Quid ferat, & tantum quid fama aduersa reportet.*
*Tum verò iuuenem fidenti interritus ore*
*Voce vocat dux Tullingus: cinctumque corona*
*Primorum, & cunctis patulas præbentibus aures,*
*Alloquitur. Tu ne hos animos, hæc robora sacræ*
*Militiæ solus tantis auertere cœptis*
*Tendis? & instanti pressus formidine Gallos*
*Exterrere audes? Non hæc sunt pectora turpi,*
*Non hæc corda fuga sibi quærere sueta salutem:*
*Ast aperire viam ferro, mediosque per hostes*
*Aut vitam seruare, aut pulchræ occumbere morti.*
*Sed tu quis tandem? quibus aut festinus ab oris*
*Venisti? & quæ nos vitare pericula suades?*
*Fare, age, & audacter, quæ sint ea cumque, volentes*
*Cuncta doce. neque enim quisquam te vera locutum*
*Non amet: & merito gratus non munere donet.*
*Ille autem. O, vtinam fictæ tibi nuntius essem,*
*Et nondum celebris famæ vanissimus auctor.*
*Sed quid ego hæc? si mox tantos ex ordine casus*
*Narrabunt alij, qui fœdam euadere cladem*
*Incolumes potuere: licet vix vnus, & alter*
*Pæonis insidias regis vitarit, & arma.*
*At tibi, quicquid id est, breuiter, dux maxime, pandam:*
*Nec te vllæ ambages, nec longa exorsa tenebunt.*
*Concilio in medio postquam regumque, ducumque*
*Omnis in Abdaridas decreuit Gallia bellum*
*Exemptura iugum Solymis, quod pertulit annos*
*Iamdudum innumeros Syriæ sanctissima tellus:*
*Continuò nostras fama est vulgata per vrbes:*

Extemploque accensi animi, concursus & ingens
Vndique, & inter se commota per oppida vulgo
Dant dextras. sua quisque domi, quæ repperit arma,
Et scabra exesos rubigine corripit enses,
Deformesq; situ clypeos. sibi regna, suisque
Argenti, atque auri magnos promittere montes.
Proinde auidi coeunt non vna è gente, nec vno
E populo: sed tota simul sine more, sine vlla
Lege ruens raptis properat Germania signis.
Postquam autem turmæq; equitum, peditumq; caterua
Conuenere simul, nec qui moderetur euntes
Esse vident quemquam, nec qui tot millia certa
Lege regat, pœnasque nocentibus irroget æquas:
Cunctantum dubias Amycus temerarius annis,
Et pietate ingens Odechalchius occupat aures.
Ille genus ducens altorum à sanguine regum,
Cui Nemetum fines, rapido cui flumine Mænus,
Cumque Mocontiaco parebat Bonna, vetusque
Næomagum, & primos vltro tribuebat honores.
Alter, thuricremas Diuùm qui castus ad aras
Sacra ministrabat populo, verbisque regebat
Suauidicis animos, plebemque in templa vocabat,
Natus & ipse patrum præclara à stirpe suorum.
Isque vbi distractos reperit, ceu cuique cupido
Imperat effrenis: Quò nunc Germana iuuentus
Inconsulta ruis? quò te tam turbidus, inquit,
Ardor agit? certique parens audacia leti?
Nam nec bella manu solùm peraguntur, & armis,
Nec solùm vires victoria quærit; at acre
Consi-

*Consilium, certosque duces, qui ponere capto*
*Castra loco, qui firmam aciem, cum postulat vsus,*
*Instruere, & tuti vitare pericula norint.*
*Seu differre diem pugnæ, seu fortè necesse est*
*Præcipitare moras omnes: qui præmia forti*
*Digna ferat: qui communes tolerare labores*
*Primus amet, prædæque vnus qui immunis abactæ*
*Ipse suos largè socios & ditet, & ornet.*
*Talia desierat fari, cum turba repente*
*Scinditur in varias diuerso examine partes.*
*Inde alias alij conferta per agmina voces*
*Iactare, & iussis partim parere recusant,*
*Atque iter effrenes longè præuertere tendunt:*
*Et quæcumque libet prædari, ac viuere rapto.*
*Partim se ducibus credunt, & signa sequuntur*
*Quisque sua, & certos pergunt sociare maniplos.*
*Non secus, atque arbor nunc his, nunc flatibus illis*
*Eurique, Zephyriique caput depressa recumbit*
*Aduersam in partem, nec robore fulta fatiscit*
*Ipsa suo: sed vtrinque labans, sed vtrinque cadenti*
*Assimilis, tamen vna olim peritura ruina*
*Cogitur hinc, atque hinc parere procacibus Austris:*
*Amittitque omnes diuulso corpore ramos.*
*Sic illi, quorum multi tua castra secuti*
*Belga pater, cultos, quos irrigat Hippius, agros,*
*Nec numero tenuere pares, nec viribus æquis.*
*Multi etiam Egerio, quem bello viuida virtus*
*Clarat, & illustrem nomen testatur auitum,*
*Hæsere, & Dacos inter cecidere, Getasque.*

At reliqui explentes numero centena virorum
Millia, coniunctis inter se fœdere dextris
Addixere Amyco vires, atque arma, fidemque.
Isque, vbi præfectum tanto se vidit honori,
Et iussis parere suis tot viuida pubis
Pectora Germanæ, non iam, ceu postulat vsus
Militiæ (quid enim frustra retinere seueris
Legibus effusos in cuncta opprobria tentet?)
Palantes reuocat legionum ad signa maniplos,
Aut iniussa loco prohibet sua castra moueri.
Sed passim ingrediens pacata per arua feraces
Depopulatur agros, & cædibus oppida complet.
Præcipuè Abramidûm, quorum pars maxima pagos
Pannonios habet & vitam sustentat inermem
Exul, inops, expes, cunctarumque indiga rerum.
Non nos aut sexu miserorum, aut vllius vlli
Parcimus ætati: sed ceu foret hostia quisque
Grata Deo in primis, nullo discrimine habetur,
Et iuuenes, ægrosque senes dimittimus Orco.
Quin etiam turbam ingentē peditumque, equitumque,
Dannubium fortè vt medium tranauerat amnem
Defensura suos infesto à milite fines,
Fundimus, & vita pulsos spoliamus, & armis.
Mox etiam summis munitam mœnibus vrbem,
Et circumfusas spectantem è colle paludes
Aggredimur, factaque simul testudine muros
Nudatos omni iam defensore subimus,
Æquamusque solo, atque aditus intramus apertos.
Ast olli in summam trepidi se protinus arcem

Conijciunt, notasque vias, & tecta relinquunt.
Nos vero (nec ficta loqui me credite monstra,
Sed vera, & casu nimium testata recenti)
Dum ruimus, nemoque obstat, quin vrbe potiti
Vastemusque ædes vacuas, capiamus & arcem
Obsessam, quasi tela illinc inimica, facesque
Ingruerent, contraque acies inopina coiret,
Diffugimus suadente metu: nec vertere quemquam
Terga pudet: nec cœnosæ mandare paludi
Corpus, vt incolumis fallacibus enatet vndis.
Vsque adeò subitus cunctorum inuadere mentes
Perculsas potuit cæca formidine terror.
Siue illum incussit nobis Deus æthere ab alto,
Tantorum vt scelerum culpæ meruere nefandæ:
Seu terror sibi quisque fuit, dum fortè latentes
Desertæ insidias vrbis, faciemque timeret.
Vt videre autem cedentem è mœnibus hostem
Pæones, infensi summa effunduntur ab arce:
Et ferro accincti nostrorum in terga feruntur,
Vulneraque infigunt: partimque in stagna, lacusque
Proturbant: partim exanimant angusta viarum.
Dumque alios alij, ceu si fuga sola salutis
Spem daret, & sumptis nemo sat fideret armis,
Vrgentes turpi properant præuertere cursu,
Ecce superueniunt fulgentes ære cateruæ,
Et permistus eques, quem Curta emisit ab vrbe
Pannonius fallax: vt, si se forsitan vlla
Offerret pugnæ non insperata facultas,
Siue acie instructa, confertoque agmine nostros,

Seu præda, spolysque graues, somnove sepultos
Cæderet, & victos ferro deleret ad vnum.
Ergo illi vt primùm versas videre cohortes
Et fugere, & veniam proiectis turpiter armis
Quærere: nec quemquam memorem virtutis in hostem
Irruere, & clypeis armatum obuertere pectus,
A fronte inuadunt oriturque miserrima cædes.
Corporibus sternuntur agri: fossæque redundant
Sanguine: purpureæ labuntur in amnibus vndæ.
Ipse tamen delapsus equo, dum pugnat, & vnus
Demetit affusos Amycus. prosternitur ictu
Ingentis saxi: quo cassis ahenea circùm
Spargitur effracto non vna è parte cerebro.
Ipse etiam medios inter iugulatus inermes
Concidit: atque animam in tenues Odechalchius auras
Fudit, communi soluens pro crimine pœnas.
Accepta dum fortè fide periuria gentis
Nil timet, & fidos demens sibi credit amicos,
Quos insperantes toties data dextera læsit.
Ergo illum non canities, non infula texit
Labentem, atque imo fundentem hæc pectore verba.
At vos pro scelere hoc tanto, pro tristibus ausis
Euertat miseros Deus vltor; & impia mittat
Sub iuga, qui nostro fœdastis sanguine terram,
Inque fidem acceptos leto multastis iniquo.
Hæc memorans vnà lumen cum voce reliquit.
Nec sum animi dubius, quin iam syluisque, iugisque
Insideant, tutique parent, quacumque putarint
Ingressuram aciem, Gallorum inuadere castra.

Hæc ſunt, quæ mea vox potuit tibi maxime ductor
Narrare; & breuibus properans exponere verbis.
His dictis: corde inſuetum cœpere dolorem
Heroes, primique duces; tam multa virorum
Agmina, tamque acres iuuenum periiſſe phalanges:
Quorum animis, armisque olim comitantibus vſi
Deiicerent ſæuos Solymorum è ſede tyrannos.
Continuò furere vnanimes: expoſcere pœnas
Commiſſi ſceleris ferroque, ignique iuuentus:
Vaſtandos agros, viduandas ciuibus vrbes
Clamat, & hoſtili cædem iam cæde piandam:
Acceptumque vno ſanandum vulnere vulnus.
Aſt alii, quorum menti ſententia ſedit
Tutior, vltrices iras non temporis huius,
Non fidei, votique ferunt, quo Gallia ſummo
Pontifici voluit certas aſtringere dextras.
Poſſe iter incœptum Calapique, Saoque relictis,
Illyriæ adfines, & ſaxa Liburnica flecti:
Perque agros Macedûm dextro Byzantia curſu
Arua peti; poſſe Auſoniis in Doride caſtris
Coniungi, & vires Gallorum viribus addi;
Gallorum, quos Adriaci maris æquor, & vndas
Ionias tranaſſe ferunt, monteſque per altos
Epiri incolumes Hebrum contendere ad amnem.
Hic quamuis mentem caſu concuſſus acerbo eſt
Gofredus, letoque datos miſeratus amicos,
Spem ſimulat vultu tamen, atque interritus audit
Conſilia antiquæ veterum certantia laudi,
Lætaturque omnes animis ardere paratis
Vlci-

Vlcisci socios, periuram excindere gentem
Funditus, & campos cæsorum insternere aceruis.
Sustulit ergo oculos, imoque à pectore dulces
Expromens voces, placido est sic ore locutus.
O socij, quos vna omnes, eademque voluntas
Impulit vnanimes patria discedere terra,
Vxoresque domi, dulcesque relinquere natos,
Aut secum auectos per mille pericula rerum
Asportare grauis solatia blanda laboris,
Vt Solymam, Syriamque iugo eripiamus iniquo,
Acceptumque Deo statuamus in orbe trophæum,
Quo neque nos maius, neque postera viderit ætas.
Vos mecum emensi Rhenumque, Albimque per vrbes
Innocui fecistis iter, perque arua: nec vsquam
Vllus adhuc prædam à vobis conquestus abactam est,
Aut actum secum quicquam vi vidit ab vllo.
Quin potius, quas vestra sibi clementia gratas
Iure suo sperare vices, & poscere visa est,
Repperit; & blandis, vosmet meminisse potestis,
Hospitijs, opibusque suis iuuisse vocantes,
Præbentesque vltro plenis conuiuia mensis.
Et iam Pannonijs tuti consedimus aruis,
Peruenturi vlla sine cæde, & sanguine, quò nos
Vota vocant soluenda Deo, quæ fecimus ipsi.
Quòd si fortè viam quisquam dare nolit amicis,
Perque suos fines opponat euntibus arma,
Tum Gallorum animos, & iustas sentiat iras.
Interea qui morte graues persoluere pœnas
Flagitijs meruere suis, hominesque, Deumque
Læse-

*Læserunt grauiter non vno crimine sontes,*
*Scilicet vt meritò cæsos linquamus inultos;*
*Cumque illis etiam reliquos, qui talia posthac*
*Committent, scelerum nihil impia facta verentes.*
*Sed quoniam damnari aliquem, qui dicere causam*
*Ante suam nequeat, turpe est, mittamus, oportet*
*Ad regem certos, qui factam exquirere cædem*
*Possint, & iustum populis indicere bellum;*
*Aut certæ inter nos componere fœdera pacis.*
*Virtutem sic nostram vmquam nulla arguet ætas.*
*Iustitiæ Deus, atque hominum mens æqua fauebit.*
*Dixerat. & Stephanum, cuius facundus ab ore*
*Verborum sonus Hyblæo vel melle fluebat*
*Dulcior, heroum ex numero selegit, & ipsum*
*Addidit Aulercæ pubis regemque, ducemque:*
*Qui sua Pannonio referant mandata tyranno,*
*Et causam factæ cogant euoluere cædis.*
*Dicite, ait, Regi Gallos in vtrumque paratos,*
*Vel scelus vlcisci ferro, vel fœdere dextras*
*Iungere, si populos iustas dolor egit in iras.*
*Nos verò interea positis considere castris:*
*Et spectare procul quò se sententia flectat*
*Illius: & pacem à nobis sibi malit, an arma.*
*Nec tamen, ò socij mussanda iniuria, & ollis*
*Fidendum semel infestis. ea certa salutis*
*Sit via, quam sumptis positam speremus in armis.*
*Ite igitur, vigilesque aditus seruate patentes*
*Vndique: & excubias castrorum indicite portis:*
*Vt nos siue palàm inuadant, siue abdita belli*

*Furta parent, tuti fossa & munimine valli,*
*Aut etiam instructo, si res sinat, agmine fraudes,*
*Incursusque omnes, & vim infregisse queamus.*
*His illi auditis, antiqua ad regia Curtæ*
*Tecta iter arripiunt celeres: cursuque perenni*
*Transmittunt campos, spumosaque flumina tranant.*

# PETRI ANGELII
# BARGAEI



# SYRIADOS
## LIBER IV.



*VM QVE ea consessu in medio for-*
*tissimus heros*
*Commemorat, fidus cælesti ex ordi-*
*ne custos*
*Vnus, qui nutu Patris omnipoten-*
*tis olympi*
*Additus, imperium Turcarum, atque arma tuetur,*
*Intendens oculos cælo prospexit ab alto*
*Europæ ferro instructos è sedibus omnes*
*Iam populos exisse suis, iamque arua teneri*
*Pannoniæ, & Scythicos compleri milite campos*
*Externo, totumque vrgeri classibus æquor:*
*Atque Asiæ regnis immanem insurgere molem*

Bellorum: fortesque peti tanto agmine Turcas.
Hæc igitur secum dubio dum pectore versat,
Et metuit, ne qua sublati clade repente
Aligerùm cuncti nigrantum ad regna ferantur:
Mœstus adit Patrem, cuius firmissima solum
Fundamenta manus iaciens agit; atque potentis
Imperij sedem, si qua est, euertit ab imo:
Et procul assistens placido sic pectore fatur.
O, cui siderei seruit plaga lucida cœli,
Æternæque vni mentes paremus ouantes:
Scit curæ mandasse meæ tua summa voluntas
Turcarum inuictos populos, gentesque rebelles
Arabiæ, atque alios, quos in sua verba coegit
Iurare Abdarides, & sub sua Tartara misit,
Seductos veræ cultu pietatis, et aras
Infandas, facilesque ad turpia crimina ritus
Excolerent, natique tui præcepta perosi
Effugerent lucem, & ventura gaudia vitæ,
Ni cæcæ obstares fraudi, tantoque periclo
Instanti tuus altus amor se opponeret vnum.
Hos igitur, quos ipse olim tibi fortè reseruas
Incolumes cœli nobiscum in parte locandos,
Si tueor, causam tueor nostramque, tuamque.
Nam si Christicolas alijs, quibus ipse ferendum
Hoc onus, hoc proprium voluisti imponere munus,
Militiæ æternæ Aligeris defendere fas est,
Cur mihi pro Turcis communem orare parentem
Non liceat? precibusque Arabum fulcire salutem?
Nec quemquam tamen inuideo vigilare fauentem,

Cui debet: fouet ille suos, foueatque clientes.
Quos ego seruari pariter cupioque, voloque,
Atque inter Turcas, tanquam certissima cultus
Adiumenta tui, vitæque exempla beatæ,
Versari incolumes, atrum vt post funus honores
Cælestum accipiant, ac præmia digna reportent:
Illi autem Abdaridûm leges, ritusque nefandos
Abyciant, arasque tuas, & templa frequentent,
Edocti nullum esse alium, cui fidere possint,
Quemque mala sine fraude colant: cui vota, precesque
Concipiant, statuantque pijs altaria templis:
Quemque salutiferum confessi numen adorent:
Atque humiles vnum castas venerentur ad aras
Rite, tuum præter natum, graue pignus amoris
Erga hominum mortale genus: quibus annuis olim
Sidereas arces, vacuique sedilia cæli.
Ille igitur populum, qui nunc exire fidelem
Gaudet in Arabios, dextrasque armare minaces,
Mecum vnà lætus finem si spectat eumdem,
Nec portu longè diuersi erramus ab vno,
Vt quos ipse cupit seruari, ego perdere tendam;
Quid prohibet belli tantam restinguere flammam
Summe Pater? cur tam certo tot fortia leto
Pectora non arces? cur, qui nunc instat vtrinque
Interitus, cæcisque dies mutanda tenebris,
Non potius dulcem constanti fœdere pacem
Subducturam etiam multos heroas ab Orco,
In ferrum, inque aciem iam descendentibus affert?
Nam, Turcas si fortè manu deleueris omnes

Ipse tua, & nullus tandem superauerit atro
Excidio, quis iam potis exercere, suoque
Coget in officio gentes perstare sequentes
Iamdudum parta tutissima commoda pacis?
Quin illæ potius (dicto procul exitus absit)
Otia, desidiamque animo (ni fallor) in omnem
Amoto procul hoste ruent: scelera inde profanis
Inter sese odijs suscepta admittere pergent,
Et cultu, & veræ spreto pietatis honore.
Hæc vigil Abdaridum custos sic ore locutus
Conticuit: solitaque abiens in sede quieuit.
Ast alius; qui militia selectus eadem
Et Syriam, & palmis viridem curabat Idumen,
Astitit ad solium Patris, atque ita farier infit.
O Pater, æterno qui mentem impulsus amore
Legisti nostro vigiles ex ordine certos,
Quos populis, quos cuiq; homini, quos vrbibus, & quos
Præficeres regnis certa sub lege ministros,
Quandoquidem tu me voluisti è fratribus vnum,
Esset cui sancta custodia credita gentis,
Seligere, & comitem miseris hærere, ducemque:
Qui nunc seruitio Turcarum, Arabumque superbo
Oppressi longè à templis arcentur, & aris:
Accipe iam voces, populus quibus æthera complet
Ille tuus, placidasque audi questusque, precesque,
Quas ad te statui perferre, & quærere supplex
Tantorum requiem nobis, finemque malorum.
E quibus haud equidem inficior te suesse frequenter
Innumeros, qui nostra iuuent, producere fructus.

+ His namque exercere bonos, punire nocentes,
Atque augere soles præmI spes inde futuri.
Sed miserum tamen huc illuc ferrique, rapique
Insontes, duraque premi sub compede vinctos,
Et cogi simul infandos ediscere ritus,
Et dirum diræ colere impietatis alumnum
Abdaridem: aut acres vltro dare corpore pœnas:
Inclusosque tuæ vexari mœnibus vrbis:
Ceu pecus, & molles medijs in ouilibus agnos
Ore trahunt, manduntque lupi, quos longa coegit
E syluis exire fames, dum rure profectus
Pastor abest longè, vel somno indulget inerti,
Nec nocturna canum seruat custodia caulas.
Quamquam longa satis monet experientia, nullum
Sperandum esse hominem, cui, si semel vlla licenter
Degendæ fuerit vitæ permissa potestas,
Mens eadem perstet pietatem amplexa, nec vsquam
Rectum animi inflectat. nam qui per lubrica pergit,
Haud semel in peius labi consueuit, humique
Oblitus iacet vsque sui. ceu fortè reuulsus
Aerio scopulus decurrit vertice montis,
In præcepsque ruit: nec partem auersus in vllam
Flectit iter, donec fundo consedit in imo:
Vnde potis vis nulla vsquam remouere iacentem,
Non Boreæ, non torrentis decursus aquai:
Vsque adeò sedet immotus. Scio acerba meorum
Excidia, & quanto coner noctesque, diesque
Inde alium, atque alium præsens inbibere labores
Ne quando allecti rerum dulcedine, & vna

Turcarum longa iam consuetudine victi,
In scelera, & mores abeant, ritusque profanos.
Nec sum etiam, veri si quid mens augurat, ipse
Inscius inferna missurum à sede ministros
Luciferum, quo se rebus tibi in omnibus æquet,
Artibus, atque dolis operam quamcumque daturos,
Seruitio ne fortè tuus, quo pressus anhelat,
Exeat, & dominos populus fuget vrbe superbos.
Atque hæc si mecum, qui nunc tibi regna rebellis
Barbara commendat gentis, quòd amica tuorum
Interdum celebrantem aliquem commercia diro
Seruet ab interitu, quòd tanta exempla secuti
Fortè olim Turcæque omnes, Arabesque receptent,
Agnoscantque tuum concordi pectore cultum;
Hæc si mecum vnà verè consideret, idem
Commoda sectari parua, atque incerta videbit.
Namque, vt multa tuæ spargant pia semina legis
Christicolæ Turcas inter, tamen impius ille
Abdarides magis, atque magis firmatur in horas,
Inque dies crescit, cultumque nefarius auget
Ipse suum: magnamque trahens in Tartara secum
Partem orbis, medio fidens exultat Auerno.
Nec tamen exosus Persasque, Arabasque feroces,
Vnà omnes imis tolli ab radicibus optem,
Exitioque dari. Vincant, quos vincere par est:
Et victi imperio discant parere bonorum:
Iustitiamque colant docti meliora, tuoque
Colla iugo faciles submittere mollia pergant.
At tu, mundi opifex, & rerum æterna potestas

Summe

Summe pater, Solyme populo si libera vtrique
Afferet ad certa certa adiumenta salutis,
Affer opem magnis (tua laus erit vnius) ausis,
Et procerum pia cœpta iuua: quos vndique ab oris
Conuenisse vides patriis; & tecta, domosque
Deseruisse suas, Solymorum vt mœnia tantis
Eripiantque malis, desertaque templa frequentent,
Et substructa nouis cumulent altaria donis.
Hæc ille. At pater omnipotens sic deinde profatur:
Iamdudum, ò vigiles mandata ad nostra ministri,
Quod libuit, placuitque semel, decreuimus ipsi,
Nec frustra decreta cadent. Vos munus obite,
Quisque suum. bello Syriæ miscebitur orbis,
Purpureusque fluet multorum sanguine Orontes:
Et nunc magnanimis cedet victoria Gallis:
Nunc eadem ad Turcas vultu lætissima verget:
Ingratasque vices voluet. ne quærite causas.
Ipse adero, cum tempus erit. Nec plura locutus
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Mox medio è cœtu, quorum chorus excubat omnis
Vestibulum ante ipsum, primaque in limine porta,
Aduocat Aligerum: sidumque affatur ad aurem.
O nostræ pars militiæ dilecte minister,
Quem primos inter prima hac in sede locatum
Ad nutus præstò esse meos vis cogit amoris
Immensi, & noctes suadet vigilare, diesque:
Vade, age, Pannoniæ fines vbi magnus vtrosque
Diuidit Ister aquis, & Amantum terminat oras:
Atque amnem aduersos totum deflexus in Euros
Mœnia

*Mœnia sublimis præterfluit ardua Curtæ.*
*Impius hic Colomanus habet: cui frater auitas*
*Halmus opes, regnumque dedit malè cautus habendum,*
*Ausus legitimæ studium, & suffragia plebis,*
*Testatamque diu patrum contemnere mentem.*
*Ille tamen posthac commissi criminis acre*
*Supplicium soluet nocti damnatus inerti.*
*Huc tu quàmprimùm demissus ab æthere summo*
*Fac populi, quos in nostros metus armat euntes*
*In Syriam, iam iamque Saum tranare parantes,*
*Mitescant, positaque omni feritate benignos*
*Exhibeant sese, nec cœptum obsepiat vsquam*
*Vllus iter, certamque viam vetet ire: sed vltro*
*Venturis, quacumque potest, ope sedulus adsit.*
*Dixerat. Ille autem ceu fulgur ab æthere præceps*
*Labitur: & dicto citius peruenit ad Istrum:*
*Quà medius totum cursu se vertit in Euros,*
*Lambit & antiquæ sublimia mœnia Curtæ.*
*Hic regem somni expertem, curisque grauatum*
*Repperit, & dubios voluentem pectore casus*
*Bellorum, trepidumque metu: ne fortè ducesque,*
*Et proceres, quorum latis exercitus aruis*
*Insidet, & populis bellum, excidiumque minatur,*
*Ni sibi ad Euxini fauces via libera detur,*
*Protinus infensi pœnas cum sanguine poscant.*
*Ille igitur formam senis assimulatus Aquinci:*
*Cui templi, & rerum princeps data cura sacrarum,*
*Atque fides habita in dubijs certissima rebus,*
*Siue instent belli, placidæ seu tempora pacis,*

Attoniti ſtetit ante oculos, atque ora tyranni
Pæonis, atque imo ducens è pectore voces:
Non nunc tempus (ait) dubio cum pectore curas
Verſare, & rerum ancipites expendere caſus:
Hoſtis adeſt, non qui vacuos effuſus in agros
Erret, & è patria depellat ſede colonos,
Ac prædas incautus agat: paſsimque vagetur
Longius à caſtris: ſed qui ſua ſigna ſecutus
Pareat imperio meliorum, & dicta faceſſat.
Certa ducum virtus: iuuenum ſpectata voluntas,
Et patiens pariter corpusque, animusque laborum.
Hanc tu ſi ſapias, gentem, qua nullius vſquam
Gloria ſe tollit maior vel pace, vel armis,
Præcipuè deflens commiſſa piacula cædis,
Omnibus officijs ſenſim lenire memento,
Muneribusque tuis. nam ſic (mihi crede) quietas
Incedentum acies Gallorum, & caſtra videbis
Ire viam, & dapibus nuſquam ſe paſcere inemptis.
Hæc memorans, vulgi ſtrepitum, vocesque ruentis
Audijt ad portas vrbis; quo præuia Gallos
Fama volat miſſos caſtris, qui mœnia Curtæ,
Pæonij ſedem regis, & limen adirent,
Bellique, & pacis ſecum mandata ferentes.
Ergo introgreſſos iubet ipſe in tecta vocari,
Seque locat ſolio reſidens Colomannus in alto.
Illi adſunt; regemque prius de more ſalutant.
Mox Senonum ductor Stephanus ſic ore profatur.
Quod nos relligio Diuûm, quod certa voluntas
Effundendæ animæ pro libertate piorum,

*Ac promissa fides, quod nos data dextera cogit,*
*Concordes bellum Turcis inferre tyrannis*
*Venimus, & sæuos Europæ à finibus hostes*
*Arcere in montes Persarum, Arabumque cauernas.*
*Nec certè, cum communem pater vrbis, & orbis*
*Cogere Gallorum vires decreuit in hostem,*
*Pannonios, vellent qui tantum infringere fœdus,*
*Impiaque Abdaridæ stabilirent regna rebellis,*
*Insignes pietate viros. fore credidit vmquam:*
*Sed potius, quod par fuerat, quod fama ferebat,*
*Nostrorum aucturos numerum, viresque putauit:*
*Et bellum auspicio regis, ductuque potentis*
*Gesturos: cuius pietas gratissima cælo*
*Esset, & in dubijs virtus exercita rebus.*
*Quem nunc præproperè cælestum in templa relatum*
*Et colimus, flemusque simul. si vixet, aperto*
*Exciperetque sinu Gallos, opibusque iuuaret:*
*Sterneret ipse viam: quæ quaque in parte sequenda,*
*Aut vitanda forent, vltro nos ipse doceret.*
*Nunc tibi visum aliter: quando tot millia leto*
*Nostrorum, qui se dextræ Colomanne, tuæque*
*Crediderant fidei, tua missa ex vrbe repente*
*Agmina, contempta Diuum pietate, dederunt.*
*Atque hæc ipsa quidem scitatum venimus, an sint*
*Consilio confecta tuo. discrimen vtrisque*
*Hoc solum ostendet, stabilis pax instet, an arma.*
*His dictis animo cunctantem, atque ore tacentem*
*Aggressus regem: Non hoc sibi poscit, Aquincus,*
*Tempus, ait. nunc certa tibi est oblata facultas*

Prate-

*Præteritæ cædis nullorum cæde piandæ.*
*Fare, age, quid dubitas hæc tanti incendia belli,*
*Dum licet, externas longè depellere in oras?*
*Iungereque inuictas constanti fœdere dextras?*
*Talia finierat: cum Rex, cui nuntius ales*
*Iamdudum in Gallos animum, mentemque benignam*
*Addiderat, curasque è corde reuellerat acres;*
*Attollens oculos, ore est sic fatus amico.*
*Si vestrum imperium, Galli, si vestra secutæ*
*Iussa forent acies, quas huc Germania fudit*
*Innumeras, nostra arua suis viduata colonis,*
*Quæ modo vidistis passim squalentia ad Istrum,*
*Dum cæptum properatis iter, bene culta niterent:*
*Nec misto amborum maduisset sanguine tellus,*
*Funera tot miserans populorum vtrinque cadentum;*
*Sed potius lætos læta excepisset amicos:*
*Et, quibus ipsa opibus poterat, iuuisset euntes.*
*Non adeò longè nostris disiungitur oris*
*Humanæ iucunda comes clementia vitæ,*
† *Nec tam relligio longè supera alta tenentum*
*Exulat hinc, vobis vt quicquam obstare velimus*
*Concordi in Turcas animo sumentibus arma.*
*Immo ego, ni regni nouitas reuocaret, & anceps*
*Vulgi animus, procerũq; odia, & male grata voluntas*
*(Credite) non essem tanti pars vltima cœpti:*
*Et data seruarem patrui promissa, fidemque.*
*Postulat hoc à me causæ commune periclum,*
*Et communis amor famæ immortalis, & ingens*
*Gentis honos: cuius præclaro à sanguine priscos*

Pæonij repetunt proauosque, atauosque suorum:
Inter qui Noarum quondam, Bargumque feraces,
Post acri direpta manu donaria Delphis,
Insedere agros Brenno duce, & auspice Brenno.
Mox patriæ sueti latè producere fines,
Pannoniæ populos magna ditione subactos
Pressere, & victis leges, ac iura dederunt.
Hac ortos patruus nos clara à stirpe volebat,
Et patriæ à tanta numerabat origine fastos;
Tauristasque, & Stordiscos, Boiosque feroces,
Quæ tum nomina erant, Gallos genere esse docebat.
Quare agite, ò, vno nobiscum sanguine iuncti
Inuicti heroes, dextris coniungite dextras,
Atque animos animis: &, quæ contraria votis
Acciderunt nostris, hilares iam mittite, & ipsos
Per patriæ fines vobis iter omne futurum
Credite, quæ tantis peperit vos inclyta factis.
Non deerunt, quacumque viam tendetis, amica
Hospitia: & dapibus mensæ sine fraude paratis:
Perque agros, mediasque vrbes, perque oppida tuti
Ingressus, & nusquam ingens non copia rerum.
Hæc ait: & geminas signis, ostroque superbas
Efferri è thalamo vestes, & cingula bullis,
E solido bullis longè fulgentibus auro,
Apta iubet: nec non pretioso vellere martes:
Quas gens perpetuis Scythiæ damnata tenebris,
Suetaque Riphæas pedibus calcare pruinas,
Mittit Hyperboreis terrarum à finibus vsque,
Ingentis pretij martes. his insuper addit
Aurea,

*Aurea, & Eois insignia pocula gemmis.*
*Tum verò, quando ille aliud nil maius habebat,*
*Gofredo iubet inclusum, fuluoque decorum*
*Ære dari sceptrum. cuius pars ima frementem*
*Desuper vrget equum, Nili genitoris alumnum.*
*Parte autē in summa rostroque, atq; vnguibus hydrū,*
*Quem pia defecto iam longa ætate parenti*
*Afferat, ales habet diris inuisa colubris.*
*Atque hæc (inquit) erunt nostri rata pignora amoris,*
*Ignaramque doli Gallis testantia mentem.*
*Sic fatus, properè vicina per oppida certos*
*Dimittit, quorum monitu secura parentur*
*Hospitia: atque viæ loca proxima rebus abundent*
*Omnibus humanæ ad vitæ spectantibus vsum.*
*Aurigæ interea ex altis Elasippus, & Æthon*
*Veloces stabulis simul eduxere quadrigas:*
*Quæ rapidis rapidas anteirent cursibus auras:*
*Et tutæ accliuis superarent deuia montis.*
*Aurea materies illis curuatur in arcus,*
*Et iuga chrysolithis passim variata nitescunt.*
*Vlmeus est temo: duro circumdata ferro*
*Curuatura rotæ, radiosque volubilis ambit,*
*Non vllis salebris, non vlla ætate domandos.*
*At procul expellunt pluuiamque, imbremque cadentem*
*Arte laboratæ villoso è Castore pelles;*
*Quæ currum inductæ circumque, supraque tuentur.*
*His adduntur equi generosa à stirpe profecti.*
*Quales Cappadocis prope flumina Thermodontis,*
*Dum populos armis, dum cursu prouocat Euros;*

*Antiopen agitasse ferunt, atque Orithyiam,*
*Inter Amazonias acies, turbamque sororum,*
*Effera quae Martem mentiri est ausa parentem.*
*Talibus auditis Galli, donisque receptis*
*Laeti abeunt Curta: pacemque in castra reportant.*
*Atque aliquis vulgo è medio, cum fortè videret*
*Intextasque auro vestes, radiataque gemmis*
*Pocula, quadrigasque leues, pulchrosque iugales,*
*Et sceptrum, & captas Vrsae sub sidere martes:*
*O, quàm magna (inquit) virtus; quàmq; inclyta fama*
*Gloria, quam tantis dignatur honoribus hostis*
*Barbarus, ac prece submissa veneratus adorat.*
*Et poterit tanti quisquam diffidere ductu*
*Herois? poterit Turcarum horrescere vultus*
*Praeterea? & rerum non expectare secundos*
*Euentus? huiusque ingentia praemia belli?*
*Haec ille. Et defixa solo tentoria laeta*
*Collegere acies: auulsaque signa secutae,*
*Quaeque sua, incaeptum peragunt iter: aeraque longe*
*Sole sub ardenti radijs percussa renident,*
*Praestringuntque oculos spectantum: Eurique procaces*
*Cardine ab aduerso caeli petulantibus auris*
*Certatim versant, altumque per aera plangunt*
*Signa suis noscenda notis: quae scilicet vna*
*Omnia sanguineo dirimit Crux sutilis ostro.*
*Ecce autem diris Erebi de sedibus ales,*
*Cornua cui surgunt summa infestissima fronte:*
*Triste rubent oculi: spirant incendia nares;*
*Et caput intorti lambunt pro crinibus angues:*

Curuati in falcem dentes: informis hiatus
Oris: adunci vngues manuum: quarum vna flagello
Insonat horrendum: piceam fert altera tedam.
His simul ac sontes animas in Tartara trudit
Impius, atque Erebo totum se condit aperto,
Contrahit in gyros, & crebra volumina caudam
Obscœnam, & terras tetris obnubilat alis.
Quaque iter intendit, nimbique imbresque sequuntur,
Vrentesque æstus, intempestæque pruinæ,
Abruptæque micant conferta è nube procellæ:
Verberat & grando sata læta, boumque labores:
Ac mortale genus vexant morbique, famesque.
Ille autem veteres populorum exasperat iras,
Accenditque odia, & reges impellit ad arma
Præcipites, secum portans letumque, metumque,
Inserit & paci, siqua est, noua semina belli.
Ergo huc Ammerice tum se referebat ab alta,
Ammerice, cuius nostro dirimuntur ab orbe,
Et nobis aduersa premunt vestigia gentes:
Templa vbi & innumeras positis altaribus aras
Ture adolent: Stygiasque vmbras, & numina noctis
Cædibus, ac fuso miserorum sanguine placant.
Regnat ac passim Aligeris nigrantibus vrbes.
Isque, vbi diuersis Europæ à partibus omnes
Arma manu populos sumpsisse vltricia vidit,
Quò regno spolient Arabas, iamque arua feracis
Pannoniæ, & Graium fines, Thracumque tenere
Victores, neque adhuc ollis se opponere quemquam,
Abstitit indignans, vna quòd tanta coissent

Agmi-

*Agmina: & vnanimes in se, excidiumque suorum*
*Coniurasse omnes iam cerneret Europaeos.*
*Sic igitur secum. Quae nam socordia, quae nam*
*Tartareos inuasit iners ignauia fratres?*
*Sublatae ne omnes causae, quibus Itala tellus*
*Foeta odijs in se conuerterat impia dextras?*
*Ciuilis ne adeò sunt obruta semina belli,*
*Et tam certa tenet pax, & concordia Gallos?*
*Tamque hilarem ducit pacata per otia vitam*
*Imperij quondam assertrix Germania, liuor*
*Fortibus alterius coeptis non vllus vt obstet?*
*Sic ex regum animis penitus discordia cessit,*
*Vt vacet externas armis inuadere gentes,*
*Abdaridasque meos patrijs depellere regnis*
*Audeat? & positas Solymis euertere sedes,*
*Lucifero positas sedes, ritusque sacrorum?*
*At gens imbellis, credo, & nil tale timendum.*
*Non ne eadem Siculis nos haec iam depulit oris,*
*Exactosque procul remeare in regna coegit*
*Afrorum? non victrici tot millia dextra*
*Haec eadem Abdaridùm Ligeris prope fluminis vndam*
*Fudit? & innumeros caedis cumulauit aceruos?*
*Nimirum bello vinci nequit: illa labores*
*Ausa subit duros: inuictaque numen adorat*
*Illa suum, cultumque suum tutatur, & auget*
*Quotidie magis, atque magis. non ire periclis*
*Obuia, non aestus renuit perferre, famemque:*
*Ingrata nec victa siti, nec frigore cedit.*
*Absumptae ne igitur vires? fraudesque, dolique,*

*Insi-*

*Insidiæque omnes, & noxia crimina desunt?*
*Non dabitur Turcis (esto) concurrere nostris,*
*Et Gallis virtute pari, non robore eodem*
*Pectoris, & belli summam gerere artibus iisdem.*
*At dabitur populos odiis versare, dolisque:*
*Ancipitesque metus pauidis inferre tyrannis:*
*Infirmare fidem: dubiis confundere pactis*
*Fœdera, & hinc atque hinc raptare in Tartara prædas.*
*Seu sit Arabs, seu Thrax: numerumque augere nocentũ:*
*Atque iter innumeris sedes præcidere ad altas:*
*Deiecti vnde sumus (miserùm) per vimque, nefasque*
*Tartarei fratres. summis inuisa potestas*
*Cælicolis, iussique imas Phlegethontis ad vndas*
*Exercere iram, & tenebris dominarier atris.*
*His vbi sese acuit dictis inamabile monstrum,*
*Ardua deseruit cæli conuexa, suasque*
*Demisit Stygias penitus se pronus ad vndas.*
*Atque illic iratus adit mæstusque, tremensque*
*Regnatorem Erebi. Laxa sedet ille catena*
*Vinctus, & infesto summum petit aera cornu*
*Nequicquam. & rabie consumitur vsque furenti:*
*Quòd neq; claustra datur, neque vincla exire potestas,*
*Christicolùmque animis varias intexere fraudes,*
*Et superùm regnis speratum indicere bellum.*
*It circum Aligerùm pubes densata nigrantum:*
*Et voces, nutusque silens obseruat, & audit*
*Illius: ac nusquam nisi iussa abscedit ab aula.*
*Tectum ingens, deforme solum, circumdata ferreis*
*Regia parietibus: quam septem ambire feruntur*

*Cocyti stagna alta vadis imperuia cæcis,*
*Et pice torrentes, atraque voragine ripæ.*
*In foribus diræ effigies: Contemptus: edaxque*
*Liuor: & iniustæ Veneris damnata Cupido:*
*Atque moræ Furor impatiens: aurique micantis*
*Sacra Fames: Luxusque vorax: & desidis otij*
*Importuna Quies: expesque Accessus ad vmbras*
*Tartareas, tristisque sedens in limine custos,*
*Impellit flagris alios, aliosque coercet:*
*Et semel ingressos prohibet remeare sub auras*
*Æthereas, placitæque iterum se dedere vitæ.*
*Ergo illi cœno informes voluuntur: & illos*
*Sulphureis demergit aquis niger Ales: & vnco*
*Corripit impacto: atque ardenti versat in igne.*
*Supplicij nullum desit genus: & sua quemque*
*Pœna manet, luiturque suo sub vindice semper*
*Quicquid apud superos sceleris committitur vsquam.*
*Huc sese Ammericæ veniens demisit ab oris*
*Aliger, & properè portas ingressus apertas*
*Constitit ad solium, sæuique inamœna tyranni*
*Limina: & has imo voces è pectore fudit.*
*En adsum, ò princeps tenebrarum, ò maxime noctis*
*Arbiter, externis occulti à finibus orbis,*
*Quem neque adhuc veterum solers industria patrum,*
*Nec sors, nec casus, nec vis humana retexit.*
*Oceano disiuncta latet pars illa patenti,*
*Et procul auersis penitus depressa sub Austris,*
*Nauigijsque hominum, volucrumque imperuia pennis.*
*Hic solido ex auro plenæ tibi turis acerræ,*

Sanguineque humano perfusa altaria fumant.
Hic tibi virgineum florem delibat, & aufert
Impius, innumerasque preces, & vota, sacerdos
Concipit: hic vni magni tribuuntur honores,
Et tibi cunctarum defertur gloria rerum.
Hostis abest: non fama illas perlatus ad oras,
Non dictis, factisve vsquam, non nomine notus.
Ipse illic solus regnas: cultuque frequenti
Solus adoraris: solum te templa fatentur
Et maris, & terræ, tempestatumque potentem.
Quòd nisi quis fidens animo, atque interritus ausis,
Herculeas manibus post secula prisca columnas
Vellat, & Oceanum temerarius ire per altum
Audeat instabili dirimens vada feruida cymba,
Atque intentato positas petat æquore terras,
Nec scopulos veritus, nec cæco in vortice cautes
Naufragas, fluctusque perenni æstate calentes:
Illa tibi (si credis) opis non indiga nostræ
Seruiet æternùm, & supplex procumbet humi gens.
Omnibus hic lecti seclis immota futuris
Sacra canent pueri passim, innuptæque puellæ:
Vt se Tartareos vltro patiantur ad ignes
Mactari, & sontes addici immanibus aris.
Verùm illic dum regna tibi stabilimus, opesque,
Maxime rex, cunctosque Indos in iura, fidemque
Cogimus esse tuam: peditumque, equitumque cateruas
Gallorum vnanimes, totamque sub arma coactam
Vidimus Europam cunctas effundere vires
In Turcas, Arabasque tuos: iamque agmina mille

Conuentura simul properant ad littora Thracum:
Vnde Asiæ limes breuibus disiungitur vndis.
Hanc tu, si sapias, totam tueare necesse est
Imperij sedem, & cultus cunabula nostri:
Perdendumve vltro statuas, tibi quicquid in isto
Paret adhuc terrarum orbi: quosque vnus Auernis
Abdarides deuouit aquis, ad sidera ituros
Doctrinæ, vitæque piæ præcepta secutos.
Hæc ille. & vastas terræ impleuere cauernas
Tartareæ pestes diris vlulatibus: vt cùm
Turba canum queritur stabulis inclusa Molossûm;
Quam sibi diues opum iuuenis venator alendam
Curat, apros, sæuosque lupos, vrsosque daturam
Exitio, vt primùm stellis languescere lumen
Cœperit, & tenebras veniens Aurora fugarit.
Ergo illa interea noctemque exosa, morasque
Ingratas, varijs resonat latratibus ædes:
Dissonaque in longum ducens lamenta, salubres
Abrumpit somnos miseris custodibus. At rex
Nigrantum Aligerûm rabie fera colla tumescens
Horrendum intonuit murmur: quo protinus omnis
Intremuit tellus exterrita: nec minus altam
Substitit in montis faciem maris æquor, & vndas
Vorticibus rapidis trepidos effudit in agros:
Ipsaque perpetuos mutarunt flumina cursus,
Et fontes petiere suos. immugijt ingens
Caucasus: & celsi vertex subsedit Amani.
Postquam autem summis cæli gens exul ab astris
Inuidiæ stimulis questus impulsa profudit,

Et

*Et Phlegethonteis indicta silentia monstris,*
*Lucifer irarum voluens sub pectore fluctus*
*Constitit, & solio ex alto sic turbidus infit.*
*Non equidem, ò magni proles ignaua tyranni,*
*Cum mecum eiecti cælo cecidistis in ima*
*Tartara, vos inter veritus sum defore, qui cum*
*Hostibus assiduum belli certamen obiret*
*Æterni memor exilij: quo cedere victi*
*Cogimur æthereas sedes mortalibus ægris:*
*Quas illi cantus inter, celebresque choreas*
*Militiæ cælestis, & inter gaudia numquam*
*Interitura tenent, segnis rata præmia vitæ:*
*Cùm tenebris nos interea voluamur in imis,*
*Immeritamque hosti pœnam pendamus atroci.*
*Non equidem timui, quin tanti iniuria facti*
*Fixa animo, vltrices cunctorum accenderet iras.*
*Quæ numquam genus humanum requiescere, numquam*
*Pace frui sineret. verùm noctesque, diesque*
*Fraude lacessitum pugna exerceret iniqua:*
*Dum nos parta manu summo victoria cælo*
*Æquaret: nocti nostros addiceret hostes*
*Nobiscum, & pœna victos cruciaret acerba.*
*Nunc autem video, quæ vestra ignauia, vestra est*
*Culpa ingens, solitas desisse intexere fraudes:*
*Desisse vnanimes hortari in prælia gentes:*
*Et versas turbare odijs vrbesque, domosque.*
*Non pudet? ò labes, ò, & turpissima nostri*
*Dedecora imperij, non vos pudet, ire quietos*
*Hesperiæ populos in me, excidiumque meorum?*

Ite procul viles umbræ: quid statis inertes?
Quis vos insolita tardat formidine torpor?
Flagitia, & seræ derisa piacula mortis.
Fœdera si percussa, illo si nomine pacem
Compositam, cuius vim Tartara nostra tremiscunt,
Disijcere, atque animos tantis auertere cœptis
Non sinet ille vnus summi regnator olympi:
Quis vetat inuidiæ flagris accendere Graios?
Ac tentare metu Thracis præcordia regis?
Incœptum qui solus iter remoratus euntum
Consilia, & causas cessandi innectat opertas.
Dixerat: ast olli vario simul ore fremebant.
Incusare alios alij: reprehendere fratres
Aerios, quorum talis data cura labori est.
Dumque adeò ingenti iactant ea verba tumultu,
Exilit insultans Genijs è tristibus vnus,
Infestus scelerum vindex, & nomine Alastor:
Monstrum horrendum, ingens, quo non præstantius vllũ
Irritare animos, & crimina fingere belli:
Exilit: & ventis, & fulminis ocyor alis
Se tulit ad superos Stygijs digressus ab oris:
Præcipitique petit Byzantia tecta volatu:
Et tacitum Odrysij limen, soliumque tyranni
Obsidet: atque animum postquam persensit in omnes
Gallorum super aduentu diducere curas,
Adstitit: atque locum nactus, tempusque nocendi,
Thatinno faciem similis furialia membra
Exuit: in vultus & se transformat amicos;
Thatinno faciem obscœnam cui fœda cicatrix

 Turpa-

*Turparat: truncæque inhonesto vulnere nares.*
*Artificis mira sed enim mox arte refectas*
*Discolor obductæ certo discrimine limes*
*Iuncturæ sceleris pœnam ostendebat aperti.*
*Olli oculi in longum porrecti ad tempora: & olli*
*Turbinis in morem caput exurgebat acutum:*
*Et mentum vmbrarat rigidis rarissima setis*
*Barba: supercilij species depressa iacentis,*
*In pectusque humeri contracti vtrinque redibant:*
*Obtutu immotus, collo breuis, & pede claudus:*
*Sed qui consilijs vnus bellique, domique*
*Auctor haberetur non futilis: esset vbi hosti,*
*Aut ciui, aut fido fraus innectenda clienti.*
*Quæ gratum in primis artes potuere tyranno*
*Reddere Threicio, cunctisque imponere rebus*
*Imperij, populo pariter, patribusque tremendum.*
*Cuius vt adueniens Erebo furialis Alastor*
*Induit os, humerosque sibi, faciemque, manusque,*
*Nec non & vocem, gressumque effinxit euntis,*
*His regem aggreditur dictis, & suscitat iras.*
*Dum tua sollicitis exercet pectora curis*
*Et metus, & patriæ vehemens amor: & noua semper*
*In consulta animum nunc huc, nunc diuidis illuc,*
*Hesperiæ extremis exercitus aduena ab oris*
*Imperij fines nostri populatur inultos.*
*Ille quidem ficto prætexens nomine fraudem,*
*Dum sese, vt Solymis seruilia vincula rumpat,*
*Aggressurum Asiam simulat: Persisque fugatis*
*Euersurum Arabum ferroque, ignique penates:*

*Nimi-*

Nimirum illud agit tantis conatibus vnum,
Vt Graios, quorum nutu nunc omnia parent,
Quæcumque Ionium complectitur æquor, & ingens
Amne Saus gelidum refugit quà deuius Istrum,
Imperio, atque omni spoliet ditione: tuisque
Excutiat sceptrum manibus, iusque omne Quiritum
Occupet inuadens armis. Ea sola cupido
Finibus è patriis Gallos exire coegit,
Non pietatis honos: ritus non cura tuendi
Vlla sui. sedes, alienaque regna lacessunt,
Terrarum vt soli vacuo dominentur in orbe.
Sic olim Thracum fines aggressus, & vrbem,
Cum Brenno extincto Gallis dux additus iret,
(Nam memini sæpe hæc priscos narrare Triballos)
Arua Comontorius Byzantia cæpit, & auri
Vim magnam miseros iussit sibi pendere ciues,
Defensa pœnam pro libertate, quotannis.
Verùm hæc temporibus iamdudum oblita vetustis
Fortè fidem nulli facient exempla. sed illud
Scilicet indicio est, quali sit prædita mente
Gallia, vel quanta flagrare cupidine fuerit
Regnandi, terrasque omni ditione tenendi,
Quòd gens ista suis accommoda tempora rebus
Nacta olim imperii titulumque, & nomen ademit
Per fraudem, & merito Graios spoliauit honore.
Et nunc seruitio tendit premere ausa superbo
Thracibus hic quæcumque tuis regnanda supersunt.
Sed quid ego hæc tibi nunc annalibus eruta priscis
Enumerans verbis onero nimis anxius aures?

Quando eadem Italia nuper nos depulit, & nos
Illyriæ, & Macedûm cunctis decedere terris,
Proh scelus, & fines nostros sibi linquere adegit.
Ac nisi tum virtus tua sese opponeret vltrix
Threiciíq; regni, regno premeremur iniquo
Gallorum, & patriam nobis fleremus ademptam.
Cur igitur nunc non obstas conatibus istis,
Nec molire moram? si non virtute, manuque,
Artibus at saltem fallacibus. indue vultus,
Atque animos, quibus imperio Nicephorus olim
Detrusus summo sedem tibi liquit habendam.
Ne dubita. locus insidijs non defuit vmquam.
Perge modò: &, quà se pandit via præuia fraudi,
I celer, atque dolis populos euerte superbos.
Sperne hominum, Diuûmque fidem: mendacia vincant.
Ipse adero: & nusquam vestigia pressa relinquam.
Vertam omnes me me in facies: nil prorsus inausum,
Aut intentatum patiar mihi, donec ad vnum
Cædibus absumptos videam, morboque, fameque.
Hæc ille. & iam iam certa spe plenus Alexis,
Immo (ait) ò rerum columen Thatinne mearum,
Iampridem ad nostras certos dimisimus vrbes,
Oppidaque, & pagos, qui, si se fortè facultas
Offerat audendi, pacemque, & fœdera rumpant:
Atque ex insidijs, vbi res ferat, agmen adorti,
Quà licet, hinc atque hinc inimicum excindere pergant.
Sin minus: officijs studeant vincire benignis:
Et non inuiti poscentibus omnia præstent.
Nam si obstare palàm mea sola potentia tantis

*Non poterit cœptis, Arabas tamen vsque iuuabit*
*Consilijs, opibusque suis, bellumque morando.*
*Hæc vbi dicta dedit Graiorum ductor Alexis*
*Conticuit: flammisque nouis præcordia sensit*
*Accendi: atque animum stimulis vecordibus vri.*
*Interea, qua parte Saus se fundit in Istrum,*
*Transierat lætus Gallorum exercitus omnis:*
*Aruaque Tauruni, lucosque emensus opacos*
*Mysorum, sublime iugum superauerat Æmi.*
*Vnde hinc Adriacas, illinc Mæotidis oras,*
*Et Pontum spectare licet: breuibusque diremptas*
*Cycladas inter se spatijs: Asiamque patentem,*
*Cui latè affusum magnis anfractibus æquor*
*Fluctifragum glaucis aspergit littus ab vndis.*
*Hinc aliquis tractus, lateque patentia regna*
*Turcarum longè aspiciens: Proh dedecus (inquit)*
*Occupat Abdarides tantum terræque, marisque?*
*Nec nos Christicolum, quos iam parere coegit*
*Ille sibi, nec nos memores virtutis auitæ,*
*Nec patriæ, cultusque pij miseretque, pudetque?*
*Scilicet id melius. bella intestina, necesque*
*Moliri inter nos, viresque absumere nostras*
*Nequicquam, & sæuum Turcarum increscere regnum,*
*Inque dies magis, atque magis radicibus actis*
*Altius, ad cœlum tolli, pars cætera donec*
*Terrarum discerpta odijs, & viribus impar,*
*Ingratis frenum accipiat: cogatur & vnà*
*Flagitijs seruire nouis, ritusque profanos*
*Discere, & in leges gentis iurare rebellis.*


Talibus accensi dictis funduntur in agros
Odrysios, volucri quos flumine concitus Hebrus
Lambit, & aurifera diues fœcundat arena.
Mox autem irriguam gelidis non vnius vndis
Amnis, & auctoris dictam de nomine Orestam
Prætereunt læti: positisque ad mœnia castris
Byzanti, grates Superumque, hominumque parenti
Supplicibus referunt verbis: rebusque precantur
Optatum, qualem sperant ante omnia, finem.
Dumque sacris intenti omnes operantur, & aras
Ante pias astant humiles: animoque labores
Exhaustos repetunt, & secum iter omne reuoluunt,
Aduentare acies Italûm conferta sequentes
Signa vident, tectosque equites fulgentibus armis,
Non procul inde ad se celerem contendere gressum.
Ergo incredibilis, cunctorumque aucta tumultu
Lætitia exoritur subito: seseque vicissim
Hinc, atque hinc acies animis, & voce salutant.
Et tandem venisse locum gratantur in vnum
Incolumes. ingens ferit aurea sidera clamor:
Quo septem Byzanti arces, quo ducta coronæ
Triplicis in morem sublimia mœnia ab imo
Contremuere solo: fluctusque repreßit euntes
Bosphorus: atque iterum, post secula mille reuulsæ,
Inter se frontem Symplegades infregerunt.
At primi heroum proceres, delectaque pubes
Nobilium properè castris egressa reclusis
Sublimes in equis Italûm ductoribus vltro
Occurrunt, dextrasque iuuat coniungere dextris.

*In primis regem Ausonium Gofredus amicis*
*Excipit aduenienis complexibus: atque ita fatur.*
*Maxime dux, nostrarum in quo pars maxima rerũ,*
*Curaque suscepti belli, spesque vna recumbit,*
*En tandem ad fines peruenimus Hellesponti:*
*Metimurque oculis angusti littoris oras,*
*Per quas Argiuum iuuenes transisse feruntur*
*Aurea de trucibus rapturi vellera Colchis:*
*Littoreque in medio pugna strauisse tyrannum*
*Bebrycium, qui se obtulerat venientibus hostem.*
*Quòd si summa Dei vis, atque immota voluntas,*
*Has voluit primùm virtuti opponere fauces,*
*Omen, & indicium belli, quodcumque futurum est,*
*Nos quoque Threicij regis videamus oportet,*
*Num fraudem, num vim iniustam superare queamus:*
*Et, quos insidijs (longa est iniuria) captos*
*Detinet, & vinclis iamdudum, & carcere clausos*
*Heroas, prima incœpti fundamina nostri,*
*Quod minimè putat ille, manu repetamus, & armis.*
*Ne tamen immeritos Thraças credamur adorti,*
*Misimus Odrysio qui bellum indicat Alexi:*
*Et cras, ni nostris properet parere petitis,*
*Vastaturum agros nos passim, vrbemque minetur.*
*Hæc Tullingus, & hæc contra sic Daunius heros.*
*Illum ego tot scelerum pœnam debere suorum*
*Et reor, &, si quid recti mens concipit, opto.*
*Tu modò fac tecum statuas tibi quicquid agendum*
*Esse putes. ego iussa sequar. tamen vsque cauendas*
*(Siqua fides) populi fraudes, & verba Pelasgi.*
*Exper-*

*Expertus moneo: laudis gens inuida nostræ,*
*Inuida virtutis ferro modò victa quiescet.*
*Atque hæc dum secum vario sermone volutant,*
*Considunt acies camposque aggere cingunt.*
*Sole autem Hesperias mox decedente sub vndas*
*Ter sonitum tuba rauca dedit: quo scilicet omnes*
*Admoniti genibus flexis, & ad ardua palmis*
*Sidera sublatis Dominam terræque, polique,*
*Et matrem illius, nostros qui solus ab Orco*
*Vindicat, atque oris animos cœlestibus infert,*
*Voce salutarunt humili: precibusque peractis,*
*Depellunt dapibusque famem, mensisque reponunt*
*Vina: quibus læti sedant curasque sitimque.*
*Interea portas alij, vallumque, viasque*
*Obseruant vigiles: alij defessa labore*
*Membra locant stratis: gelidæque horrentia Lunæ*
*Frigora, & hybernos vitant sub pellibus imbres:*
*Optatosque petunt somnos, animosque relaxant.*

# PETRI ANGELII BARGAEI

## SYRIADOS LIBER V.



NEC minus Odrysiam cingi custodibus vrbem,
Altaque peruigili seruari mœnia cura,
Cùm primùm medijs Gallorum exercitus agris
Consedit, densis Italûm legionibus auctus,
Iusserat Imperij Thracum moderator Alexis:
Et sese cunctorum oculis subduxerat vltro,
Abdideratque domi, stratis defessa daturus
Membra, maris magni dum Sol delapsus in vndas
Solatur dulci mortalia corda quiete;
Et cælum reserat stellis ardentibus aptum.

Ipse tamen pectus curis exercitus atris
Peruigilat, placidoque nequit deponere somno
Lumina; at in varias animum diducere partes
Cogitur, & rerum dubios expendere casus.
Non secus atque olim diuerso ex orbe ruentes
Marmoreum impellunt æquor Boreasque, Notusque,
Alternantque vices inter se, & mutua regnant;
Tolluntur fluctus ad sidera: feruet arenis
Æstus, & eiecta littus conspergitur alga.
Iamque adeò mediæ spatium voluentia noctis
Sidera contigerant, vacuumque Aurora cubile
Oceani linquens nondum fulgere parabat;
Pulcher odoratos Ganges vbi diuidit Indos:
Cum post insomnes horas, & tædia, molli
Infractos lecto tandem mæstissimus artus
Composuit, vigilesque oculos languore remisit.
Sedibus interea ex imis egressus Auerni,
Ne quid inexpertum, ne quid pateretur Alastor
Intentatum à se, quò tanta inceepta morari
Possit, & Abdaridis illatum auertere bellum,
Quærit in aeria fratres regione vagantes:
Depulsos cælo fratres, qui iussa secuti
Impia Luciferi summo detrudere regno
Aeternum voluere hominum, Superumque parentem,
Cunctarum vt rerum domini, cælique potentes
Ipsi essent, primique alta in statione sederent.
At genitor, cuius nutum, dextramque tremiscunt
Sidera, & æternæ mentes reuerentur, ab astris
Deiectos, partim tenebris addixit Auerni,
Partim

Partim autem immensum ferri per inane volantes
Jussit, & impuræ versari in partibus æthræ,
Supplicia, & pœnas tanto pro crimine dantes.
Quàm multæ Libyco turbantur littore arenæ,
Eurus vbi, Zephyrusque mari incubuere profundo:
Aut etiam Arabia in media cum pulueris atri
Insurgunt campis nubes, & lucis egentem
Aera condensæ picea caligine condunt.
Sic cæli obscuras implent immensa cauernas
Agmina, & assiduè flagris immanibus vrunt
Pectora: quorum acres ni vis diuina refringat
Conatus, vnà cunctos in Tartara secum
Ima ferant: tantas instant innectere fraudes,
Et tantum miseros gaudent auertere luce
Siderea, & noctis tenebris damnare perennis.
Huc ergo celerem cursum contendit Alastor:
Et sedes petit infaustas; vbi fœda nigrantum
Turba habet Alituum, quæ per sua somnia miris
Ludit imaginibus mentes, & pectora regum.
Est locus, in terras ruit vnde nigerrimus imber,
Et teneras grando miserè contundit aristas,
Præcipitant nimbi, voluunt maria alta procellæ,
Humanumque genus tonitrus & fulgura terrent.
Illic extorres Genij torquentur, & illic
Concilia, & cœtus agitant, variasque per artes
Circumfusi animis certant illudere nostris.
Quos penes & facies, & monstra immania rerum,
Scyllæque, Sphingesque, & turpia Centaurorum
Corpora, nec tacitæ cædis non conscius horror:

Ac ſcelerum ſuadela, noui ſpes improba regni,
Quæque adeo pauidas impellit ad impia mentes
Vana ſuperſtitio: ſæuiſque adamata tyrannis,
Et recti, & praui certa ſine lege poteſtas.
Quò ſimul adueniens trepidus ſucceſſit Alaſtor,
Accurrere omnes, ſummaque in ſede receptum
Luciferi inferna furiarum ab ſede miniſtrum,
Quid mandet, fieríque velit toto agmine poſcunt.
Ille autem: O noſtro gens acceptiſſima regi,
Spes Erebi, Stygiíque cohors teterrima fratris,
Immenſi quibus ad pœnam plaga turbida cœli
Eſt data, mortali victi cum ceſſimus hoſti
Ætherias ſedes; & pro cæleſtibus oris,
Aeris obſcuros tractus, terræque cauernas
Cogimur horrentes habitare, & frigora, & æſtus
Perferre, & ſoli ſæuos tolerare labores.
Vſque adeò nihil eſſe putat Rex ætheris alti,
Aſſiduuſque, atroxque vltor memorabilis auſi,
Nos cœtu è Superùm, cœlique ex arcibus actos
Præcipites, ſpectare homines ea regna colentes,
(Pro ſcelus) in primis generi quæ debita noſtro.
Cernitis Europæ populos, ſediſque rebelles
Tartareæ, nuper percuſſo fœdere bellum
Decreuiſſe Syris inferre, & tollere ritus
Conſuetos, aliumque animis inducere cultum.
Vt, qui falſa diu fuerint præcepta ſecuti
Abdaridæ, incolumes, perſpecta fraude priorum,
Seruentur, rectaque omnes ad ſidera tendant.
Nos autem in duras nobiſcum impellere pœnas

Possimus nullos, penitus quos odimus, & quos
Post obitum Stygio sontes addiximus Orco,
Ditantes præda semper Phlegethonta recenti.
Erigite ergo animos, & , quam pote quisque per artem,
Afferat auxilium, præstoque ruentibus adsit
Rebus, & Imperij fines, spatiumque propaget:
Communesque altis regionibus arceat hostes.
Hoc iubet; hoc vobis mandat rex magnus Auerni.
Irritate animos; iraque accendite Graios
In populos, quorum, ceu dira piacula, ritus
Depellunt ipsi templorum à limine, & aris
Exosi patrum decreta æterna piorum.
Ite igitur, mentesque simul, sensusque profanos
Jamdudum cœlo auersos spe pascite iniqua;
Insidias vt cum Gallis, Italisque pararint,
Ignorent sese pietatis imagine falli.
His dictis accensa cohors furit vndique, & iras
Euomit, ac cœlum tenebris obscurat obortis.
Inde autem in populos Graium mille agmina, mille
Descendunt acies sublimi ex aere missæ:
Et corda exacuunt, rabiemque furentibus addunt,
Inque Italos raptim, Gallosque erumpere cogunt,
Dum nox atra oculis nebulas offundit opacas,
Et Lunam occultant densa caligine nubes.
At Morpheus inter Genios notissimus vnus
Aerios, cui summa olim permissa potestas
Omnia vertendi sese in miracula rerum,
Ignemque, pluuiumque imbrem, glaciemque, niuemque,
Effigiesque hominum, sæuarumque ora ferarum,
Iussus

Iussus abit: aulamque intrat, thalamumque tyranni
Odrysij; & pressis lecto superastitit alis;
Eustratio vocem similis, faciemque, coloremque,
Et crinem intonsum, rugisque inarata senectæ
Ora, manusque ambas, malasque ætate fluentes.
Eustratio, qui tum custos populique, patrumque,
Sacrorumque adeò princeps peruersa doceri,
Quæ miseri colerent ciues, præcepta iubebat.
Ergo illum vultu referens, procuruus eburno
Incubuit baculo, talesque è pectore voces
Edidit. O quondam cui res est credita tanti
Imperij, Graiùmque vigil tutela sacrorum,
Quæ ritu ceu vera pij statuere parentes,
Perque manus eadem seri excepere nepotes,
Surge, age. sub tanto iam te requiescere casu
Non licet, & totam somno traducere noctem,
Consilio populi moderantem frena, manuque.
Hæc ille effatus tenebris se immiscuit atris.
At rex Threicius toto de corpore somnum
Excutit: atque artus stratis è mollibus excit:
Induiturque humeros saturatam murice lænam:
Et lateri insignem gemmis accommodat ensem.
Tum verò ancipiti versans sub pectore cura
Consilia, & rerum casus, fluctusque seueros
Permetuens, ad se fidos accersit amicos:
Thatinnum ante omnes. quos tecta in regia postquam
Conuenisse videt, positos ex ordine, primùm
Talibus alloquitur solio sublimis ab aureo.
Delecti ò proceres, regni firmissima nostri

Robora, consilio qui nos fulcire fideli
Consuestis, quoties dubiis de rebus ad aures
Rettulimus vestras: &, quæ mens esset, apertè
Testati, mecum ciues seruastis, & vrbem.
Scitis vt insidiis exceptum in tecta, domosque
Adduci, & vigili cinctum custode teneri
Vgontem magnis curarim à regibus ortum,
Ductoresque alios, sumptis quos fortis in armis
Gallia misit auis ad nos, atauisque potentes,
Latronum capita: occiduis qui nuper ab oris
Adueniunt, vrbemque armato milite nostram
Oppugnant, positis ipsa hæc ad mœnia castris:
Quodque magis doleam, ferroque, ignique minantur
Desolaturos agrum, stragemque daturos
Vndique, ni iuuenem actutum reddamus, & vnà
Delatis illuc rebus, quarum indiget vsus,
Omnibus, & Gallos quamprimùm, Italosque iuuemus.
Ac iam tempus adest, orta cum luce vocari
Oratorem opus est regum mandata ferentem:
Reddamus quò nostra illis responsa vicissim:
Oblatam ne vltro pacem iungamus, an armis
Imperii sedem nostri tueamur: & illi
Experti discant Thracum quid fortia possint
Pectora, & vnanimes Graiorum in prælia vires.
Rex hæc Threicius: Sed enim mussante Senatu
Thatinnus, cuius semper sententia quò se
Flecteret, ac rebus laxas daret vnus habenas,
Spectabant intenti omnes, sic ore locutus.
Si quisquam est, rex magne, tuam qui nesciat omni
Perspe-

*Perspectam virtutem orbi, qua clarus ab Indis*
*Sol oriens medias percurrit lampade terras,*
*Et caput Hesperias condit decliuis in vndas,*
*Fortè putet certi tantis in rebus egentem*
*Consilij, certas aliorum exquirere voces.*
*Nunc autem, quoniam melius quid tempora poscant*
*Ipse vnus, tamquam specula sublimis ab alta*
*Prospicis, ò, bone Rex, quàm quos Byzantia patres*
*Curia dinumerat, cum conuenere frequentes,*
*Quis dubitet, quin infestos delere latrones,*
*Non virtute palàm præstet, sed fraude petitos?*
*Nam neque nunc demum quærenda est gloria bello*
*Vlla tibi, quippe illam olim peperere labores*
*Multiplicem, & ducti superato ex hoste triumphi.*
*Sit vicisse satis quauis ratione superbos*
*Prædones, quos vna suis è sedibus actos*
*Impulit externos rabies inuadere fines*
*Ciuilis, patriaque ingens exegit egestas.*
*Hos autem si fraude queas euertere, nulli*
*Obijciens Graiosque tuos, Thracesque periclo,*
*Tum te insignis honos, tum fama æterna sequatur*
*Victorem, laudesque tuas cum laudibus æquet,*
*Tota quibus priscum commendat Græcia seclum.*
*Cum post innumeros anni, Solisque recessus*
*Vnum te ventura ducem mirabitur ætas*
*Deleuisse vagam nostro sine sanguine gentem.*
*Dimittendi igitur donis ingentibus aucti,*
*Quos tua nunc, Rex magne, tenet custodia vinctos,*
*Cum primùm terras radijs aperire patentes*

*Cœpe-*

Cœperit exoriens Aurora, intraque vocandi
Mœnia ductores, simulato & fœdere dextræ
Iungendæ, quò nostra hostem pellamus ab vrbe
Pacatum, post autem Asiæ castella, sitasque
Montibus in summis, cinctas ve palustribus vndis
Oppugnantem vrbes frustra ferroque, fameque
Absumamus, opem Turcis, Arabisque ferentes.
Talia censebat fraudum certissimus auctor
Thatinnus, nutuque omnes consulta probabant
Impia, cum subitò falsis rumoribus aures
Velitis in fatiem versus compleuit Alastor.
Scilicet excubias omni statione relicta
Discessisse procul; nec quemquam castra tueri;
Desertumque suis custodibus vndique vallum:
Nec non & reliquos somno, vinoque sepultos
Ostentare viam, si quis præstantibus ausis
Illustris, Graiumque inter, Thracumque maniplos,
Audeat implicitam tenebris inuadere turbam;
Insuetam tenebris turbam committere pugnam,
Et conferre manus, ignaram hominumque, locorumque.
Hic improuisa mentem commotus Alexis
Tantarum rerum fama, iubet ocyus arma
Expediant, totaque omnes ex vrbe sequantur.
Interea sese, facti quasi totius expers
Deuinctus somno cubet, in penetralibus aureis
Expectaturum, quem tanta audacia finem
Consilijs, rebusque suis imponat: & vtram
In partem sua cœpta ruant: tum protinus illuc
Venturum, quò se casus, tempusque vocarit,

*Aut bellum gerere, aut concepto fœdere pacem*
*Exercere velint, dextrisque adiungere dextras,*
*Legibus inter se, & pactis noua pacta ligantes.*
*Immo, ait Eurytion (famæ namque illius auctor*
*Venerat Eurytion, vni cui credita seræ*
*Noctis, & obsessi præsens custodia muri)*
*Iamdudum sumptis populus tuus assidet armis*
*Pugnæ auidus, nimiumque moras incusat inertes,*
*Dum proceres, summique duces recludere nolunt*
*Obicibus ruptis portam, cui Thracia nomen:*
*Iniussuque tuo prohibent erumpere, & ipsam*
*Linquere nocturnis vacuam custodibus vrbem.*
*At bonus Eumedes, cuius præcordia nullis*
*Attigerant stimulis diræ, obscænæque volucres;*
*Sed pietas, cultusque Dei sincerus, & vnà*
*Intemerata fides, cunctosque illæsa per annos*
*Virtutis miro mentem inflammarat amore,*
*Sustinuit paulum sese: mox pronus vtrisque*
*Submißis genibus canos nudauit, & ipsum*
*In morem venerans adstantem ante ora tyrannum*
*Incipit; atque illum verbis affatur amicis.*
*Maxime Rex, equidem pro te quicumque periclis*
*Obijciet caput ipse suum, natosque, domumque*
*Impiger in dubij mittet discrimina martis,*
*Dum præsens tempus, dum res ita postulat, illum*
*Consulere in medium, & recte sentire fatebor.*
*Nil quoniam metuisse, tamen cauisse decebit*
*Omnia, consilijs patriæ qui iura tuetur,*
*Atque vnam spectat populi, regisque salutem,*

Quis dubitet, quin castra duces, quo densior vmbra
Incubuit terris, & nox accommoda furtis,
Munierint, dubiosque aditus, & strata viarum
Excubijs passim vigilantibus? Haud mihi quisquam
Suaserit, & rigidas glacies superasse, niuesque,
Perpessosque hyemes, ventosque, imbresque furentes
Incolumes, populosque manu fudisse superbos,
Atque viam medios tuto strauisse per hostes,
Oblitos nunc esse sui: lætosque laborum
Ignorare quibus terrarum in finibus errent:
Aut somno, & placida oppressos recubare quiete.
Haud ita Tullingus primis assuetus ab annis
Degere sub dio vitam, tolerare labores
Militiæ, noctu numquam se dedere somno,
Instituit, Syriæ secum quos ducere in oras
Decrerat, bello natos, & fortibus ausis.
Nec nostris nimiùm notus Boemundus, & acer
Virtutis magnum specimen Tancredus auitæ,
Artibus instructi patrijs, non viuida bello,
Ausoniæ decora alta suæ, legisse feruntur.
Pectora, Dalmaticis olim durata pruinis,
Doctaque sub forti Martem exercere magistro.
Scilicet hic demum nocturna ob frigora miles
Iniussus solito vallum custode relinquat
Exutum, noctemque ratus, tenebrasque profundas
Fraude vacaturas, cælo se subtrahet. Esto
Non satius pacem inter nos, & fœdera iungi?
Communemque hostem communi arcere periclo?
Qui nunc Graiorum miseris ceruicibus instat

Asper,

*Asper, acerba minans, vix illum Thracius arcet*
*Bosphorus. atque (utinam vates sim falsus) apertis*
*Mœnibus his tandem, portisque à cardine vulsis*
*Immittet sese. sequitur victoria numquam,*
*Quos bellum premit assiduum, & discordia vexat.*
*In manibus pax est, Rex ò clarissime, nostris*
*Cum populis, quorum inuictas ad prælia vires*
*Armauit pietatis amor, iustumque coegit*
*Bellum inferre Asiæ pro libertate piorum.*
*Tu modo, quod nobis sese nunc obtulit vltro,*
*Consilij si quicquam in me est, citus arripe, & istam,*
*Quæ tibi suspectos Gallos facit, exue mentem.*
*Hi tecum iungentur enim certare parati*
*Officijs, hostesque vnà depellere Turcas,*
*Et proferre tui longè confinia regni.*
*Hæc bonus Eumedes: nusquam tamē impia flexa est,*
*Aut commota loco Thracis sententia regis.*
*Stat casus tentare omnes, quacumque paratam*
*Ostentat res nata viam, spemque addit auenti.*
*Namque illum tantis auersum à rebus agebat*
*Inuidiæ dolor vsque comes, generosaque pubes*
*Hesperiæ antiquæ, regnum paritura, decusque*
*Ablatum Graijs Arabum virtute tyrannis,*
*Terrebat suspensum animum, imperioque timentem.*
*Atque ita, consilijs postquam peioribus vti*
*Ipse volens statuit, melioraque reppulit, vltro*
*Eurytiona vocat, tacitumque educere porta*
*Imperat instructos pedites, quos candida circùm*
*Vestis eat, retegens humeros candore niuali.*

Dissimulet tamen interea se talia iussu
Moliri alterius, cœptisque insistere tantis.
Paruit Eurytion dictis: populumque sequentem
Sponte sua, Dirisque actum furialibus vrget
Ad cædem, atque animos cunctorum hortatibus implet.
Ite viri: vobis oblatum optabile tempus
Fortiter audendi est: nox intempesta tenebris
Vsque suis, cælo incumbens vos ad sua belli
Furta vocat: iacet hostis humi madidusque, tremensque:
Nec capere arma queat, quamuis velit, horrida passus
Frigora, & insomnis partem vigilare coactus
Noctis ad extremam: nunc somno mergitur alto:
Infractosque artus strauit sub pellibus. ite:
Este viri, patriæ memores: victoria nostris
In manibus: sibi quisque animos, viresque ministret.
Dixerat: atque illi, rapidi ceu flaminis auræ,
Quà data porta ruunt: & spe sibi destinat vnum
Quisque ducem, aut cæsi exuuias iam præripit hostis:
Seque cupit, speratque, suam qui primus in vrbem
Victor ouans referat quæsitum ex hoste triumphum.
Vt, cum præcipites summo de vertice montis
Ima petunt aucti pluuijs hyemalibus amnes,
Quos circumiectæ moles, & saxa retardant,
Triste fremunt, cautesque albent aspergine, & ingens
Voluitur hinc, atque hinc tumefacto gurgite vortex,
Impetus vndantum donec præruptus aquarum
Arctis incubuit claustris; & vi via latè
Perque humiles vicos, obstantesque acta per agros.
Haud secus Odrysia prorupit ab vrbe iuuentus:
Impa-

*Impatiensque moræ rapidos contendere gressus*
*Speratam ad cædem demens pergebat: & alter*
*Alterius celerabat iter. iamque ardua longè*
*Mœnia Byzanti festina reliquerat alti,*
*Cum Fabaris, Clytiusque, ducum quibus vltima iussu*
*Credita contigerat seræ custodia noctis,*
*Senserunt tacitæ per amica silentia Lunæ*
*Accedentem hostem: propiusque in castra ruentem.*
*Atque ambo: arma, arma fremũt: concurrite ad arma,*
*O socij ferte arma manu, date tela, propinquat*
*Ferro accincta acies: &, quæ recludere vallum*
*Audeat, audenti ni tela opposta resistant.*
*Hæ simul exceptæ voces, simul excita pubes*
*Gallorumque, Italùmque omnis concurrit ad arma:*
*Ac de more cauis castrorum in turribus hostem*
*Expectant stantes alto super aggere, quo tum*
*Quisque loco veniens primùm, quaque arce resedit,*
*Pontibus insidunt iunctis, densique tuentur*
*Loricam valli lento de vimine textam.*
*Ast Itali, Gallique duces Tullingus, & acer*
*Appulus, atque animo præstans Tancredus in vnum*
*Conuenere locum; queis se duo fulmina belli*
*Addiderunt omnis expertia corda timoris*
*Roberti; Stephanusque armis superare, manuque*
*Doctus, & hostiles euertere fraude phalanges;*
*Nec non Tectosagùm ductor Ramundus auita*
*Laude ferox, vi sæpe tamen qui fretus aperta*
*Contuleratque manus, victosque fugauerat hostes.*
*Affuit & Medix, claræ cui gloria vitæ*

Dulcis erat tantum, ceu dedecus instar acerbæ
Mortis, adhuc quamuis iuuenile inglorius æuum
Egerat assuetus cursu præuertere Cauros,
Æqualesque inter duram exercere palæstram,
Tum primùm flaua spargens lanugine malas:
Formosæ sed enim decus immortale iuuentæ
Absciderat crinem, solidoque obtexerat ære.
Seque illi veterum generosa à stirpe Quiritum,
Queis post euersas sedes, & mœnia Romæ
Umbrorum populi se commisere regendos,
Progenitus, comitem venienti Vrsanius vltro
Addiderat, forma, & iuuenili ætate superbus:
Quique adeò magno magnis heroibus iret
Par animo, & miro laudis flagraret amore.
Quare auidus factis illustrem extendere famam,
Vt primùm tanti rumor percrebruit ingens
Incœpti, passimque Italis vulgatus in oris,
Contulit extemplo Dauni se in castra, volentem
Scilicet ex tanto pacis, belliq́ue magistro
Discere virtutem iam tum, verumq́ue laborem,
Præcessurus auos longè præstantibus ausis.
Hic igitur Medici paribus se passibus æquans
Contiguum læuo lateri coniunxerat, vt cum
Sustulit Oceani lætum iubar æquore vultum,
Aeraq́ue illustrans radios effudit olympo,
Si fortè ætherius sese comes addidit ignis,
Ætherius Iouis ignis, & ore affulsit honesto,
Incedunt rutili, tenebrasque, & nubila vincunt.
Quos circumfusos acuens hortatibus heros
Tullin-

*Tullingus breuiter sic est affatus: Auebam*
*Ipse equidem, ò socij, fratrum generosa meorum*
*Pectora, in Arabias gentes firmissima cœpti*
*Fundamenta pij, solos inuadere Turcas,*
*Pellereque obsessa Solymorum ex arce: nec enses*
*Interea Graio fœdari sanguine nostros:*
*Sed quoniam Euxini fauces transmittere Ponti*
*Non licet illorum multa sine cæde; sequamur*
*Quò Deus, & rerum series vocat vna, cietque.*
*Haud etenim vis vlla potest non iusta videri,*
*Cuius ope infensos tuti propellimus hostes.*
*Quare agite, ò proceres, postquàm Commenius vltro*
*Nos petit: & vino credit, somnoque sepultos,*
*Quamprimùm votis aliquem decernite vestris,*
*Qui properet celerem castris educere turmam,*
*Circumiens medios longis anfractibus agros,*
*Sentiat exclusos dum longè à mœnibus hostes,*
*Ne faciles cuiquam pateant, tutique receptus.*
*Dixit. & vnà omnes tanti sibi munus honoris*
*Deferri petiere animis, & vocibus ijsdem;*
*Graiorum, Thracumque dolos, & verba perosi.*
*Tullingus sed enim splendenti in casside sortes*
*Misceri, ducique iubet: Dux Appulus vrna*
*Exijt. isque Italos auersæ à limine portæ*
*Castrorum egressos latis agit auius agris.*
*Atque vbi iam Septem non longè à Turribus ire*
*Se videt, Ausonium deflectere protinus agmen*
*Imperat, & versos à tergo inuadere Thraces.*
*Illi autem interea densa testudine Gallos*

Aggres-

Aggressi iaculis primùm, leuibusque sagittis
Pugnam ineunt: alij scalis ascendere vallum
Obnixi, & curuis diuellere falcibus audent.
Hic Lycabas patre Argolico, genetrice creatus
Ismaria, suetus qui fas miscere, nefasque,
Ausus erat Phylyres thalamum incestare nouercæ,
Ac tum Threicio Regi gratissimus vnus:
Primus in excelsam coniecit lampada turrim,
Quæ lateri astabat portæ. vagus ignis adhæsit
Parietibus summis; mox ad fastigia tecti
Ascendens, perque ipsa simul dilatus ab Euris
(Nam flabant tum fortè Euri vehementius auræ)
Castra furit, nilque illæsum, intactumque relinquit.
Tunc ille: O ciues, Deus, en Deus ipse secundat
Nostra incœpta, inquit, quos non potuere pruinæ
Illyriæ, densæque niues absumere, & imbres:
Scilicet efficiunt obiecta incendia, ne se
Expediant, nève arma armis opponere possint.
Ite viri mecum, mediaque irrumpite porta.
Hæc mea nunc primùm valuis impacta securis
Recludetque aditus, & castra inimica, dabitque
Corpora multa neci. Iactanti talia guttur
Aggere de summo iaculum transuerberat ingens.
Atque ictu costas veniens perrumpit eodem
Phradmonis Arcadij: Lycabam qui fortè secutus,
Exul ob infusum fratri, natisque venenum
Venerat in Thracis regnumque, vrbemque tyranni,
Hærebatque illi pediti pedes. egit vtrumque
Ad mortem vulnusque vnum, nox vna, manusque
Vna,

Una, eademque Orco sontes demisit, & umbris.
Non secus ac gemini rigidis ceruicibus angues,
Vere nouo cum fortè latent in graminis herba
Impliciti variis circùm squalentia nodis
Pectora, si propius messor se contulit, ambo
Ilicet exoluunt sese, pariterque feruntur
Horrida porrectis edentes sibila collis:
Ille autem prato falcem supponere doctus
Uno vtrumque caput venientibus amputat ictu.
Vulnere sic Lycabas, sic Phradmon stratus eodem
Abiecere animos, & verba minacia, primi,
Qui patrios fuso fœdarint sanguine campos.
Ni prior Eurytion pugnæ stimulator iniquæ,
Et fraudum tantarum auctor, dum feruidus instat
Molibus, èque alto raptas trahit aggere crates,
Percussus dura cecidisset tempora glande,
Effractoque sinum sparsisset, & arma cerebro.
At reliqui, quorum infelix spe pectora inani
Luserat Eurytion, simul ac videre peremptum,
Concessere retro. namque illos grandinis instar
Saxa super, vastæque trabes, & tela ruebant:
Ac dextra, læuaque procul sine more furentes
Liuentis plumbi glandes, celeresque sagittæ
Emissæ arcebant castris, longeque fugarant
Iamdudum exanimes atra formidine Graios:
Præter eos, qui turbam inter, gemitusque, fugamque
Adterram dederant perfossum vulnere corpus.
Nec tamen hæc nulla sine cæde incœpta suorum
Euenere piis. Nam dum super aggere turres
Castro-

*Castrorum hinc, atq; hinc properant absumere flammæ*
*Iniectæ, & longè dant clara incendia lucem,*
*Eminus immissis vnà periere sagittis,*
*Quarum acies fuerat letali infecta veneno,*
*Iccius, Agrauius, Contus, Celtillus, & Ægeus,*
*Cumque Accone Clephis, prolesque Indonis Alauda:*
*Indonis, qui quondam inter regnauit Iberos*
*Prædiues, sed enim rebus mox exul iniquis*
*Fugit inops procul ad fines, & tecta Vocatum,*
*Tarbellosque acres, Bigerronesque, coactus*
*Externo patrium Sicorim mutare Garumna.*
*Neruius hos, Atrebasque ferox, Morinusq; sequuntur.*
*Traiectus frontem Morinus; læuamque papillam*
*Neruius; ast Atrebas intortæ verbere fundæ*
*Aggere semianimis fossam reuolutus in imam.*
*Ipse tamen Charilas, Gyndesque, & fortis Hiempsal,*
*Conserti ordinibus, pontes vt fortè tenebant,*
*Sese oculis Graiùm certatim exponere pergunt,*
*Inuitantque hostes vltro conscendere vallum,*
*Et conferre manum, & letum pro laude pacisci.*
*Eia agite, ò densis solùm confisa tenebris*
*Agmina, quid statis? Vos huc, vos orta repente*
*Lux vocat: en ómnes imbrique, geluque iacemus*
*Torpentes passim, correptaque corpora flamma,*
*Atque oculos cæci fumo comburimur atro,*
*Et nusquam stabiles vestigia pressa tuemur.*
*Hæc Auscus, bellis Auscus bonus. hæc quoque gentes*
*Inter Aquitanas nota virtute Garumnus,*
*Tonsillusque ferox, nocturnaque prælia doctus*

Orgeto-

Orgetorix miſcere manu,& diſcedere victor.
Et ſimul ingeſtis multos in tartara trudunt
Aclidibus,ſudibusque etiam,gæſisque,ſparisque,
Inque agmen ſuetis inferri hoſtile verutis.
Dumque hæc non vna caſtrorum in parte geruntur,
Daunius à tergo veniens inuadit Achiuos
Auerſos,Thracesque ſibi nil tale timentes:
Atque odijs animum patrijs accenſus,& ira,
En qui nos (inquit) cæca per tempora noctis
Appetiere dolis?ſunt,en ſunt ſcilicet ijdem,
Qui veſtrum aſpectum ferre,& conſiſtere contra
Epiro in media numquam potuere,ſed armis
Deuicti veſtris campo fugere relicto,
Relliquiæ infames,pugnasque exoſa iuuentus,
Somnique,atque epulis,& luſtris dedita pubes,
Ceu perſæpe feræ deprenſæ in ſedibus hærent.
Dixit:& extemplo vagina interritus enſem
Diripit.illum omnes manibusque,animisque paratis
Præcipites primam in pugnam,cædemque ſequuntur,
Inque auerſa ruunt Graiorum terga:rapaces
Non ſecus atque lupi,quos alta excedere ſylua
Dira fames,lucisque vagæ mora tarda coegit,
Si quando longo paſcentes agmine ceruos
Ire vident,primùm taciti veſtigia ponunt,
Mox propius ſaltu ſimul exiluere,feruntur
Unà omnes:adiens hic illum euiſcerat atris
Dentibus:ille altum traiectum vulnere fauces
Occupat,& rabido diſcerpit viſcera morſu.
Sic Daunus,ſic Auſoniæ delecta iuuentus,

Inuasere aciem Graiorum in terga ruentes.
Atque hic ante alios ferro Boemundus acuto
Aggressus Sagarim (Syrij vetus incola Orontis
Ille erat, & Turcis Daphnem patefecerat vrbem)
Sternit humi, gladiumque adigit per colla volenti
Dicere, ni vocem pressisset vulnus euntem.
Huic etiam adiungit Cotylan, Phaestumque, Lycumque:
Quos Chromio Thraci Baeota eduxerat Arne:
Fortunata parens Arne, nisi Daunius ensis
Tergeminos vitae spoliasset lumine natos.
Iamque adeò extremum perruperat agmen; & alta
Caede madebat humus, cum versae in castra cohortes
Se sensere premi, frustra sua coepta, dolosque
Conatae ad finem perducere: nec sibi Thracis
Limen ad Odrysium portae superesse receptum:
Quare auidus turbarum auctor, rerumque nouarum,
Quo prodente olim regnandum accepit Alexis
Imperium, & patria exegit Nicephoron vrbe:
Non armis opus est, non viribus, inquit Achillas,
O ciues: quod quisque sibi, spesque vna salutis
Suadet iter, celer arripiat, seque ipse periclo
Subtrahat incolumem; nec vocem, aut vlla moretur
Iussa ducum: cladem ingentem namque Italus illinc,
Hinc Gallus fronti incumbens, tergoque minatur.
Talia dicentem, Graiosque in tuta vocantem
Opprimit acer eques portis emissus apertis.
Atque illum agnoscens procerum corpore, & armis
Indutum varijs, & clara voce canorum,
Accurrens Calabri generosa à stirpe Bryenni

Aegi-

Ægilus, impacto medium discriminat ense.
Ille cadit, multoque humectat sanguine terram.
I, nunc, & dominos, scelus exitiale, potentes
Venali iam prode fide. data præda iacebis
Alitibusque feris, canibusque voracibus, inquit.
Mox hominem exosus penitus crudelibus explet
Supplicijs animum merito pro crimine sumptis.
Inde abiens subit Alcathoum, iuxtaque Menætem,
Et Chromin, & Peucum, & proiectis Dorylon armis.
Ast alia de parte Italûm dux Appulus ense
Latum limitem agit, totoque ex agmine lecti
Corporibus passim cæsis, agrosque, viasque
Consternunt iuuenes, nec quisquam ex hostibus ausus
Præterea Ausonijs inimicum obuertere pectus
Substitit, aut memor ipse sui, sociûmve suorum.
Ergo illi veluti pecora inter inertia tigres
Quà se cumque ferunt, certo dant agmina leto.
Vt, cum prima æstas agros flauescere cogit,
Viuidus & nusquam graciles alit humor auenas,
Nec pluuia nocturna sitim iam pabula sedant,
Omnia sed raucis resonant arbusta cicadis
Sole sub ardenti, postquam explicuere maniplos
Agricolæ, frumenta metunt: iacet ilicet omnis
Fusa seges: campus sectis operitur aristis.
At pueri, Medix, Vmberque Vrsanius albo
Vectus equo, galeaque caput contectus vterque,
Ambo annis, animisque pares, quos Daunius heros
Accierat secum nocturna ad prælia ductos,
In confertam aciem gladios strinxere micantes.

Hippophilum Medix, & Halorum Vrsanius, vltrò
Dum verbis Graios, Thracesque hortantur, & vrgent
In pugnam, certoque loco consistere cogunt;
Interimit Medix traiecto in pectora ferro,
At caput auulsum ceruice Vrsanius aufert.
His alios, aliosque addunt, & corpora gaudent
Fundere humi, gladiosque vnà maculare, manusque.
Vt primùm gemini florenti ætate leones,
Postquam visceribus cæsarum à matre ferarum,
Sanguineque expleri ventrem assueuere recenti,
Syluarum egressi latebris, patremque secuti,
Inuasere pecus, læti committere cædem,
Dant stragē, atq; auidi dentesque, vnguesq; cruentāt.
Jamque Oriens totum radijs patefecerat orbem;
Cùm tuba Tullingi iussu desistere cœpta
Clara iubet, prohibetque vltra procedere pugnam.
Non huc, vt Graios patrijs pellamus ab oris,
Atque animum effuso saturemus sanguine Thracum
Venimus, ò proceres. nobis satis inde, superque
Pœnarum exhaustum; reliquis ad patria tutus
Mœnia sit reditus. Dixit Tullingus: & vnà
Assensere omnes. sed enim densata iuuentus
Gallorum Ausonijs acies sociarat amicas;
Inque vrbem inuitis ductoribus acta ruebat.
Nuntius interea Regis perfertur ad aures
Odrysij, & trepidis implet rumoribus vrbem:
Scilicet innumeros ciues cecidisse, ducesque
Et nunc Ausonios, cunctosque vno agmine Gallos,
Omnia quamprimùm ferroque, ignique daturos

Aduentare animis immani ardentibus ira.
Ergo alij ad portum celeres, nauesque paratas
Tendere, & ignotis sese committere Ponti
Cautibus, ac syluis: alij tellure sepultas
Abdere opes, fidisque aurum mandare latebris,
Pocula, christallum, vestes, gemmasque nitentes.
Multi etiam sacris natos, sua pignora, templis
Credentes, miseris rumpebant questibus auras.
Nulla domus, via nulla nouo non mista tumultu:
Hostiles quasi iam ruerent in tecta cohortes;
Atque antiqua Lygos flammis absumpta iaceret,
Et flueret sanguis manantibus vndique riuis.
Audijt exanimis, tristique exterrita fama
Irene, veterum claro sata sanguine regum.
Quæ quamuis Thraci coniux optata tyranno
Contigerat, thalamumque volens, lectumque iugalem
Innumeros concordi animo sociarat in annos;
Graiorum ritus tamen vsque exosa rebelles
Protinus à prima pietatem ætate colebat,
Quam prisci docuere patres; docet ipse per omnes
Terrarum tractus constanti mente colendam
Christicolûm custos, immensique arbiter orbis
Romanus genitor, rerum cui summa potestas.
Illa igitur postquam tantum impendere periclum
Graiorum, Thracumque vrbi mæstissima vidit,
Extemplo ad Superos palmas vtrasque tetendit,
Et genibus flexis, sparsoque in terga capillo,
Ante pias, quas rite domo interiore locatas
Virginis intactæ partu sacrauerat aras,

Pro-

*Procumbens imo voces è pectore fudit.*
*Diua parens, cui se totus patefecit olympus,*
*Aligerumque chori sublimi ex æthere missi*
*Nocturnum insueto complerunt aera cantu,*
*Cum primùm in teneras veniens se protulit auras*
*Filius æterni patris: quem Nuntius ales*
*Militia ex alta lectus prædixerat olim*
*Intactam completurum tibi protinus aluum.*
*Si te vmquam mouere preces castæque, piæque,*
*Vllius, auxiliumque vltro miserata tulisti,*
*Affer opem lapsis, Virgo sanctissima, rebus:*
*Et procul ò, tantam nobis auerte procellam,*
*Coniungens belli percusso fœdere in vnum*
*Graiosque, Ausoniosque duces, Gallosque feroces,*
*Quò tota immanes Asia depellere Turcas*
*Possint, & certam Solymis afferre salutem.*
*Audijt, & tanti partem succedere voti*
*Virgo dedit: partem effundi permisit in auras.*
*Threicia vt Gallos, Italosque auerteret vrbe*
*Annuit. at Graios furiata fœdera mente*
*Iungere non vetuit, fraudesque ex more parare.*
*Namque vt erat pedibus nudis, lachrymisque decoras*
*Interfusa genas, thalamum mæstissima coniux*
*Coniugis intrauit, solasque ita fatur ad aures.*
*Non ego consilium, Dux inuictissime Graiùm,*
*Afferre in medium veni: nec, si qua Senatus*
*Instituit concors, ausim impugnare: maneto*
*Immotum quicquid tua mens, & certa voluntas*
*Immotum esse iubet. (quamquam ò) sed cæca sequantur*
*Maio-*

Maiores consulta patres. res poscere præsens
Præsentem me cogit opem. iam mœnibus instat
Effusus castris Gallorum exercitus omnis.
Et, nisi supplicibus verbis represseris hostes,
Direptasque domos, spoliataque templa videbis,
Inq; tuos adigi natos, mea viscera, ferrum.
Dixerat. & lachrymis manantibus ora rigabat.
Atque illam verbis sic est affatus Alexis,
Arcanum occultans imo sub pectore sensum.
Iamdudum, ô nostri pars iucundissima lecti
Irene coniux, cui summam credere regni
Et rebus spectata fides, atque anxius in nos
Cogit amor, necnon ingens prudentia, certos
Misimus, hostiles precibus qui mitibus iras
Extinguant, pacemque petant, & nomine nostro
Excusent tanto maculatam crimine noctem.
Quoque magis, quæ nos volumus, confecta reportent,
Ductores vnà Gallorum adiunximus omnes,
Quos olim imperij fines hostilibus armis
Protinus ingressos acres cepere Liburni,
Et vinctos misere nouam Byzantis ad vrbem.
Unde hodie primùm recluso carcere læti
Discessere omnes, ostrumque, aurumque ferentes,
Munera principibus, farrisque albentis aceruos,
Dona laboratæ Cereris: queis addere visum est
De Methymnæis liquentia vina racemis:
Nec non & domita nondum ceruice iuuencos,
Tergaque cæsa suum, vestesque in vulgus inemptas:
Multaque præterea, quæ postulat vsus, & vnà

Ire ſacerdotes omnes longo agmine iuſſi,
Supplicis in morem populi, manibusque gerentes
Sublimem præferre crucem: cui fixus inhæret
Rexque, paterq; hominum Chriſtus Deus: èque repoſtis
Templorum eductas adytis, arisque verendis
Effigies Diuûm, vitæ ſimulacra beatæ;
Oſſaque relliquias Procerum, cineresque piorum,
Pro clypeis, denſisque haſtis obtendere ſacros:
Et precibus certam, lachrymisque expoſcere pacem.
Nec tamen interea multo non milite circùm
Seruari obſeſſæ muros mandauimus vrbis:
Debeat vt iam vis non vlla externa timeri.
Aude ergo, ò coniux rebus confidere noſtris:
Nec tantos tibi finge metus: mihi multa ſuperſunt
Millia, quæ campis ineant certamen apertis,
Si ſit opus, patriasque domos tueantur, & aras.
His dictis, Irene animum lætata receſſit,
Quò ſe mane pius conſueta ad ſacra ſacerdos
Indutum lino, tunicaque albente pararat.
Interea caſtris Gallorum egreſſa iuuentus
Venerat Odryſiæ vicina ad limina portæ:
Et fors ingenti proſtratis ariete muris
Ilicet irrumpens tremefactam incenderet vrbem,
Obuia ni patrum ſeries, & turba piorum
Nuda pedes, ſupplexque oculis lachrymantibus iras
Diminuant: poſitaque animos feritate retundant.
Nam quos nec procerùm voces potuere, nec vlla
Iuſſa ducum ſubita reuocare à cæde furentes,
Excidioque vrbis, ditisque cupidine prædæ,

*Cum primùm videre Crucis venerabile signum,*
*Ardentes cecidere animi, compressus & omnis*
*Impetus, & cuncti genua inflexere manipli,*
*Abiectis ad terram armis (mirabile visu.)*
*Hic verò lætis exceptus vocibus Vgon,*
*Et plausu, fremituque virùm, sic lætus ab alto*
*Fatur equo: Non ista Dei sine numine certo*
*Eueniunt; qui nunc iras crudescere vestras*
*Non sinit: & sæuos quamprimùm inuadere Turcas*
*Nos monet: atque acres stimulos sub pectore vertens*
*Votorum immemores, animique incusat inertis:*
*Otia qui passim ducendo ingrata moremur*
*Soluere Pontifici, quod iam promisimus, & quod*
*Vnum se debere Deo mens conscia cuique est.*
*O socij, en vobis, quos dudum Argiuus Alexis*
*Carcere conclusos summa retinebat in arce,*
*Adsumus incolumes cuncti, ferimusque vicissim,*
*Quæ tantis addant immensum rebus honorem,*
*Atque incæpta iuuent fidei concredita nostræ.*
*Namque offert rex ipse suas in prælia vires,*
*Et facto vnanimes sociari fœdere dextras*
*Ipse petit, parsque esse cupit non parua laborum*
*Tantorum, nobis quos impendere videmus*
*Cum primùm Syriæ fines exercitus intret.*
*His dictis acies confestim iter omne relegit*
*Ductores comitata suos: illisque diebus*
*Threicias arces nullis, & castra negatum est*
*Visere, & Odrysios impune errare per agros.*

Ipsi etiam in speciem contractæ fœdere pacis
Ad cœnam proceres iterumque, iterumque vocati
Venere ex castris in regia tecta frequentes,
Hospitio, & dubijs ausi se credere mensis.
At rex euentu rerum deceptus, & expes,
Viribus indubitansque suis, timidusque futuri,
Vertitur huc animo, atque illuc, placitumque recusat.
Consilium in Thrace Gallosque, Italosque morandi.
Ergo alias imo vertit sub pectore fraudes:
Quarum ope se, Graiosque suos formidine soluat
Præsenti, & proceres Arabis concedat in astus.
Iamque epulis inter citharas, cantusque peractis,
Postquam exempta dies placido sermone, poloque
Postera nocturnas Aurora fugauerat vmbras,
Accitos ad se verbis affatur amicis.
Audite ô proceres, animisque hæc figite vestris.
Turcarum (ceu fama fidem vulgata reportat)
Ductor ad Euphratem trepidus confugit, vt illinc
Euocet in Syriam Persas, Arabasque rebelles,
Versurus totas in vos vno agmine uires,
Quas vel in extremis oriens Sol aspicit oris.
Hinc igitur, Graio si qua est prudentia regi,
Si qua fides verbis, si quis rerum insitus vsus,
Corripienda via est; ne qua mora tardior obsit.
Nos classem ingentem dabimus, lembosque paratos,
Tertia cum terræ lux orta retexerit orbem.
Quin & consilio tanta hæc incœpta, manuque,
Auxilijsque nouis, fuluoque iuuabimus auro,

*Cum primùm Syrus exercitus ingruet oris,*
*Inuadetque altas Turcarum interritus arces.*
*Hanc vltro sine fraude fidem damus. hoc libet ambos*
*Fœdere vinciri populos socia arma ferentes:*
*Communem communi animo oppugnemus vt hostem.*
*Dixerat. & superi Regem testatus olympi*
*In templum perrexit, vbi multo ante sacerdos*
*Facturus sacrum solemnem ornauerat aram:*
*Inque vocaturus demissam ex ætheris oris*
*Sanctam Auram, Graiorum Auram de more vocatam.*
*Quæ simul ac populus perfecta ex ordine sensit,*
*Discessere omnes, seque in sua tecta tulerunt.*
*At rex Threicius multis comitantibus ibat*
*Nunc septem ostentans surgentem in collibus vrbem,*
*Vnam, quæ magnæ contenderit æmula Romæ,*
*Marmoreasque ædes, factosque ad publica circos*
*Munia, cum ludos exercet læta iuuentus:*
*Nunc templum æratis centum sublime columnis,*
*Templum immane, ingens, gemmisque, auroque superbũ,*
*Æquatum vasti superis opus ætheris oris,*
*Vix ope mortali, vix vllo imitabile seclo.*
*His etiam Pario surgentes marmore thermas,*
*Sublimesque arcus, atque ære rigentia signa*
*Addit, & Hippodromi spatia, immanesque colossos,*
*Et tripodas Phœbi, serpentisque ora trifaucis,*
*Magnanimùmque olim monumentum insigne Laconum.*
*Atque hæc victores, inquit, posuere Pelasgi,*
*Vnanimis bello Medos cum Græcia fudit;*

Et Pelusiacis raptos auexit ab oris,
Ætas quos Soli sacrarat prisca obeliscos.
Mox & multiplici substructum fornice pontem,
Nec procul astantem fulgenti ex ære draconem
Ostendens, matres celebrant vbi sacra Mimanti,
Subijcit: Hic steriles (Diui quæ gratia) sæpe
Senserunt grauidum lætæ turgescere ventrem,
Ni precibus numen surdas obstruxerit aures.
Hinc portum inuectos, similem cui nullus in orbe
Vidit adhuc, quamuis tutus secura Monæcus
Ostia, & immota iactet statione recessus,
Euxini iuuat angustas inuisere fauces;
Et loca delectis lustrata heroibus olim;
Quorum etiam nunc Hesperias vulgata per aures
Circumfert meritos fama immortalis honores.
Hic Amycum Pollux immani corpore victum
Tyndarides prostrauit humi, Bebrycasque furentes
Amissum ob regem, ferro extinxere Pelasgi;
Et læti prædam ad naues egere recentem.
Fluctibus hic ijdem iactati, atrisque procellis
Peruenere oculis orbatum ad Phinea; quem tum
Vexabant raptis epulis ex ore, manuque
Harpyiæ immundo fœdantes omnia tactu.
Sed gemini iuuenes, Boreæ fortissima proles,
Obscœnas Erebi volucres pepulere fugatas.
Ipse autem meriti Phineus haud immemor huius
Edocet ignaros Minyas cursusque, viæque,
Qua ratione queant truculentum irrumpere Pontum

*Cyaneas inter cautes, dum fluctibus actæ,*
*Altera in alterius frontem defertur, & imas*
*Suscitat in cælum pelago exultante procellas.*
*Talia narrabat prisci non inscius æui*
*Rex Thracum: atque animos magnæ virtutis auentes*
*Tantarum imprudens laudum inflammabat amores;*
*Et simul Odrysiam lætos reuehebat in vrbem.*

PETRI

# PETRI ANGELII BARGAEI

# SYRIADOS LIBER VI.



*AMQVE adeò terras primis nox atra tenebris*
*Induerat, præcepsque polo demiserat vmbram,*
*Cum proceres, lectique duces in castra reuersi*
*Consilio referunt Thracis promissa tyranni,*
*Et firmata palàm constanti fœdere pacta.*
*Quæ vulgi fremitu, varioque excepta coronæ*
*Assensu, passim expendi non vocibus iisdem,*
*Non animis cœpere. Velut cum turbidus Auster*
*Aduersa cœli veniens à parte lacessit*
*Æquor, & in pugnam Boream vocat. ille vbi ab alto*

Cardi-

*Cardine prorupit, medio se marmore fluctus*
*Incursant, dubitatque maris, cui pareat, vnda.*
*Quæ pater Addemarus (namque illi cura sacrorum,*
*Et tanti fuerat cœpti commissa) volebat*
*Vnius ad certos nutus, & iussa referri.*
*In mediis ergo ductoribus hæc ita fatur.*
*Cuncta equidē, ò proceres, patrio quos orbe profectos*
*Diuersos variæ claram Byzantis ad vrbem*
*Portauere viæ, bello quæcumque gerendo*
*Confieri possunt, cura confecta fideque*
*Esse reor. Non vos vllæ glaciesque, niuesque,*
*Fluminaque, & montes, mediis non æstibus ignes*
*Solis inardentes, intempestæque paludes,*
*Non Graiùm insidiæ, non tela aduersa, facesque*
*Tantum iter ingressos vsquam potuere morari.*
*Nunc autem, quando incolumes peruenimus omnes*
*Thracis ad imperii fines, & littora Ponti,*
*Quisque suum, cui tum libuit parere, secuti*
*Ductorem, patriæ dulces cum liquimus oras,*
*Inque Arabas, Turcasque pii decreuimus arma,*
*Quamprimùm ex tantis proceres ductoribus vnum,*
*Quod superest, clarum virtute, & fortibus ausis*
*Præstantem, rerum cunctarum imponite summæ,*
*Consilioque grauem. quem solum exercitus omnis*
*Spectet, & is pacis, bellorumque arbiter esto.*
*Ergo huc, susceptum vobis nisi fortè laborem*
*Frustrari, & tantas incassum absumere vires*
*Vos iuuat, vnanimes incumbite. Namque ibi nullus*
*Imperat, imperio multorum vbi quisque necesse est*
*Pareat,*

*Pareat, atque anceps nunc hinc, nunc pendeat illinc.*
*Quòd si aliquem inter uos ( Deus hoc auertat in hostes*
*Infandum crimen ) nostræ nec cura salutis*
*Exercet, nec tangit honos, nec gloria ducit,*
*Nec pudet Arabijs victum dare terga, Syrisque,*
*Atque idem nostra campos spectare calentes*
*Cæde potest. seruumque iugo submittere collum,*
*Ille abeat cœtu ex tanto. Vel si sibi primum*
*Attribui cupit ipse locum potiora merenti,*
*Prodeat, & tali dignum se ostendat honore.*
*Sin autem, quod vos potius prætendere fas est,*
*Abdaridas petitis. patriam repetatis vt olim*
*Totius spolijs, opibusque Orientis onusti;*
*Aut etiam, vt regnis multo sudore paratis,*
*Externis sedem læti ponatis in oris,*
*Procurate viri, quod nos Deus admonet vnum,*
*Atque vnum fieri res ipsa & suadet, & vrget.*
*Hæc pius Addemarus. tacitumq; per ora virorum*
*Murmur ijt. qualem in syluis, cum flabra Aquilonum*
*Paulatim incipiunt frondes agitare virentes,*
*Audimus fremitum: qualemque ad curua fragorem*
*Littora, cum primùm crispantur leniter vndæ,*
*Iamdudum Zephyris bellum meditantibus, edunt.*
*Sic illi inter se tractim resonante susurro*
*Consessum dubij varijs rumoribus implent;*
*Ancipitesque animis: partim in diuersa trahuntur:*
*Partim autem cœptis æquata sorte manendum*
*Censent: præteritus ne quisquam ex ordine tanto*
*Gallusve, Ausoniusve pijs discedat ab armis.*
*Quan*

Quandoquidem non de leuibus consulta petebant
Rebus: at egregium decus, & pernobile regnum
In medio positum fuerat virtute parandum.
Hinc dux Carnutum Stephanus, ne fortè tumultus
Glisceret, atque auidas vulgi ferretur ad aures:
Quod pius Addemarus, proceres, modo censuit, inquit,
Esse potest nulli dubium. res publica numquam
Non euersa perit, quam vulgi æquata potestas
Huc trahit, atque illuc: medio nec in æquore fluctus
Surgere maiores, nauesque illidere suerunt
Ad scopulos, vastisque actas demergere in vndis,
Quàm cum bella gerunt aduersis viribus Euri
Spirantes, seque inter se superare volentes.
Sic virtus, quamquam duris exercita rebus,
Si quando erumpens sese in contraria transfert,
Communem euertit populi malesana salutem,
Nec quicquam ratione geri sinit. Hic ego nullum
Esse reor vestrùm, cui tantæ imponere molis
Non possitis onus: si nos spectare necesse est,
Quam quis bellando laudem meruisse feratur.
Nam nemo inter vos ferro non perculit hostem:
Non murum ascendit victor: non castra locauit
Delecto vallata loco: non contulit ausus,
Conseruitque manus: dubij non cætera martis
Munia sustinuit: quorum se gloria cælo
Infert, & famam veniens extendit in æuum.
Quo circa, ò proceres, quando vnum agnoscimus omnes
Gallorum regem, primi cui dentur honores,
Vgontem, nam frater is est, cognomine magnum

Diuitijsque, opibusque, & nobilitate potentem,
Ductorem nostri iam nunc suffragia cœpti
Vestra legant, pacisque optent, bellique magistrum.
Ille hæc Tullingo iamdudum infensus, & acri
Inuidia pectus, stimulisque agitatus amaris.
Ast Vgon, Procul esto, inquit, tam dira cupido,
Ipse vt, militia qui numquam exercitus vlla
Præteritum duxi iuuenile inglorius æuum,
Præficiar bello, tantisque heroibus. immo
Hæc mea quò vobis melius sententia constet;
Nec præeo certus cuiquam, nec subsequor vllum,
Præter eum, quem summa pÿ prudentia primùm
Pontificis rerum summæ præfecit euntem
In bellum, capiti imposuit cum tegmen, & ense
Ipse suis manibus Gofredum accinxit acuto.
Dixerat hæc: placidusque sua se in sede locarat.
Tum Robertiades Italùm dux talia fatur.
Ipse equidem, ò proceres, magnus quē destinat Vgon
Imperio, & tanto dignandum munere censet,
Cum primùm Ausoniæ patrio de littore cessi,
Huic vni solùm veni parere paratus.
Et nunc mens eadem perstat mihi: nec putet inter
Tot proceres quisquam factis, & sanguine clarus
Se fore, qui nostris legionibus imperet, & me
Parentem speret dictis. Ego nullius vmquam
Imperio regar alterius, neque iussa facessam:
Ipse huius mihi dux belli certissimus esto
Gofredus, quem sponte sequar quocumque vocarit.
Hæc ait. atque altùm spirans consedit. At olli
Concor-

Concordes legere Ducem, quem Daunius heros
Iusserat. ille autem suscepto munere tanti
Imperij, & tacito voluens in pectore magnos
Curarum fluctus: Faxit Deus optimus, inquit,
Prospera sint, nobisque ferant hæc acta salutem.
Ergo vbi terrarum lux orta reuiserit orbem
Crastina, & humentem cælo dimouerit vmbram,
Dum sacra propterea peraget consueta sacerdos,
Suppliciter votis Superùm regemque patremque
Oremus, quò nostra volens incæpta secundet.
Hæc ait. & populos inter diffusa repente
Fama volat dubios tanto in molimine rerum:
Ilicet & certa cunctis spe pectora complet:
Lætitiaque fremit, plausuque exercitus omnis.
Tum verò sua quisque petunt tentoria læti,
Instaurantque animos epulis, & corpora curant:
Hybernam vario noctem sermone trahentes.
Interea, heroum cum iam conuentus abisset,
Protinus Odrysii Gofredum ingentia regis
Flagitia, & Graiæ secum mendacia gentis
Versantem, ac duro recubantem in stramine, totum
Complexus fessos altus sopor irrigat artus.
Visa dehinc medio faciem circumdata nimbo
Ida parens summo descendere vertice cæli,
Atque atræ tenebras oculis depellere noctis:
Mox etiam apprensum dextra super aeris oras
Sublimem rapere, & longè tellure relicta
Sedibus inferre æthereis stellantis olympi:
Vnde mare, & terras latè sub vtroque iacentes

Vertice despiciunt, vel quas surgensque, cadensque
Hinc, atque hinc media collustrat lampade Phœbus.
Ille autem admirans, quò me sanctissima mater
Ducis, ait? quòve ire iubes? statuisve timentem?
His dictis. Ida has læto dedit ore loquelas.
Nate oculis, vitaque mea mihi carior ipsa,
Cum pariter quondam vitaque, & luce fruebar:
Hic locus illorum patria est, qui vulnera passi
Pugnando pietatem armis coluere; Deoque
Addixere vni mentes, quæ corporis huius
Carcere disclusæ obscuro, & compage soluta,
Hærentes postquàm maculas cœlestis adedit
Ignis, & inuectum longè scelus omne remouit,
Hæc in templa volant celeres: quò te quoque fas est
Quatuor ætherius cum Sol expleuerit orbes,
Conferre, atque iterum lætas inuisere sedes.
Nate ades huc animo, susceptum & omitte timorem.
Quæque loquar, cape dicta memor: solatia namque
Non oblita ferent. Ambas age deiice luces
Nate tuas, terramque oculis metire, fretumque.
Aspice quàm paruo complectitur omnia paruus
Orbe globus, quàm nec guttæ globus instar aquai.
Pro cuius nate imperio tot deinde labores
Suscipere, & latos perfundere sanguine campos
Vos iuuat. Heu miseri, non hos concessit in vsus
Arma Deus, vestra vt rigidum per viscera ferrum
Transeat, & fulua cæsorum sternat arena
Corpora regnandi causa: sed vt, impia quæ sunt
Corda hominum ad cultum reuocent, ritumque piorum,
Chri-

*Christicolumque adeò fines tueantur, & aras:*
*In cælum quæ certa via est, cœtusque beatos*
*Heroum insontis vita, & sine fraude peractæ:*
*Qui nunc astra colunt laxati corpore, & illa,*
*Quæ lucet sincera oculis hic luce fruuntur.*
*Vos Solem piceum, vos cælum, & sidera densis*
*Suspicitis tenebris, cæca & caligine mersa,*
*Viuentes vitam, quæ vita simillima morti est,*
*Aut etiam mors ipsa. Etenim quid amabile tandem*
*Ipsa habet, & sensu quod non perfundat amaro,*
*Inficiatque atris inter sua gaudia curis?*
*Namque vt vos votis damnet Deus omnibus, ipsi*
*Protinus angustos fines tamen addidit æuo:*
*Nec quicquam esse diu voluit, quod terminet vsquam*
*Certa dies, rerumque adeò immutabilis ordo.*
*Omnis enim ad nihilum recidit, cum præterit ætas.*
*Ergo hic quandoquidē, genitrix mea, viuitur, inquit*
*Gofredus, veraque bonis in luce fruuntur*
*Cum primùm licuit huius decedere tetro*
*Corporis hospitio, & Diuûm felicibus addi*
*Concilijs, stellas pedibus, cælumque prementes,*
*Quicumque innocuis agitantes legibus æuum*
*Mortales, Christi norunt se morte redemptos:*
*Quid moror in terris, quin has ego pergere ad oras*
*Ætherias propero, densasque exire tenebras?*
*Non ita. namque etsi (genitrix excepit) ab alto*
*In corpus depressi animi, quos ipse creauit*
*Æternus genitor, rerum inuiolabile numen,*
*Corporis exolui vinclis, & carcere cæco*

*Impensè interdum cupiunt, ad eumque reuerti,*
*Vnde prius venere, tamen seiungere sese*
*Haud licet iniussu Superumque, hominumque parentis:*
*Qui nullum, nisi quem vita spoliauerit ante*
*Ipse volens, patrio patitur succedere cælo.*
*Quando etiam mortale hominum genus hac sola terræ*
*Lege colunt, ne quisquam æstus, ne frigora, & imbres,*
*Atque sitim, duramque famem, sæuosque labores*
*Turpiter oblata fugiat sibi morte, locumque,*
*Miles vt ignauus, venienti deserat hosti.*
*Multa prius subeunda tibi, superandaque restant*
*Militiæ, quàm stellantis te regia cæli*
*Accipiat reducem, atque optata in sede reponat.*
*Oppida principio, quæ tu iam rere tuorum*
*Capta manu, cernes feruere hostilibus armis,*
*Sanguineque effuso fluuios manare perennes,*
*Et ferro absumptas passim cecidisse dolebis*
*Germanorum acies fidi ductoris egentes*
*Ante, queas quàm densa vrbem expugnare corona*
*Hic, vbi Mysorum piscosa feracibus agris*
*Inserit Ascaniæ pulchrum caput vnda paludi:*
*Sed, licet illa pijs conata obsistere cœptis*
*Susceptum remoretur iter, viresque fatiget*
*Ausa tuas, veniam tandem, pacemque petenti*
*Ipse ignosce tamen, casusque auerte supremos,*
*Et scelerum comiti sæuo moderare furori.*
*Hic olim Pharium præcepta infanda docentem,*
*Cuius inaccessos sensus malè sana cupido*
*Impulerat diro pietatem afflare veneno,*
Reti

Rite refutatum tercentum ex ordine sancti
Damnauere patres: damnatum ea pœna secuta est
Protinus, effusa qua viscera proruit aluo
Omnia, & vltrices vitam exhalauit in auras,
Infernasque domos, sedesque Acherontis auaras.
Mox animo tristis, sed vultu interritus amnem
Sangarium multo permistum sanguine cernes,
Et simul indigna miserorum cæde gementem
In mare purpureum pronos euoluere fluctus.
Tempore quo rebus properans afferre salutem,
Ausonios, Gallosque vnà vlciscere peremptos,
Deuictosque Arabas longè in deserta repelles,
Et spoliis, opibusque tuos ditabis opimis.
Hinc via difficilis, saxosisque aspera cliuis,
Desertique situ colles, & inhospita tellus
Exceptos vnà pedites vexabit, equosque.
Nam neque gramen erit, tenui nec riuus aquæ vi
Dulce viatori lasso in sudore leuamen,
Cum venit, & terram sicco spuit aridus ore,
Non puteus, non collecto vetus imbre lacuna,
Corpora quæ recreet diuturno exhausta labore.
Quin æstu ingenti passim laxata fatiscent,
Felicesque animas reddent cœlestibus oris.
Tu vero, Gofrede, animo ne deficε: & instans
Vrge iter incœptum; breuis est mora. iam tibi præstò
Frigidus Hermus adest, & Mysi lympha Caici,
Atque in se refluens ripa Mæandrus opaca:
Quique amnes alij summo de vertice Amani
Præcipitant, celeresque secant frigentibus vndis

Pisidiæ campos, læto quos vbere glebæ
Oppida vasta tenent Lyrbe, Termissus, & olim
Selga ingens celebri fama, atque æquissima factis.
Nunc prostrata solo, magnisque oppressa ruinis
Cuncta iacent, nullique situm, nec nomina norunt.
Et miseri nobis mortem impendere dolemus
Infelix hominum genus, & cui vita caducis
Frondibus assimilis, Boreæ quas aura furentis
Perculit autumni sub finem abeuntis, & omnes
Ilicet & campis, & montibus abstulit vmbras.
Sed vos nate diù terris his fortè morantes
Incastigatos Rex haud sinet ætheris alti.
Tu casu in tanto plagas perferre memento
Æquus, & vsque Deo grates age nate, nec vllis
Vlla loci facies segnem remoretur in oris,
Donec ad angusti vallem delatus Orontis
Constiteris, vbi longa vrbem obsidione premendam,
Sanguineque, & multo vobis sudore domandam
Nuntio. namque fames, & hyems glacialis, & ingens
Cælo emissa lues acies rarescere coget
Hesperias, multosque dabit letoque, fugæque.
Quin te etiam Gallique duces, primique tuorum
Destituent, fugientque altam Byzantis ad vrbem
Votorum immemores. tamen obdurata manebit
Lecta virùm virtus, belloque assueta gerendo.
Sed non & mansisse volet. tantæ vndique vires
Aduenient: cælumque tegent, Solemque sagittæ.
Hic animis opus est: hic & victricia castis
Poscere signa Deum precibus. Vos pergite. muros

Ipse dabit superare vrbis, Persasque rebelles
Fundere, & innumeras venientum infringere turmas.
Interea fraterque tuus Baldunus, & acer
Tancredus circum populos in iura, fidemque
Diuersi redigent: sæuos Tancredus Isauros,
Et Cilicum gentes: felix Baldunus opimam
Callirhoem, Euphrates alto quam flumine lambit,
Opprimet, & madidas Romano sanguine Carras.
Ipse autem ducente Deo, paucisque relictis
Tantarum è numero legionibus, ibis Idumen,
Ne dubita, Solymamque vrbem expugnabis adortus.
Hic te autem consensu vno populique, patrumque
Regem appellabunt proceres: sacrumque tiaram
Imponent capiti. Tu parti insignia regni
Reijce nate procul. non illa cingere crinem
Vrbe decet rutilantem auro, gemmisque coruscum,
In qua olim spinis Christus Deus, arbiter orbis,
Pulchri opifex mundi, regum Rex impia passus
Hærentem fronti gessit paliuron acutis.
Sceptrum igitur, Gofrede, alios, regnique coronam
Ferre sinas ostro insignes, auroque superbos.
Tu populis dare iura tuis, legesque memento,
Debellare hostes, placidusque ignoscere victis,
Tum sensim replere animos pietatis amore,
Diuorumque ædes vnà instaurare labantes,
Et patres munire opibus; queis sacra, diesque
Sint curæ, atque aris sueti reddantur honores.
Quoque hæc ipsa magis properes: vix integer anni
Mensibus exactis vertens explebitur orbis,

*Aerias ex quo Solymorum cœperis arces,*
*Ardua cum cœli reditus tibi ad astra patebit,*
*Atque hæc nobiscum mortali lege solutus,*
*Quæ nunc sub pedibus præsens miraris, & optas*
*Iam tibi certa dari, stellantia claustra tenebis.*
*Hic matrem aspiciens læto sic pectore fatur*
*Gofredus. Quando, ò mater, mihi tanta parantur*
*Gaudia perfuncto belliq; viæque periclis,*
*Atque aditum ad vasti patet hic quasi limes olympi,*
*Quamuis clarorum semper vestigia patrum*
*Ante etiam institerim, decoriq; ego gentis auito*
*Defuerim numquam, tamen hac mercede laborum*
*Proposita, enitar posthac vigilantius; & me*
*Omnia iam rerum perferre aduersa iuuabit,*
*Delictis quæcumque meis infensa minatur*
*Ira patris summi, qui fons, & vita bonorum est;*
*Incolumem liceat Solymos modò visere colles,*
*Expulsis illinc Turcarum, Arabumque tyrannis.*
*Sed tu sancta parens (namque hæc noctesq; diesque,*
*Vrit atrox animum cura, atque infesta recursat)*
*Vnum etiam, si iusta peto, si pandere fas est,*
*Quæ ventura vides, vnum hoc effare precanti.*
*Postquàm parta manu belli victoria nobis*
*Cesserit; & nostra Solymi ditione regentur;*
*Imperium ne Deus veniens producet in æuum,*
*Et loca Christicolis propria hæc regnanda relinquet?*
*Dux hæc Tullingus. mater cum talia rursus*
*Ida refert. Quodcumque rogas Gofrede parentem,*
*Ipse Deus, series vni cui nota futuri,*

*Nil hodie te scire vetat. Sub regibus ergo,*
*Qui tibi non longo succedent ordine, totos*
*Octoginta octo Solymę regnabitur annos.*
*Flagitijs sed enim nostrorum infecta nefandis,*
*Et vexata diu procerum discordibus armis,*
*Horrebit Pharias rursus superata secures:*
*Exactisque procul Gallisque, Italisque videbit*
*Abdaridæ parere Asiam, Thracemque superbam;*
*Inque potestatem Turcarum, inque impia cogi*
*Iura, suo quicquid terrarum interfluit ingens*
*Flumine Dannubius. Quin illi, vbi littore sedem*
*Threicio, & veteri Byzantis in vrbe locarint;*
*Illyrij, Macedumque arces, atque oppida Graiùm*
*Cuncta sub imperium redigent, immane minantes*
*Exitium Europæ populis, quicumque supersint.*
*Sæpe etiam magnis ausi dare classibus Austros,*
*Ionium, Aegæumque omni ditione tenebunt.*
*Scilicet & nostri poterunt spectare nepotes*
*In sua paulatim grassantem viscera pestem;*
*Dum se odijs, armisque palàm consumere pergent,*
*Horribiles nullis cohibentes finibus iras.*

*Ergo, inquit dux Tullingus, mæstissima densis*
*Ora, sinusque rigans lacbrymis, tot regna, tot vrbes,*
*Tot castella manu nostra expugnata, iugoque*
*Erepta ex Arabum, rursus rapientur in arcta*
*Vincula, & Abdaridùm iussa execranda facessent?*
*Nec nostra, ò mater, nascetur origine quisquam*
*Corde vigens, gratusque Deo, qui nobile bellum*
*Suscipiat, Turcasque manu qui deleat hostes,*

*Restituatque Deo populos, quos impius olim*
*Abstulit Abdarides, secumque in tartara ducit?*
*Tum mater nati dextram complexa loquentis,*
*Parce, ait, ò, lachrymis, Gofrede, & reprime fletum.*
*His quoniam dolor, atque omnis metus exulat oris.*
*Una, & certa quies animis lætissima nostris,*
*Numinis æterno cuncta hæc moderantis amore,*
*Illa quidem semper clemens, sed iusta voluntas:*
*Unde aliquem se abstraxe nefas: tamen usque suorum*
*Virtutis memores Galli, & pietatis auitæ,*
*Haud semel instituent armis inuadere Turcas;*
*Cumque his concordi veniens in talia dextra*
*Fœdera coniunget validas Britannia vires.*
*Atque hæc arcentem toto de littore nostros*
*Vastabit Cyprum victrix, sceptroque potita*
*Externis regnum dominis concedet habendum.*
*At Gallorum acies animis ingentibus urbem*
*Phœnicum interea post longum tempus adactam*
*In leges iurare suas, & verba iubebunt;*
*Imperioque caput statuent, sedemque labantis*
*Expulsosque illic reges in sceptra reponent.*
*Sed Solymos iterum capere, & sarcire ruinas*
*Amissi imperij poterit non ipse Britannus,*
*Quamquam audax, quamquam captis Iopesque, Tyriq;*
*Arcibus, & versis Arabis in terga superbus:*
*Non Celtæ, Belgæque duces; licet ostia Nili*
*Audaces subeant ruptis reclusa catenis,*
*Atque Aegyptiacas urbes populentur, & oras,*
*Inque Paratonio desigant littore sedes.*

*Immo etiam, haud multo post tempore, Gallia regem,*
*Insignem pietate virum, pia bella mouentem*
*Abdaridis Libyæ populis iniussa sequetur.*
*Sed neque tunc etiam tantis Deus annuet ausis.*
*Namque, vt Niliacas veniens appellet ad oras*
*Ipse animo præstans, procerumque ingentia secum*
*Agmina habens, Arabum ductorem occiderit, & mox*
*Mendesij ditem sine sanguine cœperit vrbem,*
*Multorum furijs, cæcaque cupidine victus*
*Audebit Gallis funestam inuadere Memphim.*
*Sed cœli vitio fluuijsque palustribus vndis*
*Horrida cunctarum subito penuria rerum,*
*Atque lues interclusis, morbosque, famemque*
*Afferet exoriens, cœptisque absistere coget,*
*Amissis misere Gallorum heroibus. At rex,*
*Quem mox ipse Deus Superum signabit honore,*
*Inde abiens, repetensque Syras inglorius oras,*
*Oppida restituet fœdis collapsa ruinis:*
*Nequicquam. Aegyptus rupto nam fœdere uires*
*Colliget: atque iterum nostris lacbrymabile bellum*
*Incutiet, uictrixque Tyro potietur, Acemque*
*Euertet, caput imperij, sedemque Latini,*
*Relliquias tanti incœpti. nec proderit Afras*
*Debellasse manu Gallorum regibus vrbes,*
*Ceruicesque iugo Libyæ pressisse superbas.*
*Cuncta iterũ Abdaridum dextra subigentur, & armis.*
*Sic placitum Superum patri, qui sidera fulcit.*
*Sed tamen exactos postquam voluentibus annis*
*Tercentum æstates, tercentum ex ordine brumæ*
*Addi-*

*Addiderint decies centenis orbibus orbes,*
*Omnibus ex quo lux oculis est reddita nostris,*
*Nascetur pietate ingens, inuictus & armis,*
*Qui bello aggressus populos contundet Eoos,*
*Et Scythiæ duras Libyæque immittet habenas.*
*Tum verò toto surget gens aurea mundo,*
*Aurea, sinceri quæ seruantissima cultus*
*Rite Deum precibus trinumque agnoscat, & vnum.*
*Interea vesana lues, quam finibus ortam*
*Ipsa suis secum discors Germania primùm*
*Mater alet; mox inuectam, lateque vagantem*
*Excipient gremio Allobroges, solioque locabunt.*
*Inde autem quondam fidissima corda Britannos*
*Irrumpet toto descendens corpore pestis;*
*Atque hic, atque illic nostras populabitur vrbes*
*Immanis, Gallosque suo funesta veneno*
*Auferet, & sanctis animos abducet ab aris.*
*Hæc indignanti similis, similisque dolenti*
*Dixerat Ida parens: cum iam Gofredus in iram*
*Exardens animis, Ergo patietur inuri*
*Ipsa (ait) ipsa sibi furiis agitata nefandis*
*Dedecoris, scelerisque notam mea Gallia tanti?*
*Gallia, quæ toties sumptis defenderit armis,*
*Ius Latij, cultus patrum, ritusque piorum?*
*Talibus orantem sic Ida exorsa vicissim*
*Solatur natum: Tuscos, age, respice colles,*
*Florentemque opibus vallem, cultuque frequentem,*
*Flumine quam vitreo dirimit Bœotius amnis*
*Arnus, & Hetruscos cursu secat impiger agros.*

*Hic olim nostro Morinûm de sanguine surget*
*Fœmina, clarorum quæ nobilitate parentum,*
*Et forma, & magnis animi virtutibus ingens*
*Anteeat longè veteres heroidas, & se*
*Illustrem fama seclis Catharina futuris*
*Constituet regum soboles, pariturāque reges*
*Illa quidem, qui Gallorum moderentur habenas,*
*Atque ipsis Scythiæ populis dent iura vocati.*
*Namque erit, exoriens vndam quà Vistula fundit,*
*Et magno circùm campos rigat amne iacentes,*
*Cum rege amisso regem sibi Sarmata prudens*
*Henricum asciscet, cuius se subdere dextræ*
*Audeat, & fidei viduum committere regnum;*
*Henricum ætatis decus immortale futuræ,*
*Virtutum specimen, magnorum & germen auorum*
*Nobile: cui nullus posthac pietate, vel armis*
*Par eat. Hoc, diros si qua est gens impia ritus*
*Quæ colat, ipsa volens, mitte hanc de pectore curam,*
*Auspice deponet: seque incusabit, & vnà*
*Sponte sua cultus dediscet læta profanos:*
*Certatimque pias cumulabit honoribus aras.*
*At parte ex alia iustis premet Austrius armis*
*Seductos Belgas, magnisque erroribus actos*
*In fraudem, bello deserta in castra reuerti*
*Coget, & in primis Romanùm agnoscere Patrem:*
*Romanum patrem, sibi quem selegit, & vnum*
*Ipse suas tum cogere oues, tum pascere iussit*
*Aeternæ lucis Christus Deus vnicus auctor.*
*Atque hæc sedato mater dum singula vultu*

*Nar-*

Narrat:humi mentem,atque oculos defixerat heros
Tullingus;terramque tacens spectabat,& vndam,
Et,quæcumque iacent extra faucesque fretumque
Herculeum,angusto quod Calpem interluit æstu,
Atque Abylem,ignoti tunc ostia clausa profundi,
Nunc autem Hesperijs adaperta,& peruia nautis;
Insulæ Oceano in magno:cum talia fatur.

Quæ nam autem,nostris quæ se discludit ab oris
Tam longè pars illa orbis depressa latentis,
O genitrix,homines ne tenent,an secla ferarum
Ingentes campos? pelagoque infracta sonanti
Littora? & excelso surgentes vertice montes?

Dicam equidem,terrasque tibi multo ante recludam,
Quàm quisquam audaci sulcet vada cæca carina,
Suscipiens sic Ida refert. Quæ,nate,tueris
Finibus à nostris longè distantia,nullus
Ausus adhuc adijt;nec quisquam aggressus adibit,
Antè quatercentum Solisque,annique recessus,
Tempore quo primùm Ligurum decus,& noua secli
Gloria peruadet numquam tentata Columbus
Aequora,& Oceani sistet trans littora classem.
Admiransque illic Orbis noua regna reposti,
Regna insperata,& priscis incognita nautis,
Imperio,& fidei regis committet Iberi.
Mox extra Cancrique vias,& sidera Libræ
Prætergressi alij,priscorum errata parentum
Mirantes,mediam non vllo feruere ab æstu
Spectabunt zonam,niuibusque rigentia densis
Ardua terrarum,& gelidis loca tecta pruinis.

Diui-

Diuitis hic auri venas vberrima tellus
Innumeras habet; & fuluæ prope flumina arenæ
Aurea secernunt paßim ramenta volentes.
Qua mercede sagax confestim accurret Iberus
Vndique, & ingentes auri cumulabit aceruos,
Explebitque opibus partis patriamque, domumque;
Tum quoscumque alios aditu prohibebit ad oras
Inuentas; vnique volet sibi sumere totam
Nobilis incœpti laudem, fructumque laboris.
Hetrusci tamen herois de nomine terram
Illam olim Ammericen ætas ventura vocabit:
Hetrusci herois, cuius celeberrima virtus
Littoraque, & montes, vallesque, amnesque recludet,
Et loca præteritis numquam non inuia seclis.
Ergo Italis inuenti orbis noua gloria semper,
Semper honos, semper decus immortale manebit.
Imperio sed enim Hispanus potietur, & auro.
Paucæ illic vrbes: pauci Magalia cingunt
Mœnibus, & valido claudunt munimine valli
Tecta, domosque suas; quas multi in vallibus imis
Occultant, alij densa super arbore ponunt
Fluminis in ripa, stagniue palustribus vndis,
Difficiles aditu caueas. ceu sæpe videmus
Conseptos aquilæ nidos spinisque, rubisque,
Annosæ ex alto pendere cacumine fagi,
Aut tiliæ, aut quercus, aut aeriæ cyparissi;
Quos non vpilio, quos non frondator, & audax
Pastor adire queat. Nudi sub Sole calenti
Incedunt, nudi cùm fundit Aquarius imbres.

Pars Lunam, Solemque colunt: pars nescia cultus
Sinceri, Aligerùm precibus simulacra fatigant
Nigrantum, votisque malos, & sanguine placant
Dæmonas, infames quem victima fudit ad aras,
Siue puer, seu sit florenti corpore virgo.
Quin etiam, quod nate magis mirabere, cæsis
Corporibus miserorum auidi vescuntur, & illos,
Quos ipsi patres genuere, in viscera condunt.
Tum satus Eustachio diræ facta impia gentis
Auersatus, & arrectis horrore capillis:
Hæc scelera, ò mater, cur nam Deus (inquit) inulta
Ire sinit? cur non animos in tartara versos
Ad cælum reuocat, numerumque integrat, & explet
Illorum, quibus ipse volens sua regna parauit?
O nate, arcanos sensus, secretaque mitte
Consilia explorare Dei, quæ pectore versat
Ipse suo, nec præterea cuiquam abdita pandit;
Idi ait; & tamen his aliquando imponere finem
Flagitijs magnus Superùm rectorque, paterque
Paulatim incipiet; cum primùm Tarraco classem
Instructam ignotis committere fluctibus ausus
Sub sua palantes populos iuga miserit: & cum
Tantarum imperium terrarum, orbisque Philippus,
Qua Boreæ de parte abiens excurrit in Austrum,
Inque Eurum, Zephyrumque patet, reget Austrius omne.
Hic populis leges, & iura perrennia condet:
Mœnia certa dabit; mores auertet agrestes;
Infandosque abiget ritus; atque impia gentis
Sacra cruentatis longè depellet ab aris.

*Immo etiam, ne fortè putes, ò nate, verendum,*
*Ne, qui Asiam, Libyamq́ue colunt, quos Libra supernè*
*Despicit, æquatis atque aera temperat horis,*
*Deserti auxilijs olim spolientur; eadem*
*Tempestate inter proceres nascetur Hetruscos*
*Altorum soboles longè clarissima regum*
*Fernandus Medices, rerum spes fida labantum,*
*Ante annos animoq́ue ingens, curaq́ue virili,*
*Flos iuuenum, atque Italæ gentis lux, & noua secli*
*Gloria, nec dubius priscæ virtutis alumnus;*
*Quiq́ue adeò nondum signans lanugine malas,*
*Tempora conspicuus Tyrio circumdabit ostro,*
*Patribus, & Romæ iam tum decus additus vrbi.*
*Jlle fidem populos Latij Pastoris, opemq́ue*
*Suppliciter sibi poscentes Phariosque, Syrosq́ue*
*Excipiet gremio, & rebus succurret egenis.*
*Idemq́ue ad gentes, quarum delapsus ab oris*
*Inter nigra virùm, percoctaque secla calore*
*Nilus Pellæum vasto petit amne Canopum,*
*Mittet, & Aethiopes vltricibus instruet armis*
*In Turcas; cultusq́ue pios, ritusq́ue Sacrorum,*
*Quorum illi obliti nunc se abiunxere fideli*
*Christicolùm cœtu, reuocare in pectora tendet.*
*Magnum opus: & flauens dum se Tyberinus in vndas*
*Inferet æquoreas, cunctis memorabile terris.*
*Sed, quod lætitias nostris ferat omnibus omnes,*
*Parturiet tandem seclis abeuntibus ætas*
*Certa virum, qui longinquis in finibus ortus*
*Cantabriæ, Hesperias vbi propè littoris oras,*

Ipse sibi instituet socios, & ad alta vocabit
Munia; quos iussu diuino impulsus, & aura
Cælesti afflatus de nomine dicet JESV:
Exiguos numero socios, & cælibe vita,
Sed pietate pares ollis, quos prisca tulerunt
Secla viros. cœptum Altitonans illustre fouebit:
Innumerosque addet primorum exempla secutos.
Illi autem scelerum puri, mentemque repleti
Doctrina, nullas metuent accedere ad oras,
Quamuis immanes, quamuis pia facta perosas:
Ostendentque viam miseris, quam protinus vnam
Insistant, Christumque ducem sectentur, amentque.
Felices animæ, fratrum generosa piorum
Pectora, venturi clarissima lumina secli;
Non auri vos sacra fames, laudumque cupido
Coget ad externas gressum contendere gentes,
Et certam certos vitæ præponere mortem:
Sed cælestis amor patriæ, sed maximus harum
Contemptus rerum, per tela inimica, per ignes,
Perque hyemes atras, & vulnera ducet inermes.
Nam neque suppliciis infida Britannia diris
Exterrens cœpto pauidos arcebit ab alto:
Nec, quæ letiferas adigens in corda sagittas
Ammerice cæsis miserorum vescitur extis.
Quin & magnorum genitrix fœcunda elephantum
Taprobane, Oceano circùm vallata profundo:
Infamesque aras lapo euersura Deorum;
Insula præruptis montosa, atque aspera dorsis,
Et celebris passim populis ad prælia natis,

Vnius

*Vnius imperio parens nunc insula, sed mox*
*Dissidijs inter proceres diuulsa potentes,*
*Tum primùm supplex Christo delubra, Crucemque,*
*Sincerosque animo ritus amplexa dicabit.*
*Ipsa quoque hospitibus tellus malè tuta Sinarum,*
*Difficilisque aditu, nullisque obnoxia sacris,*
*Sed tamen in patrios reges propensa, nec æqui*
*Ante alias omnes cultrix minus illa, bonique,*
*Audiet orantes, & vitæ æterna beatæ,*
*Quæ sternunt iter ad cœlum præcepta docentes.*
*Laudibus hæc eadem Ausoniæ licet æmula certet*
*Serica, & ambiguo positæ sub Sole Molucæ,*
*Excipient lætæ vobis suadentibus, & se*
*Aeterno addicent Superùmque, hominumque parenti.*
*His dictis, Ida ex oculis, medioque repente*
*Conspectu tenues abiens discessit in auras.*
*Ille autem, quò deinde fugis? quem deseris? aut quis,*
*Alma parens, subito te nunc mihi subtrahit? inquit.*
*Et simul Eoo tenebris ex orbe fugatis*
*Perspicit Auroram montes aperire retectos:*
*Excitus clangore tubæ de more iubentis*
*Consuetis precibus æternam exposcere pacem,*
*Atque animum rebus solertem adiungere agendis.*
*Ergo alacer surgit stratis, supplexque salutat*
*Ad terram pressis genibus te maxima Virgo,*
*Virgo hominum spes fida, Dei certissima mater.*
*Mox matutinis perfectis ordine sacris,*
*Accepit sceptrum, & summo præfectus honori est.*
*Inde domum rediens magna comitante caterua*

Intra tecta vocat proceres: epulisque paratis
Extructam ad mensam cunctos accumbere iussit.
Atque vbi iam compressa fames, turbaque remota,
Surgit: & ingressus thalami secreta repostis
Sedibus, excitos secum iubet ire relictis.
Quos vbi conuenisse videt, mediusque resedit,
Attollens oculos, Quamquam praesciscere cuique
Promptum, ait, est animo Graiorum artesque, dolosque,
Magna tamen confecta, duces, res, sponte quòd ille,
Imperij cui Romani pars altera paret,
Contiguis Arabes attingens finibus hostes,
Postulet adiungi coeptis, atque offerat vltro
Vires ipse suas equitum, peditumque cateruas,
Armaque, & ingentem puri vim prodigus auri.
Quòd si promissis maneat, quae plurima nobis
Ipse dedit, nec facta fidem mutata nouabunt,
Tum verè, vt par est, quae nos communibus armis
Cepimus, communi etiam ditione regamus.
Atque haec pacta, duces, si vos quoque firma iubetis
Esse, reor cum Threicio facienda tyranno,
Et certa seruanda fide. Sic ille nefandi,
Et fandi memor, ex altis qui despicit astris
Cuncta, exercituum Deus adsit testis, & aequa
Peccantem afficiat poena certissimus vltor.
Assensere duces: procerumque ex ordine lecti,
Talia qui Thracum regi mandata referrent,
Discedunt properè è castris, vrbemque petentes
Vnà iter arripiunt Comneni ad limina regis.
Ille autem, Oceanum cum primùm Aurora relinquens

Terrarum tenebras cœlo discußit aperto,
Excierat fessos stratis è mollibus artus
Inter spemque, metumque anceps, si fœdera credat
Iuncturos Gallos, Italosque, aut lege solutos
Omnia rapturos, memores virtutis auitæ,
Et scelera exosos iamdudum, artesque Pelasgas.
Sed tamen assuetus varias componere fraudes,
Haud fore desperat, tacitus quod mente volutat.
Has inter curas versanti, & multa mouenti
Grata superueniunt procerum responsa ferentes
Legati: quos ille intra tecta alta vocari
Imperat, & solio sese componit eburno
Sublimem, atque ostro insignem, sceptroque superbum:
Cui crinem intonsum gemmisque, auroque tiaras
Circumiens rutilo poterat splendore tenebras
Vincere, & obscuram longè depellere noctem,
Spectantumque oculos radijs præstringere acutis.
Illi autem ingressi Regem de more salutant.
Mox forti Rholone satus sic farier infit.
Si nos Hesperijs patriæ discedere ab oris
Suasissent aurique fames, regnique cupido,
Externasque manu populorum inuadere sedes,
Fœdere Rex tecum nullo nunc pacta ligarent:
Sed potius bellum, quod te incœpisse negabunt
Nulli vmquam, nostrosque armis petijsse priorem,
Non fraude, aut furto (quando hunc fortissima morem
Gallorum pubes iamdudum & damnat, & odit)
Sed virtute palàm, sed aperto marte gerendum
Susciperet, pulsisque sua de sede colonis,

Ipsa vltro veniens placitis consideret aruis;
Præsidioque arces firmo vinciret, & vrbes.
Et quoniam, quod & ipse vides, ad mœnia vestræ
Millia iam sexcenta virùm conuenimus vrbis
Bellantum, quos vna omnes, eademque voluntas
Impulit in ferrum, certosque armauit in hostes,
Verteret in prædam quicquid rapuisse liberet.
Nunc autem nec nos Graiùm populare penates
Venimus, aut Thraces patrijs euertere regnis:
Verùm vt præcipites Turcasque, Arabesque fugemus
Ex Asia, Solymæique pias statuamus vt aras,
Abiectoque metu tandem loca sancta colantur
Christicolùm populis. cuius si te quoque laudis
Tangit amor, tantique cupis tibi sumere belli
Partem aliquam, cœptis socium te adiungere nostris
Et placet; & iam nunc vna hac in fœdera lege
Accipimus læti venientem; atque omnia posthac
Oppida, quæ nos cumque Deus communibus armis
Annuerit capere, & nostra ditione teneri,
Hæc fore spondemus nobis communia tecum:
Inque hæc verba sacros Tullingi nomine libros,
Aeternæ libros dantes præcepta salutis,
Et Christi simul acta Dei miranda docentes,
Tangimus; & testes Superosque, Deumque vocamus.
Dixerat hæc Rholone satus: cum Graius Alexis
  Accipio, amplectorque libens, fortissime ductor,
Quæ dantur: faustumque precor sit vtrisque, volentes
Quod statuistis, ait. Nos quæ promisimus vltro,
Præsto aderunt, naues cum primùm ascendere, & oras

Linque-

*Linquere Threicias, Bebrycumque inuadere fines*
*Cœperitis; iamque innumeras astare carinas*
*Cernitis, & pandas prætexere littora puppes,*
*Unde iter in fines, cursusque breuissimus vndis*
*Mygdonios, cæcæ surgunt vbi mœnia gentis.*
*Vos duce Thatinno, cui nos confidere tuti*
*Sueuimus, & regni vel totam imponere molem,*
*Graiorum delecta manus comitabitur vsque.*
*Ille vnus belli expertus, gnarusque locorum*
*Incolumes rapidum ad Syriæ vos sistet Orontem.*
*His dictis; duci iubet è præsepibus altis*
*Tercentum alipedes ostroque, auroque nitentes.*
*Tullingo ex omni numero lectissima centum*
*Corpora: sed reliquos reliquis quos mittat habendos*
*Militiæ tantæ ductoribus. insuper addit*
*Et sagula, & Tyrio fulgentes murice lænas,*
*Nec non & Chlamydes vario subtegmine pictas;*
*Quæque imbres, rapidosque arcent tentoria Soles.*
*Ergo ita compositis infida in fœdera rebus*
*Legati redeunt hilares in castra; diemque*
*Partim epulis celebrant lætis; partim ardua belli*
*Commemorant. iuuat exhaustos meminisse labores,*
*Et spectare procul terras, collesque feraces,*
*Quos ingressi Arabum poterunt inuadere fines.*
*Liquerat interea placidos Sol aureus amnos*
*Oceani, & largo vestibat lumine montes:*
*Cum Gallos, Italosque vnà caua buccina somno*
*Excijt. illi autem littus petiere; breuique*
*Transmissi angustas fauces, atque ostia Ponti,*
*Bithyni incolumes tenuerunt littoris oram.*

*Tum*

Tum Dux Tullingus (proceres namque ante vocari
Iusserat ad sese) postquàm peruenimus, inquit,
Terrarum in partem, quibus hostes proxima Turcæ
Regna tenent; vallesque imas, syluasque putandum est
Insedisse altas: agmen procedere sensim
Iam decet ad subitos casus, pugnamque paratum.
Quo circa Auroram cum primùm nonus aperto
Rettulerit cælo Titan, sese instruat armis
Quisque suis, instetque viam sua signa secutus.
Interea cuncti Superùmque, hominumque parenti
Christicolûm de more animum lustrentque, probentque,
Rite sacerdoti culpas, & crimina fassi.
Hæc vbi dicta dedit: passim per castra vagatur
Fama volans, certisque refert ieiunia iussis
Indixisse patres venturæ proxima lucis.
Quæ postquàm Addemarus perfecta ex ordine vidit
Omnia, & Eoo surgens octauus ab orbe
Illuxit Phœbus: sublimem operatus ad aram
Solemnesque preces, consuetaque sacra peregit.
Idem etiam populum pura circumtulit vnda,
Spargens rore leui. mox & felicibus omnes
Prosequitur verbis, & prospera cuique precatur.
Expectata dies aderat, cum buccina claro
Signa dedit cantu: primumque incedere cœpit
Agmen: & armorum rutilo fulgore micantum
Repleuit montes. veluti cum vertice summo
Aut Apennini, aut nubiferæ Pyrenes
Sylua ingens fagis, annosa & consita pinu,
Abietibusque frequens, ramis arentibus ignem
Comprendit. flammæ radiantia sidera lambunt,

Aeriasque

*Aeriasque inter nubes splendore coruscant.*
*Ibant, & gressum peditesque, equitesque mouebant*
*Compositi, & toto spirantes pectore martem.*
*At satus Eustachio thoracem indutus ahenum,*
*Dextra autem ingentem præfixa cuspide contum*
*Præportans, clypei pondus, molemque sinistra,*
*Et galea insigni tectus frontemque, caputque,*
*Ante alios omnes heros se primus agebat.*
*Sic etiam armento longinqua ad pascua eunti*
*Incomitata ferox præfert vestigia taurus,*
*Viribus, atque animis in pugnam, inque arma paratis.*
*Hic tu, quæ vatem cæli super ardua tollis*
*Sidera, & ætherijs Diuûm regionibus infers:*
*Vnde mare, & terras, vnde aera cernat apertum,*
*Aura amor æterni pariter Natique, Patrisque*
*Sancta veni. &, vastum si te spirante profundum*
*Ingressus, potui dubios euadere fluctus*
*Incolumis, qui restat adhuc, age, dirige cursum*
*Ipsa per obscuras ignoti marmoris vndas:*
*Inque animi illabens penitus, precor, influe mentem.*
*Ac veterum extinctæ procerum si tantus haberi*
*Debet honos famæ, si gratia tanta referri,*
*Discute præteriti confusa obliuia secli.*
*Quæque acies ferro accinctæ regesque, ducesque*
*Excitos patria fuerint in bella secutæ,*
*Intulerintque Arabum populis regnantibus arma,*
*Enumerare velis. etenim potes, omnia quando*
*Ante oculos exposta tuos versantur, & ora.*
*Nos rerum tenebris, & nocte inuoluimur atra.*

*FINIS.*

W

| | Errata. | Correcta. |
|---|---|---|
| 35. 23. | Rhodanusq; vnà sua | Rhodanique vnà se |
| 41. 3. | facere | facessere |
| 71. 23. | Vi | Vt |



## REGESTVM.

† †† ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mn Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz.

Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg.

* ** a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y.

Omnes ſunt duerniones, y, ternio.



ROMÆ,

*Excudebat Franciſcus Zannettus.*

*M. D. LXXXV.*